

Rev. W. Wilson.

LOWER LIBRARY

LATIN CLASSICS.

ANICII MANLII TORQUATI SEVERINI

BOETHII

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

LIBRI QUINQUE

EX EDITIONE VULPIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO


ACCURATE RECENSITI.

T

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1823.



PA

6231

.C8

D2

1823

PA 6231.

C812

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

	Pag.
PETRI CALLYI Epistola Serenissimo Delphino	1
Petri Bertii Præfatio	4
Boëthii Vita, Jul. Martiano Rota scriptore	31
Testimonia de Boëthio et ejus Scriptis	39
Boëthii De Consolatione Philosophiæ Lib. I.	57
————— ————— ————— Lib. II.	149
————— ————— ————— Lib. III.	224
————— ————— ————— Lib. IV.	309
————— ————— ————— Lib. V.	368
Pulmanni De Metris Boëthianis Libellus	412
NOTÆ VARIORUM in Lib. I. De Consol. Philoso- phiæ	421
—— ————— — Lib. II.	454
—— ————— — Lib. III.	482
—— ————— — Lib. IV.	522
—— ————— — Lib. V.	548
NOTITIA LITERARIA de Boëthio	559
Recensus Codicum Mss. Boëthii qui in Biblio- thecis Britannicis asservantur	575
INDEX	i

15333

SERENISSIMO
DELPHINO

PETRUS CALLYUS.

QUICQUID LUDOVICUS MAGNUS, augustus parens Tuus, molitur, SERENISSIME DELPHINE, id omne magnum est: seu populos regit; seu hostes expugnat; seu utrisque concessa pace gratificatur. Sed indoles et institutio Tua regiorum operum opera sunt maxima. Tu quidem, velut nobile speculum, regales cum animi, tum corporis dotes ab ipso acceptas sic reddis, nihil ut in Te desideretur, quod imperatoriæ majestatis esse possit: Tuam vero institutionem, quam Rex ille sapientissimis suis consiliis exorsus est, selectissimisque viris corroboravit, magnificentissimo librorum apparatu ita perficit, ut ineffabili quadam necessitudine quantum filius parente, tantum parens filio Regum omnium præstantiam vincat. Ecce, continuato illius jussu, inter antiquos auctores emicat Severinus Boëthius, seque Tibi sistit, ut meliori quodam jure, sic majori spe fructuum uberrimorum.

Omniū certe ejusmodi auctorum meritissimo Boëthius Tibi se sistit. Illi enim advenæ Gallicorumque institutorum penitus ignari, præcone indigebant, qui prædicata eorum dignitate, aliquam in Aula iisdem compararet existi-

mationem : hic pridem a Philippo Pulchro Galliarum Rege, literarum literatorumque amantissimo Principe, honorificentissime exceptus, prope domesticus est, aulicorumque morum tam gnarus, quam ab Aulicis notus. Illi profani, nulla, nisi quam forte a novis interpretibus acceperunt, pietate commendantur : hic sacer, Christiana Martyris splendidius, quam Romana Patricii micat purpura. Illi in uno duntaxat dicendi genere versati, aut solutam sine stricta, aut strictam sine soluta orationem habent : hic utriusque sermonis scientissimus, ut persuadet orator eloquens, sic poëta suavis delectat. Illi Musis mollioribus inspirati, suis sententiis si non lædunt, læsam ostendunt mentem, quam sanare nequeunt : hic, docente severiori Philosophia, perturbationes, errorum vitiorumque causas, ita detegit, ut ad mentis salutem multum conferre posse videatur.

Si vero Auctor ille faciles ad Te habuerit aditus, SERENISSIME DELPHINE, majorem doctrinæ virtutisque accessionem se sperabit facturum, non solum in Te, sed in omnibus etiam adolescentibus, ad quos, velut a capite ad membra, regiæ Tuæ institutionis forma derivatur.

Magnum quidem est, Te Geographiam, Chronologiam, Historiam tam profanam quam sacram, eximia Latinitate cumulatas perfectissime callere : sed longe majus, illius, quam insitam habes cum de Te, tum de Deo notitiæ philosophicum, quod Boëthius hic suggerit, accipere incrementum : illæ etenim priores disciplinæ huic posteriori, non secus ac mancipia dominæ famulantur. Hac informatione Princeps tanto altius populos supereminet, quanto sui conscius, Conditorisque intelligens, divitiis, honoribus, voluptatumque illecebris, quibus regale solium circumfundi solet, contemptis, et humiliores de semetipso et sublimiores de divina majestate concipit sensus. Non omittendæ erant eæ, quæ animo Tuo vere regio impressæ sunt, artes ingenuæ : sed illa, quam Boëthius inspirat, humanæ divinæque naturæ notitia Tibi omnino necessaria videtur : suis etiam sceptris non carent miseris, quibus philosophicum illud Consulis Romani remedium utiliter potest adhiberi.

Quamvis autem augustum Tuum genus, et præstantissima Tua eruditio Te adeo evexissent, ut aureus hic liber magno Tibi deinceps usui esse non posset; grande tamen Tuum DELPHINI decus id a Te videtur postulare, illum ut librum Tibi legi cures; cum alias ob causas, tum maxime, ut Boëthius Gallicis Academiis, a quibus pari, qua olim a Romanis mœnibus, injustitia dudum exulavit, Tuo regali exemplo restituatur: turpe nimirum regno Christianissimo sacrum hunc doctorem Virgilio, Ciceroni, Aristoteli, ceterisque religionis Christianæ hostibus postponi, eoque magis, quod ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister nostras Christianorum scholas affluentibus doctrinarum omnium copiis ditaverit. Grammaticam, fugata barbarie, sanctos fabularum usus docuit: Rhetoricam lectissimis verbis verissimisque sententiis ornavit: Philosophiam obscuritate liberatam ita excoluit, ut quicumque huic parere voluerit, is omne ætatis tempus possit sine molestia transigere.

Patere ergo, SERENISSIME DELPHINE, virum pariter nobilem, doctum, et sanctum Regiam ingredi, ceteris auctoribus Tuis annumerari, et inter illas, quas in literis feliciter consumis, operas Tibi audiendum proponi: sanctitatem hic cum doctrina, utramque cum nobilitate sic animadvertes conjunctam, ut quicquid ibidem erit obvium, id augusta Tua haud indignum origine, et ad Tuam scientiam augendam et ad coronam æternam, cui reges omnes studere debent, consequendam conducere plurimum possit.

Cadomi, Kal. Novemb.

A. D. MDCCLXXIX.

AD GENEROSÆ INDOLIS,
PRISCÆQUE NOBILITATIS JUVENEM,
D. RUTGERUM BOETZELERIUM
AB ASPEREN,
LIBERI BARONIS ASPERANI FILIUM,
P E T R I B E R T I I
PRÆFATIO.

LIBROS ANICII MANLII TORQUATI SEVERINI BOETHII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ, quos in tanta dignatione viri eruditi semper habuerunt, ut in illis legendis, enarrandis, recensendis, evulgandis, laudem non exiguam positam existimarent, (scripsere enim in eos ex antiquioribus Albertus Magnus, et Thomas Aquinas: Deus bone, qui viri, et quanti! post illos Rodulphus Agricola Frisius, et Joannes Murmellius Ruremundanus, ac nuper admodum Joannes Bernartius, et Theodorus Sitzmannus :) libros igitur Boëthii de Consolatione Philosophiæ nuper a me publicis lectionibus in Academia explicatos, tibi inscribo, Juvenis Nobilissime: exiguum molè munus, sed ingens pondere. Etsi enim brevitati ipse quondam studuerit Boëthius, brevitatemque operis contractiorem adhuc fecerit typographi

nostri solertia: tamen ubique adhuc effulget magnum illud et cœlo affine ingenium. Certe inter posterioris ævi scriptores Græcos pariter ac Latinos, nemo fuit in omni genere sapientiæ Boëthio nostro par. Philippum Pulchrum Francorum Regem constat tanti hos libros fecisse, ut quamvis ipse Latine intelligeret, tamen pro beneficio habuerit quod ipsi Joannes Magdunensis, poëta (ut tunc ferebant tempora) eruditus, eos Gallice a se redditos, inscripsisset: asservaturque ejus operis exemplar adhuc hodie Lutetiæ in Bibliotheca Augustinianorum. Merito autem auctorem istum tanti fecit magnus Rex. Nihil quippe in eo non est eximium. Religionem spectamus? Christianus est, et quidem, inter Christianos, fidei Orthodoxæ sectator atque assertor. Patriam? Romanus. Dignitatem? Patricius, Exconsul Ordinarius, Exmagister Officiorum. Familiam? Anicius, Manlius, Torquatus, Severinus, Boëthius. Studium et vitæ genus? Logicus acutissimus, Theologus gravissimus, Mathematicus solertissimus, Mechanicus artificiosissimus, Musicus suavissimus: adhæc Orator et Poëta optimus. Dictionis modum? Utroque in genere, fuso pariter et numeris astricto, egregius; sed in hoc præcipue excellens. Argumentum scriptionis? Id vero est Consolatio in rebus adversis, quod ille argumentum tractavit in carcere Ticinensi, cum jussu Theodorici Ostrogothi, Regis Italiæ, captivus illic detineretur, ubi etiam postea resecto capite vitam finiit; suntque huic tractationi multa alia capita annexa, de Summo Bono, de Malo, de Fato, Providentia, Concordia liberi arbitrii cum præscientia divina, aliaque. Usus? Solus hic auctor sufficere potest componendis controversiis omnibus quibus hoc tempore multorum ingenia agitantur.

Sed priusquam ipsum inspicias operis contextum, videntur mihi præmittenda quædam quæ huic nostræ tractationi lucem aliquam possunt affundere. Principio igitur illud occurrit; plures olim fuisse Boëthios: nam et Stoicum quendam nominat Laërtius in Vita Zenonis; et Epicureum Plutarchus loquentem facit in Symposiacis, et Cretensem

alium citat Galenus Aristotelis studiosum, virum consularum: noster quoque iste in Commentario in Porphyrium, quendam nominat Boëthium Philosophum, citatum pridem ab Ammonio et Simplicio. Patrem quoque Boëthii nostri Boëthium appellatum fuisse suspicio est, sicut postea liquabit. Sed nostrum istum ab aliis omnibus distinguunt adjecta nomina: vocatur enim Anicius, Manlius, Torquatus, Severinus: adduntur tituli ex honoribus in Republica gestis, Exconsul Ordinarius, Exmagister Officiorum, Vir Clarissimus, et Illustrissimus.

Sed unde tot unius hominis nomina? Fuit illius sæculi moribus receptum ut præstantes viri nomen suum ad alios transmitterent. Hæc res tot Antonios inter Cæsares dedit, tot Aurelios, Severos, Flavios, Valerianos, Valentinianos, Constantes, Constantios, et Constantinos: tot longa serie Othones, Henricos. Putaverunt enim grata in vulgus nomina commendationem personis afferre posse. Video etiam assumpta interdum nomina excellentium virorum ab iis qui extra familiam erant. Illius ergo temporis more factum est, ut noster iste Anicius, Manlius, Torquatus, Severinus, Boëthius vocaretur, abavi, proavi, patris nominibus conjunctis.

Primum ergo nomen referendum est ad Anicios, quorum genus antiquum et nobile non uno loco prædicat beatus Hieronymus. Emicuit autem inter eos præ ceteris Boëthii nostri atavus, Anicius Sextus Petronius Probus, cujus frequens est et honorata mentio apud Ammianum Marcellinum, Ausonium, Symmachum, inque Codice Theodosiano. Gessit enim consulatum cum Gratiano Imperatore, anno Christi CCCLXXI. idemque, cum in Italia Prætorio Præfectus esset, provincias Insubriam, Æmiliam, atque Liguriam cum insignibus consularibus Ambrosio (ei qui postea Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus factus est) administrandas dedit. Qui Hieronymum et Augustinum legunt, offendunt crebra Aniciorum familiæ elogia. Claudianus non dubitat illam ceteris omnibus Romæ viventibus nobilitate præferre:

Quemcumque requires,
 Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci.
 Per fasces numerantur avi, semperque renata
 Nobilitate virent, et prolem fata sequuntur,
 Continuum simili servantia lege tenorem.
 Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
 Floreat, et claro cingatur Roma Senatu,
 Se jactare parem.

Fuere autem Anicio Sexto Petronio Probo filii duo, Probinus et Probus: filia unica, Turriana Anicia Juliana, quæ nupta Quinto Claudio Hermogeniano Olybrio, mater fuit Demetriadis, Christianorum Rhetorum præconiis decantatissimæ virginis, utpote cujus in laudibus prædicandis certatim laborarint Pelagius Monachus, Hieronymus Presbyter, Augustinus Episcopus, et post illos Prosper quoque Aquitanicus: quemadmodum matrem Julianam viduam celebrarunt idem ille Pelagius, Hieronymus, Augustinus. Hieronymi ad Demetriadem verba de gente Anicia hæc sunt: 'Scilicet nunc mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda sunt nomina, et illustris Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus aut rarus erit qui non meruerit consulatum. Proferendus Olybrius, virginis nostræ pater, quem immatura morte subtractum Roma congemuit.' Uxor Anicio illi fuit Faltonia Proba, dicta quoque ipsa Anicia, Consul uxor, Consul filia, Consul mater, mulier erudita, cujus hodieque extat Cento Virgilianus. Honores illius quem dixi Anicii, indicant auctores a me citati; sed inprimis crebræ inscriptiones Romæ: unam tibi hoc tempore in medium proferemus, ex basi statuæ ipsi positæ a filiis Probino et Probo:

SEXTO. PETRONIO. PROBO. VIRO. CL. PROCONSVL. AFRI-
 CÆ. PRÆFECTO. PRÆTORIO. QVATER. ITALIÆ. ILLYRICI
 AFRICÆ. GALLIARVM. CONSVLI. ORDINARIO. PATRI
 CONSVLVM

ANICIVS. PROBINVS. VIR. CL.

CONSVL. ORDINARIVS. ET. ANICIVS. PROBVS. VIR. CL.

QVÆSTOR. CANDIDATVS. FILII. MVNVS. SINGVLARI. RELIGIONE. DEBITVM. DEDICARVNT

Cui similis etiam alia inscriptio conspicitur, posita ab Her-
mogeniano Olybrio, et uxore Anicia Juliana.

Præcipuum autem familiæ Aniciæ decus fuit, quod Christi
fidem amplexa, multis aliis Romæ exemplum dedit dese-
rendi Gentilismi. Prudentius :

Fertur enim ante alios generosus Anicius urbis
Illustrasse caput. Sic se Roma inclyta jactat.
Quin et Olybriaci gentisque et nominis hæres,
Abjectis fastis, palmata insignis ab aula,
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securim.

Spectatur Romæ adhuc Anicii Petronii et Faltoniæ
Probæ sepulcrum, adeo magnificentum, ut vix aliud splendi-
dus credatur in ea urbe extare. Ejus inscriptionem unam
carmine factam, quia id meretur, et quia ad Aniciæ gentis
gloriam facit, apponam :

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
Dicas, quantus erat qui Probus hic situs est!
Consulibus proavis soceroque exconsule major,
Quod geminas consul reddidit ipse domos.
Præfectus quartum toto dilectus in orbe,
Sed fama emensus quicquid in orbe hominum est.
Æternos, heu, Roma, tibi qui posceret annos,
Cur non vota tui vixit ad usque boni?
Nunc cum sexdenos mensis suspenderet annos,
Dilectæ e gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periisse Probum meritis pro talibus absit
Credas, Roma, tuum : vivit, et astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti conjunx tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares.

Felix, heu nimium felix! dum vita maneret,
 Digno juncta viro, digna simul tumulo.

Atqui hic quidem Anicius atavus fuit nostri Boëthii. Filii istius Anicii, ut ante diximus, fuere Probus et Probinus, quorum ille, Boëthii nostri abavus, tanta fuit per orbem universum virtutis fama, ut Persæ duo potentissimi et sapientissimi, teste Paullino in Vita beati Ambrosii, Romam venerint ipsius videndi ac salutandi gratia.

Hujus Probi filia nupta fuit Manlio Theodoro, quem codices quidam Mallium vocant: et quia gens Manlia Torquata fuit, eo factum est ut Boëthius noster dictus fuerit Anicius Manlius Torquatus. Fuit autem Manlius iste Boëthii nostri proavus: eumque Fasti Consulem signant cum Eutropio. Ejusdem Manlii memoria extat apud Augustinum, qui matrem suam Monicam alloquens, 'His,' inquit, 'temporibus (ut omittam ceteros) vir et ingenio, et eloquentia, et ipsis insignis muneribus fortunæ, et, quod ante omnia est, mente præstantissimus, Theodorus, quem bene nosti, id agit ut et nunc, et apud posteros, nullus hominum de literis nostrorum temporum jure conqueratur.' Ejusdem Manlii consulatum luculento carmine Panegyrico celebravit Claudianus, cujus in extrema parte, ubi vota sua exponit pro gente Manlia, quasi de Boëthio nostro vaticinatur. Sic enim canit:

Consul per populos, idemque gravissimus auctor
 Eloquii, duplici vita subnixus, in ævum
 Procedat, pariter libris fastisque legendus.
 Accipiat patris exemplum, tribuatque nepoti
 Filius, et cœptis ne desit fascibus hæres.
 Decurrat trabeata domus, tradatque secures
 Mutua posteritas, servatoque ordine fati
 Manlia continuo numeretur Consule proles.

Adhæsit autem Genti Manliæ Torquatorum nomen, ex eo quod Titus Manlius L. F. A. N. Imperiosus, Sulpicio Dictatore tribunum agens militum, Gallum provocantem sin-

gulari certamine prostravit, corporeque ejus ab omni alia vexatione intacto, unum torquem abstulit, eoque se induit, ut est apud Livium. Sic igitur Boëthius noster ab atavo nomen habet Anicii, ab avo Manlii Torquati.

Severini nomen unde tractum sit, video dubitari. Sunt qui ex gentis Manliæ severitate illud petitum existiment. Constatque, severam inprimis atque imperiosam hanc familiam fuisse. L. Manlius Titum filium suum, qui postea Torquatus dictus fuit, rus ab hominum conversatione relegavit: idem Dictator tanta severitate delectum habuit, ut Imperiosi nomen retulerit. Ipse T. Manlius Torquatus, filium suum, quod provocatus a Geminio Metio, duce Tusculanorum, ad dimicandum se ignaro descenderat, abripi a lictore, et in modum hostiæ mactari jussit, satius judicans, patrem filio forti, quam patriam militaris disciplinæ exemplo carere: quo quidem facto Manlius usque adeo invisum se atque exosum juventuti Romanæ effecit, ut ipsi de Latinis, Campanis, Sidicinis, Auruncis triumphum agenti nemo adolescens nobilis obviam processerit. Ad hanc severitatem respexit Virgilius, cum scripsit:

sævumque securi

Aspice Torquatum.

L. quoque Manlius Torquatus, is qui Consul cum Cnæo Octavio fuit, filium suum, accusatum a Macedonum legatis quod in prætura sua provinciam pecunia spoliasset, vetuit in conspectum suum prodire, negans eum videri tali ingenio fuisse quales ejus majores fuissent: quam quidem notam filius tam acerbe tulit, ut eadem nocte se laqueo interemerit. Ab hac igitur Manliæ gentis severitate credunt quidam Boëthium nostrum dictum fuisse Severinum: quibus tamen ego astipulari non possum: eo quod nusquam videam cognomen istud genti Manliæ tributum: nam Imperiosos quidem Manlios lego, Severos aut Severinos non lego. Et quia Severinorum familiam nobilem tunc temporis fuisse constat, quæ tamen non fuerit gentis Manliæ, malo ego ad Severinos illos nomen istud referre. Fuerunt autem hoc

nomine Consules plures Fastis notati, sub imperatoribus Leone et Zenone. Ac fieri potest, ut vel Manlii Theodori filia Severino alicui nupta fuerit, avo nostri Boëthii, vel filius Manlius adoptione transierit in familiam Severinorum, ex quo natus sit Boëthius, nostri Boëthii pater; is qui cum Præfecturam gereret Prætorii, a Valentiniano Imperatore una cum Ætio Patricio innocens in palatio interfectus est. Hic ille est cujus mentionem facit in Chronico suo Cassiodorus: ‘Ætius,’ inquit, ‘Patricius in palatio manu Valentiniani Tertii Imperatoris extinctus est, Boëthius vero Præfectus Prætorio amicis ejus circumstantibus interemtus.’ Hæc refert Cassiodorus ad consulatum Ætii et Studii: qui incidit in annum Christi CCCCLV. quo ipso anno Boëthius noster natus esse creditur. Eodem anno Fl. Anicius Petronius Maximus, qui Valentinianum, justo uxoris ab ipso vitiatae dolore ardens, occidit, ejusque contra uxorem Eudoxiam stupravit, et imperium sibi vindicare conatus est, a Genserici militibus interemtus occubuit.

Referenda sunt igitur ad Boëthii majores, a quibus petita sunt, ista nomina: Anicii, ad Anicium Petronium Probum atavum; Manlii Torquati, ad Manlium Theodorum proavum; Severini, ad avum Severinum; Boëthii, ad patrem Boëthium. Duravit vero etiam post Boëthii et Theodorici obitum Aniciorum gens: Justinus enim et Justinianus Imperatores Anicii dicti sunt: fratrem quoque Justiniani, nomine Germanum, ait Jordanes, ducta Malhasuenta, Witigis Gothi vidua, Aniciorum gentem cum Amala stirpe conjunxisse.

Prænomen Boëthii nulli libri præferunt. Mihi dubium non est, prænomen ipsi fuisse Flavii, ita enim vocari video in Actis Ecclesiasticis, quæ sic habent: ‘Fl. Boëthio V. C. Consule, die III. Iduum Martiarum, in Basilica Constantiana, residente venerabili viro, Papa Felice,’ &c. Quæ verba ad primum Boëthii Consulatum referenda sunt.

Floruit autem Boëthius noster Theodorici Amali Regis Ostrogothi temporibus. Hic ille est Theodoricus Theodemiri filius, qui delatum sibi a Zenone Imperatore Italiæ

regnum, quod tunc quidem Odoacer Herulus occupaverat, cum ingentibus Ostrogothorum copiis invasit, ipsoque interfecto, regni Gothorum in Italia sedem Ravennæ fixit, atque inde toti Italiæ et Siliciæ jus dixit, rescripta sua quaquaversum mittens, quorum magnam partem M. Aurelius Cassiodorus libris suis Variarum inseruit.

Fuit autem tempestas illa gravis admodum Romanæ urbi: nam inter tot magnos et præstantes viros, quos adhuc habebat Respublica, optimus quisque dignitatem Imperii et majestatem summam alio translata tacite indignabatur. Imperatoris enim sedem aulamque habebat Constantino-
polis, quæ tunc nova Roma dicebatur. Italiam vero omnem occupatam primum a Vandalis, postea ab Herulis, tenebant tunc Gothi, qui regni sui sedem non Romæ, sed Ravennæ posuerant. Una in tanto dignitatis naufragio supererat tabula, Consulatus: sed et is quoque altera parte erat imminutus, cum a Constantini inde temporibus alter Consul Constantino-
poli, alter Romæ designaretur.

Natus est Boëthius anno Christi (ut ante dixi) CCCCLV. hoc est, quinquaginta annis post captam ab Athalarico Gotho Romam. Ex quo apparet, non multo ipsum posteriorem fuisse Hieronymo et Augustino, quorum ætas incidit in extremos annos Anicii Petronii Probi. Coævus fuit Cassiodori, Cæsarii Arelatensis, Fulgentii, Vigilii, Prisciani, Victoris Africani, Sidonii Apollinaris, Sancti quoque Benedicti, a quo fertur in monte Cassino una cum Tertullo Placidi monachi patre, senatore Romano, mensæ monasticæ adhibitus.

Puerum Deus miris ingenii dotibus imbuerat: sed et aliis omnibus instruxerat rebus quæ ad vitam bene beateque degendam exoptari solent: opes enim dederat, valetudinem, formam, amicos.

Sed, orbatum patre, amicorum fides atque industria ad eruditionis et sapientiæ templa perduxit. Missus est enim infans statim Athenas, ubi jam restaurata literarum et Philosophiæ studia magno præstantissimorum ingeniorum confluxu atque ardore agitabantur. Ibi ille totos annos

XVIII. cum aliorum Philosophorum, tum Aristotelis inprimis atque Euclidis et Ptolemæi, lectioni vacavit. Ac videtur quidem Eleaticæ primum, postea Academicæ, tandem vero Peripateticæ sectæ addictus fuisse. Huc illud refero quod initio hujus libri legitur: ubi Philosophia Poëticas Musas apud Boëthium in carcere conspiciens, fingitur ægre ferre illarum præsentiam, et dicere: ‘Hunc vos, Eleaticis atque Academicis studiis innutritum, ausæ fuistis adire?’ Quod de annis XVIII. Athenis exactis dixi, confirmatur ipsius Boëthii testimonio, ex libro de Disciplina Scholarium. Exercuit autem in prima illa ætate studium Poëticæ; itaque ipse de se:

Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu, mœstos cogor inire modos.

Sic ergo Boëthius pueritiam et juvenilem ætatem consumpsit. Atque huc pertinent illa Fortunæ ad ipsum verba: ‘Cum te matris ex utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi, meis opibus fovi, et, quod te nunc impatientem nostri facit, favore prono indulgentius educavi, et omnium quæ mei sunt juris affluentia et splendore circumdedi.’

Reversum Athenis in Urbem, statim egregia animi virtus, moresque ad humanitatem facti commendavere præcipuis in Republica viris, qui juvenem ad summa natum ambire, et affinitates suas ipsi ultro etiam offerre, non inhonestum sibi putavere. Duxit autem uxorem primam Elpidem Siculam, virginem nobilem, ex eaque duos filios Patricium et Hypatium suscepit. Fuit autem Elpis ista non probitatis tantum, sed etiam literarum laude celebris, inprimisque Poëticæ amans. Ejus creduntur esse Hymni duo qui in Ecclesia canuntur, ‘Aurea luce,’ et ‘Felix per omnes.’

Elpidis istius quis pater fuerit, nescitur: primæ illum dignitatis virum fuisse, constat ex iis quæ libro secundo Philosophia Boëthium alloquens dicit: ‘Taceo,’ inquit, ‘quod, desolatum parente, summorum te virorum cura

suscepit, delectusque in affinitatem principum civitatis (quod pretiosissimum propinquitatis genus est) prius carus quam proximus fuisti. Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, cum conjugis pudore, tum masculæ quoque prolis opportunitate prædicavit?’

Ita ille juvenis admodum admotus est præcipuis in Republica honoribus, ac per eos tandem ad summum fastigium hoc est, Consulatam, pervenit. Huc spectant ista Philosophiæ verba: ‘Prætereo (libet enim præterire communia) sumtas in adolescentia, negatas senibus, dignitates.’ Incidit autem primus ille Boëthii Consulatam in annum Christi CCCCLXXXVII. quo anno, ut auctor est Cassiodorus in Chronico, Odoacer Herulus Phœba, Rugorum Rege, victo captoque potitus est. Ex quo apparet, Boëthium, ante occupatum a Theodorico regnum Italiæ, Consulem fuisse. Biennio enim post Consulatam Boëthii ingressus est Italiam Theodoricus, et postea imperante Anastasio, Consuleque Albino, Ravennam venit, et Odoacrem interemit.

Filii Boëthii Patricius et Hypatius annis XIII. post patrem Consules facti sunt. Fuit autem is annus a Christo nato quingentesimus, Regis Theodorici octavus. Scribit autem Cassiodorus in Chronico, eo anno Theodoricum Romam cunctorum votis expetitam advenisse, et senatum suum mira affabilitate tractasse, Romanæ urbi donasse annonas, atque admirandis mœnibus, deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate, subvenisse. Hic ille est annus quo Boëthius noster, filiis suis curules insidentibus, Theodoricum Regem diserta admodum oratione in Curia laudavit: cui ille respondens, Senatam mira comitate appellavit, ac se dignitati et commodis ejus nunquam defuturum ostendit. Progressus tunc e Curia in Circum Theodoricus, ad locum qui ‘Palma aurea’ dicebatur, concionem habuit ad populum cum senatoribus in gradibus consistentem. Hic vero Boëthius, medius inter filios suos consistens, congiarium populo dedit. Profectus autem e Circo Theodoricus, triumphale epulum senatoribus dedit,

ac plebi Romanæ frumentum donavit. Quanta vero fuerit illius actus celebritas, ex eo cognosci potest, quod beatus Fulgentius, qui tunc temporis nova Trasimundi sævitia exanimatus, deserta Africa Romam venerat, pompam illam conspiciens, acclamationes audiens, ordinemque rerum admirabilem secum expendens, exclamavit: ‘ Quam speciosa debet esse Jerusalem illa cœlestis, si sic fulget Roma terrestris! et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria tribuetur sanctis contemplantibus veritatem!’ Sed splendorem illius actus eleganter descripsit ipse Boëthius hujus operis libro secundo, ubi Philosophiam sic loquentem introducit: ‘ Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter Consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti? cum, eisdem in Curia curules insidentibus, tu regiæ laudis orator, ingenii gloriam facundiæque meruisti? cum in Circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem consularis triumphali largitione satiasti? Secundus Boëthii nostri consulatus incidit in annum Christi DX. Theodorici Regis XVIII. Hoc anno Boëthius Consul prædicamenta Aristotelis commentariis illustrare aggressus est. Testatur id ipse initio sui Commentarii. ‘ Etsi,’ inquit, ‘ nos curæ officii consularis impediunt quo minus in his studiis omne otium, plenamque operam consumamus, pertinere tamen videtur ad aliquam Reipublicæ curam, elucubratae rei doctrina cives instruere; nec male de civibus meis merear si, cum prisca hominum virtus urbium ceterarum in hanc unam Rempublicam imperium transtulerit, ego, id saltem quod reliquum est, Græcæ sapientiæ artibus mores nostræ civitatis instruxero. Quare ne hoc quidem ipsum Consulis vacat officio; cum Romani moris semper fuerit, quod ubicumque gentium pulcherrimum esset atque laudabile, id magis ac magis imitatione honestare.’ Judicabat enim gravissimus vir, non posse a se tempus, quod a Republica vacuum habebat,

melius collocari quam si illud maximorum virorum, Catonis, M. Tullii, Senecæ, aliorumque exemplo, sapientiæ studiis, atque Aristotelis imprimis, Philosophorum maximi, lectioni, versioni, atque explicationi tribueret. Nam et ipse a prima ætate illis studiis fuerat delectatus, et intelligebat, nihil esse quo æque humana mens gaudeat, atque veri cognitio: et sperabat, Romanam juventutem sua opera ad priscam illam virtutem posse excitari. Habebat autem bibliothecam optimorum utriusque linguæ librorum copia instructissimam, cujus parietes ebore ac vitro comiti nitebant, neque in carcere postea quicquam tulit molestius quam quod ea carere debuerit: quocirca ipse cum Philosophia sua de hac re ita in catenis conqueritur: ‘Hæccine,’ inquit, ‘est bibliotheca illa quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras? in qua mecum sæpe residens de divinarum humanarumque rerum scientia diserebas?’

Hisce igitur præsiidiis instructus Boëthius omnem Philosophiam Latinis literis illustrare instituerat. Sic enim scribit: ‘Ego omne Aristotelis opus quodcumque in manus venerit, in Romanum stylum vertens, eorum omnium commenta Latina oratione perscribam: ut siquid ex Logicæ artis subtilitate, vel ex Moralis gravitate peritiæ, et ex Naturalis acumine veritatis, ab Aristotele perspicuum est, id omne ordinatum transferam, atque id quodam lumine Commentariorum illustrem.’

Hac ille contentione multa in universa Philosophia vel e Græcis vertit, vel ipse Latine scripsit.

IN LOGICIS ISTA:

Ad Isagogen Porphyrii libros II.

Secundæ editionis librum I.

In Categorias Aristotelis lib. II.

In librum *περὶ ἑρμηνείας* lib. I.

Editionis secundæ libros VI.

De Divisione librum I.

De Definitionibus librum I.

Ad Categoricalos Syllogismos introductionis librum I.

In Topica Ciceronis libros VI.

De Differentiis Topicis libros IV.

De Syllogismo Categorico libros II.

De Syllogismo Hypothetico libros II.

IN RHETORICIS :

De Locis Rhetoricis lib. I.

IN ARITHMETICIS :

Transtulit Nicomachum Arithmeticum. Cassiodorus de Arithmetica: ‘Hanc apud Græcos Nicomachus diligenter exposuit: quem primum Madaurensis Apuleius, deinde magnificus vir Boëthius, Latino sermone translatum, Romanis contulit lectitandum.’

De Arithmetica lib. II.

IN MUSICA :

Transtulit Pythagoram Musicum.

Scriptis de Musica libros V.

IN GEOMETRIA :

Transtulit Euclidem. Cassiodorus loquens de Geometria: ‘Cujus disciplinæ,’ inquit, ‘apud Græcos Euclides, Apollonius, Archimedes, nec non et alii scriptores probabiles extiterunt: ex quibus Euclidem translatum in Romanam linguam idem vir magnificus Boëthius dedit, qui si diligenti cura relegatur, hoc quod de divisionibus prædictis apertum est, manifesta intelligentia et clara veritate cognoscetur.’

Scriptis in Geometriam Euclidis libros tres.

De quadratura Circuli.

IN GEOGRAPHIA, ET ASTRONOMIA :

Transtulit Ptolemæum Alexandrinum.

IN METAPHYSICIS :

De Unitate et Uno lib. I.

Delph. et Var. Clas.

Boëth.

B

IN MECHANICIS :

Transtulit Archimedes Mechanicum.

Edidit præterea Platonem a se versum.

Epistolarum ad diversos librum 1.

Concordiam quoque Philosophiæ Aristotelicæ cum Platonis scribere aggressus est.

De Hebdomadibus lib. 1.

Crediderim etiam, Romæ vel ipsum extra ordinem quosdam nobiles juvenes docuisse, vel docentibus aliis præfuisse, et varia omnis sapientiæ exercitia domi suæ instituisse. Fuit enim tunc temporis ipsa etiam Roma literarum, et philosophiæ, et humaniorum disciplinarum artiumque celebritate clara: quemadmodum ex rescripto Theodorici Regis ad Symmachum, Boëthii socerum, apparet, in quo ille Romam eloquentiæ vocat fœcundam matrem, virtutumque omnium latissimum templum: vetatque, ne Valeriani liberi e Syracusana civitate studiorum causa Romam deducti, ipso inconsulto aut inscio ad patrem redeant.

Nota quoque exteris fuit Boëthii nostri eruditionis fama: nam cum Theodoricus Francorum Regi Chlodoveo, et Burgundionum Regi Gundibaldo affinitate junctus esset, quod illius quidem sororem Audafledam uxorem ipse duxisset, alteri vero ipse filiam elocasset, forte evenit ut Gundibaldus, qui Ravennæ socerum inviserat, Romam quoque excurreret, urbis fama et Boëthii nominis celebritate excitus; cui cum Boëthius inter alia mechanici operis organa ostendisset horologia duo, quorum alterum in sphaera mobili cursum Solis significabat, alterum aquis stillantibus indicabat horarum spatia, cujusmodi Græci clepsydras vocant, obstupefactus eorum conspectu homo barbarus, simul atque in suum regnum reversus est, missis legatis petiit a Theodorico ejusmodi ad se horologia transmitti. Theodoricus Boëthium, ut talia affini suo concinnaret, rogavit; concinnata vero misit. Extant ejus apud Cassiodorum Epistolæ duæ, harum rerum testes, quas operæ pretium est cognoscere, tum ad confirmandam fidem eorum quæ dixi, tum

quia eximiam continent Boëthii prædicationem. Audi ergo quid priore Epistola Theodoricus scribat: ‘ Burgundionum dominus a nobis magno opere postulavit, ut horologium quod aquis sub modulo fluentibus temperatur, et quod solis immensi comprehensa illuminatione distinguitur, cum magistris rerum ei transmittere deberemus.... Merito siquidem respicere cupiunt quod legatorum suorum relationibus obstupescunt. Hoc te, multa eruditione saginatum, ita nosse didicimus, ut artes quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaveris. Sic enim Atheniensium scholas longe positus introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim, qua profunditate cum suis partibus Speculativa cogitetur; qua ratione Activa cum sua divisione discatur: deducens ad Romuleos senatores quicquid Cecropidæ mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras Musicus, Ptolemæus Astronomus leguntur Italis: Nicomachus Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur Ausoniis: Plato Theologus, Aristoteles Logicus Quirinali voce disceptant: Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti: et quas-cumque disciplinas vel artes fœcunda Græcia per singulos viros edidit, te uno auctore, patrio sermone Roma suscepit: quos tanta verborum luculentia reddidisti claros, tanta linguæ proprietate conspicuos, ut potuissent et illi opus tuum præferre, si utrumque didicissent. Tu artem prædictam, ex disciplinis nobiles natam, per quadrifarias Mathesis januas introisti. Tu illam in Naturæ penetrabilibus considentem, auctorum libris invitantibus, cordis lumine cognovisti.... Hæc quia studiosius te legisse comperimus, prædicta nobis horologia quantocius transmittere maturabis; ut te notum in illa parte mundi facias ubi aliter pervenire non poteras. Agnoscant per te exteræ gentes, tales nos habere nobiles, quales leguntur auctores. Quoties non sunt credituri qui viderint! quoties hanc veritatem lusoria somnia putabunt! et quando fuerint a stu-

pore conversi, non audebunt se æquales nobis dicere, apud quos sciunt sapientes talia cogitasse.'

In Epistola Theodorici ad Gundibaldum Burgundionum Regem leguntur ista: 'Quapropter salutantes gratia consueta, per harum portitores, præsentiae vestrae, horologia cum suis dispositoribus credidimus destinanda. Unum, in quo humana solertia videtur colligi quod totius coeli noscitur spatia pervagari; aliud, ubi solis meatus sine sole cognoscitur, et aquis guttantibus horarum spatia terminantur. Habetote in vestra patria quod aliquando vidistis in civitate Romana. Dignum est ut bonis nostris vestra gratia perfruatur, quæ nobis etiam affinitate conjungitur.'

Sed et citharædum missurus Theodoricus ad Chlodoveum Francorum Regem, Boëthium nostrum consuluit, deditque ipsi curam deligendi alicujus idonei. Apparet id ex Epistola ipsius Theodorici ad Boëthium, in qua hæc leguntur: 'Cum Rex Francorum convivii nostri fama pellectus, a nobis citharædum magnis precibus expetisset, sola ratione complendum esse promisimus, quod te Eruditionis Musicæ peritum esse noveramus. Adjacet enim vobis doctum eligere, qui disciplinam ipsam in arduo collocatam potuistis attingere.'

Idem quoque ad Chlodoveum (quem Cassiodorus Luduin vocat) victoria Alemannica elatum scribens; eum, ut moderatione et clementia victos sibi devinciat, hortatur, ac tandem addit: 'Citharædum etiam arte sua doctum pariter destinavimus expetitum, qui ore manibusque consona voce cantando, gloriam vestrae potestatis oblectet: quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum judicastis magno opere dirigendum.' Hæc igitur studia fuere Boëthii.

Quæ dum tractat, eripitur ipsi morte Elpis, fida curarum, et gaudiorum, et studiorum socia. Ejus Epitaphium (incertum, scriptumne a Boëthio, an ab alio aliquo) tale legitur:

Elpis dicta fui, Siculæ regionis alumna,
 Quam procul a patria conjugis egit amor.
 Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
 * * * * *
 Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco,
 Judicis æterni testificata thronum.

Defuncta Elpide, Boëthius secundam uxorem duxit Symmachi senatoris et consularis viri filiam, Rusticianam, ex qua duos filios paterni avitque ingenii speciem præferentes suscepit. Atque hos quidem consulares vocat, non quod Consules fuissent, sed quod viro consulari essent progeniti.

Secutus est postea Boëthii tertius ultimusque consulatus, quem ille cum Symmacho socero suo gessit, anno Christi DXXII. ætatis suæ LXVII. Ad eum vero petendum, ut et alios quoque honores, non ambitio Boëthium, aut lucri spes, sed bonorum commune studium impulit. Ac videtur, Symmachum quidem Consulem dedisse Senatus Romæ Novæ, Boëthium vero Senatus Romæ Veteris. Huic Symmacho Boëthius libellum inscripsit a se compositum, ‘de S. Trinitate adversus Nestorii et Eutychetis errores.’ Fuit enim S. Theologiæ imprimis studiosus Boëthius; ac tunc quidem eo impensius, quod videret Orthodoxam de S. Trinitate sententiam vehementer ab Ostrogothis Arianis ipsorumque Rege Theodorico oppugnari. Scripsit ergo ‘de Unitate Trinitatis: utrum Pater, Filius, et Spiritus Sanctus de divinitate substantialiter prædicentur.’ Præterea, ‘de Fide, ad Joannem Diaconum: et de duabus in Christo naturis.’ Sed Boëthius editis istis operibus odium sibi Theodorici Regis conflavit, et in suspicionem apud ipsum venit capti de mutando Reipublicæ statu, et vindicanda in libertatem Italia, consilii. Nec defuere, qui hac occasione in ipsum aperte insurgerent, Consulisque auctoritatem aperte oppugnarent: quibus omnibus Boëthius, fretus recti animi conscientia, fortiter sese opposuit, neque est veritus, pro tuenda Republica et privatorum civium jure, inimicitias potentiorum suscipere.

Primum ergo Conigastum exactorem repressit, miserorum civium fortunas nefarie invadentem, neque id semel tantum fecit suo consulatu, sed sæpius. Postea Triguillam, regiæ domus præfectum, ab incepta, jamque perpetrata injuria revocavit. Bona et innocuos cives, quos infinitis calumniis effrenis Gothorum avaritia divexabat, objecta periculis nominis sui auctoritate protexit. Provincialium quoque fortunas privatis præfectorum rapinis et publicis vectigalibus pessumdari, apud Regem Theodoricum questus est. Cumque acerba fame fervente, gravis atque inexplicabilis indicta coëmtio profligatura Campaniam provinciam videretur, ipse communis commodi causa certamen adversus præfectum prætorii suscepit, et Rege ipso cognoscente pro Campanis acriter contendit, et ne coëmtio illa exigeretur, orationis suæ vi effecit. Paullinum, consularem virum, cujus opes Palatinæ hirudines jam spe atque animo exsuxerant, faucibus accusatorum famelicis eripuit. Albinum quoque, et ipsum virum consularem, Cypriani delatoris accusatione pressum, defendit Veronæ, derivato etiam in se Cypriani odio: cumque Rex ipse majestatis crimen in Albinum delatum, ad universum Senatum transferre conaretur, faceretque pro uno reos plures, Boëthius noster ingenti cum securitatis suæ periculo Senatum omnem gravissima oratione defendit. Sed audiamus gesta a se in suo consulatu referentem Boëthium: ‘Susceptæ sunt mihi cum improbis graves inexorabilesque discordiæ: et, quod conscientiæ libertas habet, pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi! Quoties Triguillam regiæ præpositum domus ab incepta perpetrataque jam prorsus injuria dejeci! Quoties miseros, quos infinitis calumniis impunita Barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi! Nunquam me ab jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessumdari, non aliter quam qui patiebantur, indolui. Cum acerbæ famis tempore gravis

atque inexplicabilis indicta coëmtio profligatura inopia Campaniam provinciam videretur, certamen adversum præfectum prætorii communis commodi ratione suscepti, Rege cognoscente contendi, et ne coëmtio exigeretur, evici. Paullinum, consularem virum, cujus opes Palatini canes jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus traxi. Ne Albinum, consularem virum, præjudicata accusationis pœna corrigeret, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satis ne magnas in me videor exacerbasse discordias?’

Hisce a Boëthio tempore sui consulatus gestis, cum Regis et aulicorum odia in ipsum flagrarent, sequente anno, qui in Fastis Maximum Consulem habet, accusatus est a Basilio, Opilione, et Gaudentio, hominibus flagitiose improbis, et (quia ipsi impium quoque Arii dogma ad exemplum sui Regis sequebantur) Orthodoxo nomini infensissimis. Ex his Basilius olim regio ministerio depulsus, in delationem Boëthii æris alieni necessitate, et spe regii favoris, descendit: Opilio vero et Gaudentius, qui ob multa flagitia exilio destinati, ædium sacrarum, ad quas confugerant, se præsidio tuebantur, (etsi Rex edixisset, nisi intra præstitutum diem Ravenna excederent, futurum ut extracti e templis, frontibus suis inusti Urbe pellerentur,) simulatque Boëthii accusationem professi sunt, (quod quidem eopse die quo Rex id ipsis comminatus fuerat, accidit,) repente admissi, auditi, in gratiam Regis recepti, ac pristinae dignitati restituti sunt. Summa vero accusationis, vel delationis potius, hæc fuit: ‘Quod Boëthius salvum Senatum, ejusque auctoritatem esse voluisset. Quod delatori obstitisset, ne documenta afferret quibus Senatum reum læsæ majestatis probaret. Quod restitutionem Imperii Romani molitus fuisset;’ ad cujus capitis confirmationem ipsi literas quasdam tanquam a Boëthio scriptas proferebant, cum essent a se confictæ. Dicebant etiam, Boëthium ob ambitum dignitatis conscientiam suam sacrilegio polluisse. Theodoricus autem Ostrogothorum Rex, qui hactenus, etsi ab Ecclesiæ sententia dissideret in arti-

culo de Sancta Trinitate, æquum se atque humanum Orthodoxis præbuerat, ab hoc inde tempore cœpit ingenium a clementia ad crudelitatem, et ab humanitate consueta ad barbariem tyrannidemque transferre, sive blandientis fortunæ aurâ elatus, sive odio eorum quos intelligebat a sua sententia in religione alienos, sive quod ab illis, prætextu religionis propagandæ, et oppugnandæ hæreseos, mutationem Reipublicæ metuebat. Tantum enim falsis accusationibus et fictis criminibus tribuit fidei, ut Boëthium, quo vix alius, sicut antea intelleximus, ipsi fuerat dilectior, etiam insontem condemnarit, et publicatis ejus bonis omnibus, Ticinum (quod posteriores Papiam vocaverunt) relegarit, quingentis, ut ipse conqueritur, ab Urbe passuum millibus. Ipse ait, se bonis omnibus pulsum, dignitatibus exutum, existimatione fœdatum, ob beneficium supplicium retulisse: et ob studium propensius in Senatum, morti proscriptionique damnatum fuisse.

In hoc carceris pædore, remotus a bibliotheca, pressus catenis, non fuit otiosus, neque dolori succubuit, sed medicinam petiit ex studiis sapientiæ, quæ sola animi ægritudinem lenire potest, et in summis malis sola est viri boni hæreditas. Primum ergo scripsit, ad exemplum Socratis, 'Apologiæ, vel defensionis suæ librum, contra falsas malevolorum accusationes:' id enim ipse indicat his verbis: 'Cujus rei seriem atque veritatem, ne latere posteros queat, stylo etiam memoriæque mandavi.' Scripsit quoque in eodem carcere 'ad Symmachum librum de S. Trinitate,' quo sententiam B. Augustini breviter expressit. Scripsit leniendo dolori suo 'libros istos quinque de Consolatione Philosophiæ.' Neque vero opus ille totum, prout instituerat, absolvit: habeo enim certissima argumenta quibus possum evincere, propositum Boëthio fuisse, ex doctrina quoque Christiana ea superioribus addere quibus ad considerationem æternæ vitæ animus humanus attolli posset. Nam primum, non est verisimile, partem istam a Christiano homine, mortem ob oculos habente, fuisse præteritam; eumque qui de S. Trinitate in carcere scripsit, consolatio-

nem in adversis non petiisse ex disciplina Christi, et doctrina rerum credendarum ac sperandarum libris sacris explicata: deinde, ipse philosophica ista proponens, pollicetur quædam altiora. ‘Hæc,’ inquit, ‘nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta quædam sunt. Nam quæ in profundum sese penetrent, cum tempestivum fuerit, exponam.’ Videsne, Nobilissime Juvenis, Sapientiam ipsi promittere majora quædam, et efficaciora? Adhæc, libro quarto Boëthius, Philosophiam compellans, eam vocat ‘veri præviam luminis:’ non igitur in parte illa statuit subsistere, sed progredi ulterius ad majus lumen. Jam, quod paulo post dicitur: ‘Decursis omnibus quæ præmittere necessarium puto, viam tibi quæ te domum revehat ostendam. Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam, ut, perturbatione depulsa, sospes in patriam, meo ductu, mea semita, meis etiam vehiculis revertaris.’ Nemo non videt, rerum tractandarum propositionem hisce verbis contineri. Promittit autem, se primum præmissurum quædam, postea se quædam subjuncturum. Quæ præmissurum se ait, habemus: alteram partem desideramus in qua erat ostensurus viam quæ hominem domum, id est in cælum, ducat; quæque pennas ipsius menti affixura erat, quibus se in altum posset tollere, atque ita sospes in patriam, hoc est cælum, reverti. Ex his apparet, libros istos nondum esse perfectos. Sed quid cesso valido et inconcussæ auctoritatis argumento idem probare? Initio libri quinti sic loquitur Boëthius de Philosophia: ‘Dixerat, orationisque cursum ad alia quædam tractanda et expedienda vertebat.’ Quænam? illa scilicet quæ ex Christianæ religionis mysteriis peti possunt; cum Boëthius sermonem injicit de Casu, de Libero arbitrio, et Concordia præscientiæ divinæ cum libertate arbitrii, quæ tractatio usque ad finem libri sese extendit. Sequitur igitur, nondum id quod docere instituerat, plene esse absolutum, sed desiderari partem illam quæ viam ad cælum monstrat, quæ ex sola Christi doctrina peti debet. Indicat hoc ipsum clarius postea Philosophia, cum ait: ‘Festino

debitum promissionis absolvere, viamque tibi qua in patriam eveharis, aperire. Hæc autem etsi perutilia cognitu, tamen a propositi nostri tramite paulisper aversa sunt; verendumque est ne deviis fatigatus, ad emetiendum rectum iter sufficere non possis.' Devia vocat disputationem de Casu, de Libertate arbitrii humani, et Concordia divinæ præscientiæ cum libertate arbitrii. Emensio autem recti itineris, et via quæ in patriam ducit, quam nos desideramus, erat futura pars illa propria Christianitatis in qua Philosophia ipsum per infamiam, accusationes, carceres, mortem, omniaque adversa duxisset ad vitam æternam, et beato Christi Servatoris, ac Prophetarum atque Apostolorum choro conjunxisset.

Neque vero quia Christi et Apostolorum non meminit in his libris Boëthius, propterea minus efficax Consolatio ejus videri debet, quandoquidem ea ipsa quæ dicuntur, vera, et scripturis divinis sunt congrua. Magis autem æstimanda est divina veritas ex ratione, quam ex verbis hoc aut illo modo prolatis. Ratio enim semper uniformis est, verba pro scribentis aut loquentis arbitrio mutari possunt. Joannes Sarisberiensis, vir, etiam cum de nugis scribit, gravissimus, 'Licet,' inquit, 'liber ille Verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur, non mediocris auctoritatis est, cum ad reprimendum quemlibet exulceratæ mentis dolorem congrua cuique medicamenta conficiat.'

Cetera, quæ ad Boëthii nostri in carcere Ticinensi agentis statum conditionemque pertinent, possunt intelligi ex sermone Philosophiæ ad Boëthium: 'Viget,' inquit, 'incolumis, illud pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer, et, quod vitæ pretio non segnis emeris, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, suarum securus, tuis ingemiscit injuriis. Vivit uxor, ingenio modesta, pudicitiae pudore præcellens, et, ut omnes ejus dotes breviter includam, patri similis. Vivit, inquam, tibi que tantum, vitæ hujus exosa, spiritum servat, et, (quo uno felicitatem minui tuam vel ipsa concesserim,) tui desiderio lacrymis ac dolore tabescit. Quid dicam liberos consulares, quorum jam, ut

in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii?' Atque hæc quidem ita sese habent. Nunc ea videamus quæ ad ipsius obitum faciunt.

Præerat in Oriente rebus humanis Justinus Imperator, ipse etiam ex gente Anicia, vocatus enim fuit Fl. Anicius Justinus; atque ita nomen ejus nummi referunt. Hunc necesse est cognatum fuisse nostro Boëthio. Proposuit autem Justinus edictum, ut Arianorum ecclesiæ ubique Catholicis cederent. Per id ægre tulit Theodoricus Italiæ Rex, quod et ipse Arianus esset, et toti sectæ faveret. Is idcirco Joannem Episcopum Romanum Constantinopolim misit, qui ipsius verbis Imperatorem Justinum moneret ut ereptas Arianis in Græcia et Asia ecclesias restitueret, neque ullum ipsis negotium facesseret; sin minus, se eadem omnia Catholicis in Italia illaturum quæ Arianis intelligeret in Asia omnique Græcia facta esse. Profectus ad Justinum Joannes Papa, non paruit Regis mandatis, sed, ex consilio et jussu Justini, quacumque iter fecit, ecclesias omnes sententiæ orthodoxæ consecravit. Itaque reversum Theodoricus Ravennam ad se evocavit, una cum Symmacho Boëthii socero: atque illic primum Joannem, tanquam reum majestatis, carceri inclusum, fame, siti, aliisque incommodis interemit: postea etiam Symmachum, ut conscium rerum adversus Arianos gestarum; ac tandem quoque Boëthium: quem ille Ticini, resecta in carcere cervice, occidi jussit, anno Christi DXXVI. qui Theodorici Regis fuit XXXIV. Justini Imperatoris nonus, Boëthii vitæ LXXI. Joannis Papæ ultimus, et Felicis primus. Ostenditur hodieque Ticini turris lateritia, in qua Boëthius detentus in vinculis fuit. Corpus ejus cives in templo B. Petri condidere, sub cælo aureo, sacello B. Augustini, qua parte in adytum templi ascensus incipit, estque ejus monumento insculptum hoc Epitaphium:

Mæoniæ et Latîæ linguæ clarissimus, et qui

Consul eram, hic perii, missus in exilium.

Sed quem mors rapuit, probitas evexit ad auras;

Et nunc fama viget maxima, vivet opus.

Nec superfuit diu Joanni, Symmacho, Boëthio, Theodorico; ipso enim illo anno mortuus est.

Post obitum ejus Amalisuenta, Theodorici filia, Athalarici mater, vidua Eutharici, omnes Boëthii statuas prostratas Romæ erexit, et hæredibus patrimonium incolume reddidit. Theodobatus quoque Rex, quem Amalisuenta soror ad regnum promoverat, Maximum quendam ex gente Anicia ad primiceriatus provehens dignitatem, ascivit in regiæ stirpis conjugem, ut est apud Cassiodorum lib. v. Epist. XI.

Denique quadringentis septuaginta post annis, hoc est, anno Christi CMXCVI. Otho III. Augustus, ossa Boëthii, sepulcro in quo eum in diem usque abdita jacuerant, educta, elevari, et in tumba marmorea exaltari fecit. In cujus rei memoriam Gerbertus, is qui Rhemensi Archiepiscopatu abdicato Episcopus Ravennas, ac tandem Pontifex Maximus assumpto nomine Silvestri II. factus est, hoc carmen eo tempore condidit:

Roma potens, dum jura suo declarat in orbe,
 Tu pater et patriæ lumen, Severine Boëthi,
 Consulis officio rerum disponis habenas,
 Infundis lumen studiis, et cedere nescis
 Græcorum ingeniis: sed mens divina coërcet
 Imperium mundi. Gladio bacchante Gothorum
 Libertas Romana perit. Tu Consul et exul
 Insignes titulos præclara morte relinquis.
 Nunc decus Imperii, summas qui prægravat artes,
 Tertius Otho sua dignum te judicat aula,
 Æternumque tui statuit monumenta laboris,
 Et bene promeritum meritis exornat honestis.

Exposui breviter, Nobilissime Juvenis, ea quæ de vita Fl. Anicii Manlii Torquati Severini Boëthii dicere habui. Superest ut de hoc opere pauca subjiciam. Sunt quidem omnes Boëthii libri graves et eruditi, sed in his de Consolatione Philosophiæ, nescio quomodo noster auctor seipsum vicerit. Ac puto homines quo sunt morti viciniore, eo

plus experiri in se divinitatis ; eoque communem vitæ ordinem egressos, majora dicere, facere, videre, cogitare, quam in omni vita acta fecerint ; quæ res ingens momentum habet ad probandam immortalitatem animorum. Boëthius igitur in carcere animum suum a rebus aliis omnibus abductum revocavit ad considerationem beatitudinis ; scripsitque Consolationem istam verbis sententiisque ita numerosam, ut nihil possit concipi elegantius. Accipe Julii Cæsaris Scaligeri iudicium, ex ipsius Hypercritico : ‘ Boëthii Severini ingenium, eruditio, ars, sapientia facile provocat omnes auctores, sive illi Græci sint, sive Latini. Sæculi barbaria ejus Oratio soluta deterior invenitur : at quæ libuit ludere in poësi, divina sane sunt : nihil illis cultius, nihil gravius : neque densitas sententiarum, venerationem, neque acumen abstulit candorem. Equidem censeo, paucos cum illo comparari posse. Valla docet eum Latine loqui : at Vallam Boëthius bene sapere.’

Forma libri est Dialogistica, non *μονοπρόσωπος* : et in Dialogo ipso non interloquuntur nudæ personæ, sed intercedit sæpe ipse Boëthius, narrans multa, et filo orationis suæ consuens atque contexens ea quæ a se, quæque a Philosophia disseruntur. Dictio est varia, modo soluta, modo pedibus astricta ; ipse Prosam vocat, et Metrum.

Libri sunt quinque. Primus habet querelam et lamentationem Boëthii, ex collatione status prioris cum præsentente.

II. Secundo libro applicat Philosophia leviora quædam fomenta, docetque, injuste Boëthium de fortuna queri.

III. Tertius liber certiora continet adversus animi ægritudinem remedia, et rejecta falsæ felicitatis specie, veram beatitudinem ostendit.

IV. Quartus docet, omnes malos infelices et imbecillos esse, bonos vero semper beatos et potentes, Deo cuncta regente. Hic agitur de Providentia et Fato ; doceturque, nullam esse fortunam malam.

V. Quintus est de Casu, de Libertate arbitrii, et Concordia libertatis cum præscientia divina.

Quibus si sextus accessisset de vita æterna, in quo ostendisset, ad vitam illam contendentibus ferenda esse multa adversa, exemplo Christi, Prophetarum, Apostolorum, haberemus plenam et consummatam adversus omnia hujus vitæ mala Consolationem.

Habes, Nobilissime Juvenis, ea quæ ad aureolum hunc Boëthii libellum præmittenda duxi. Hæc autem sub tuo nomine publice conspici volui, ut extaret aliquod mei in te affectus, amicitiaëque ab utroque avo, patreque insuper, et patruo, viris omni sæculorum memoria dignissimis, ad te usque cum vero cultu derivatæ, testimonium. Si jam hæc usui non sunt, proderunt forte olim. Non debet autem te offendere quod partes docendi Boëthius tribuat Philosophiæ; neque enim vel alienum est a Philosophiæ munere tractare res divinas; vel proprium ejus tractare tantum res profanas. Omnis veri consideratio pertinet ad Philosophum. Philosophatur Physicus de rebus naturalibus; Ethicus de moribus; Mathematicus de quantitibus; Metaphysicus de supernaturalibus; Theologus de rebus divinis. Nulla veri consideratio a Philosopho aliena, nulla non ejus propria est. Philosophatur Paulus, philosophantur Prophetæ: ipse etiam Dominus noster in divinis suis et salutaribus concionibus philosophatur.

Quæ cum ita sint, cogita, Philosophiam nostram, dum adversus animi ægritudinem remedia proponit, proprio suo fungi munere; et Boëthium nostrum æstima vel propter se, vel propter me, vel propter remedia adversus ancipites humanæ vitæ casus. Vale.

ANICII MANLII TORQUATI
SEVERINI BOETHII
VITA,
JUL. MARTIANO ROTA
SCRIPTORE.

ANICIUS SEVERINUS BOETHIUS, Romanus, et nobilitate majorum, et animi dotibus clarus, in ea tempora incidit quibus Italia a Barbaris oppressa tenebatur. Natus est enim non ita multis post annis quam ab Alarico Roma caperetur, floruitque Theodorici Regis tempestate. Theodoricus hic, a Zenone cum ingentibus copiis missus, ereptam Odoacri Italiam sibi vindicaverat; Ravennæque regni sede locata, cuncta pro libidine administrabat: quod videns Boëthius honestis disciplinis animum applicuit, id sibi tantum superesse intelligens quod homine libero dignum foret. Eruditus itaque Græcis et Latinis literis ab adolescentia cum esset, quædam primum ex Euclide transtulit, atque ita transtulit, ut et dimetiendi rationes, et alia quædam de suo adjungeret; ac quod nondum Aristotelis ætate reperi- tum fuerat, æquale circulo quadratum astruere docuerit. Arithmeticam postea, Nicomachum, non ut interpres, secutus, sed suo usus judicio, Latinis verbis reddidit. Et inde Musicam, perplexam et involutam disciplinam, ex optimis quibusque collegit: qua in re et Aristoxeni copiam, et Pythagoræ judicium expressit. Extat Theodorici Regis

ad Boëthium Epistola, quæ et Ptolemæi Syntaxin, et Archimedis Mechanicam ab eo Latinitate donatam affirmat. Verum præludia hæc fuisse crediderim eorum quæ vir tantus mente agitabat. Philosophiam enim Latinis literis illustrare constituerat, non ut Varro Stoicam, nec ut Tullius Academicam, sed eam quæ ceteras obscuravit, ab Aristotele invectam, et a tot præstantibus ingenio viris, ætate tam longa celebratam. Id ipse his verbis significat: 'Ego omne,' &c. [Vid. Bertii Præf. sup. p. 16.] Igitur Porphyrium, quem Victorinus Apher compendio transtulerat, explanavit, et eundem a se mox interpretatum novis rursus expositionibus illustravit. Prædicamentis manum admoverat, cum ecce Consul Romæ creatur: hoc ipse suis verbis significat: 'Etsi nos curæ,' &c. [Vid. Bertii Præf. sup. p. 15.] Hæc ille. Ex quibus illud etiam falsum esse convincitur quod aliqui memoriæ prodiderunt, Boëthium omnia, non pleraque, relegatum scripsisse. Ad consulatum autem juvenis pervenit favore principum civitatis: puerum enim a patre relictum curandum susceperant, quod et antiqua Manlii Torquati familia prognatum scirent, et novam Anicii proavi indolem perspectam in ipso haberent. Primo ejus consulatu, Rex Hunnorum et Italiæ, Odoacer, Phœba Rugorum duce victo captoque potitus est, sicuti Cassiodorus tradit; qui bis solum, cum Symmacho semel, ipsum in Consulibus nominat. Non solum autem dignitatem hanc ipse adeptus est, sed duos etiam filios suos, quod nunquam antea contigerat, Consules eodem tempore vidit, Patricium et Hypatium. Anno illo Boëthius in curia Theodoricum tum primum Romam accersitum, S. P. Q. R. nomine, magna facundia laudavit, et in circo duorum Consulum medius triumphale convivium multitudini exhibuit. Collegam in ultimo consulatu Symmachum socerum habuit; cum quo magistratum ita gessit, ut commune bonum privatis amicitiiis præferret. Accidit ut Paullini consularis opes regii satellites appetere: hominem ingenue tutatus est. Albinum falso Cyprianus accusavit: innocentem consularem virum ostendit. Acerba fames Campaniam urgebat, et acerbiorē cōemtionem

Tyranni procuratores indixerant: eam exigi Consul non sustinuit. Triguillam quoque regiæ domus præpositum multoties ab injuria dejecit, et Conigastum fortunas optimi cujusque insectantem compescuit. Hisce rebus factum est ut Regis indignationem incurreret, perditorumque delationibus in exilium pelleretur. Accusationis summa hæc fuit: Quod senatum læsæ majestatis accusaturum prohibuerit; quod ad Anastasium imperatorem literas miserit de recuperanda libertate. Delatores, perditis moribus homines tres extiterunt; Gaudentius et Opilio, tunc ob innumeras fraudes exilio damnati, Basiliusque, pridem a procuratione domus regiæ dejectus, obæratumque plurimum. Purgasset facile Severinus objecta crimina, si coram delatores arguendi facultas sibi a Theodorico data fuisset. Sed vel iratus oblatam sibi ultionis occasionem amittere, vel improbus a se excitatam calumniam dissolvere noluit. Absens itaque vir, et innocens, et grandis natu Boëthius, malorum conspiratione relegatus est; nec a bonis in patria retentus, Ticinum secessit, urbem in Insubribus positam, et sibi a tyranno præscriptam. In quam simul atque venit, quo posteris etiam innocentiam suam cognitam faceret, pulcherrimum illud de Consolatione volumen, Ciceronem imitatus, conscripsit. Nam sicut ille, quo filiæ desiderium levaret, de Animorum Immortalitate disceptans, Tulliam supervivere monstrat: ita Severinus de falso et vero Bono, deque Providentia disputat, et omnia voluntate divina mortalibus evenire declarat. Verum in eo opere Cicero carmen non attigit. Boëthius utramque orationem admiscet, atque ita admiscet, ut facile unicuique ostendat, ingenium sibi, quicquid tentasset, nunquam defuisse. Sed quid naturali Philosophia difficilius? quid Dialectica spinosius? at utramque disciplinam sic oratione sua pervagatus est, ut abditissima quæque cuivis prompta reddiderit. Neque vero selectum unum aliquod argumentum oratione consecutus est, sed Philosophiæ penetralia ingressus, ea Latinis hominibus primus reseravit quæ princeps Aristoteles de industria pluribus occultaverat. Qua in re optimos quosque consu-

luit : Theophrastum dico, Eudemum, Andronicum, Aspasium, Herminum, Alexandrum, Syrianum, Porphyrium, Themistium ; de quorum sententiis, tanquam honorarius arbiter, dijudicat. Attestatur hoc expositio in librum Aristotelis de Enuntiatione, tam prima duobus, quam secunda sex libris absoluta ; in quorum tertio cum de tribus contingentium modis se melius scripsisse dicat in libris Physicis, suspicandum reliquit, se Naturalem quoque Philosophiam enucleasse. Verum hactenus tam hi desiderantur commentarii, licet fuerint Tarvisium hinc nuper asportati, quam illi quos in Analyticen et Topicen emisit. Siquidem et hos ipse citat, et in Topica Ciceronis septem libros a se confectos profitetur, opus varium, difficile, eruditum, nec a quoquam antea quam a Victorino frustra tentatum. Platonis Dialogos ipse Latinos facturum se recepit, factos Cassiodorus asseverat. Mirarer quomodo tanta præstare potuerit, nisi divina illa in librum Aristotelis de Interpretatione commentaria biennio scirem ab eo confecta : quod tempus vix evolvendis tot expositoribus satis fuisse videtur, nedum eorum sententiis plerumque controversis, et dijudicandis, et eligendis, et accommodandis. Inter Peripateticos enim celebris est ferme nullus qui in hunc librum non scripserit : quod et magnopere quidem necessarius sit, et multa doctrina refertus, sed acumine sententiarum et verborum brevitate perobscurus. Commentabatur autem hæc quo tempore Theodoricus superatis Alpibus Clodoveium socerum Francorum Regem ingenti prælio profligavit. Ceterum Severinus non tantum in interpretando et exponendo Aristotele versatus est, sed pleraque etiam ipse veluti procreavit. Horum in numero sunt pulcherrimi illi quatuor de Differentiis Topicis libri, quibus Dialecticos locos a Rhetoricis dirimit ; et totidem alii de utroque Syllogismo, item de Divisione et Definitione singuli : nam qui ad Syllogismos Categoricalis introductorius inscribitur, titulum subornatum habet, cum libri Aristotelis de Enuntiatione vel breviarium sit, ut ipse appellat, vel certe idem quod primus de Categoricalis Syllogismis. Opus quoque de Scholastica disciplina, non

titulum modo, sed et elocutionem et inventionem mentitur: aliter enim Boëthius scripsisset si ea de re scribere voluisset. Sed ipsum mittamus, ac de Hebdomadibus aliquid potius in medium afferamus. Sunt autem Hebdomades opera septem partibus distributa; sicuti decem libris Decades, et novem Enneades. Hebdomadas Varro primus inscripsit, deinde hic ipse: ex quibus libellus de Substantiæ bono, et alius de Unitate et Uno sumtus est; reliqua aut edita non sunt, quod ea sibi, ut significare videtur, commentatus esset, aut ad nos usque non pervenerunt. Hebdomadas juvenis composuit, velut et de duabus naturis et una persona Christi. Hoc ut ita existimem, ejus verba faciunt: ‘Episcopus,’ inquit, ‘scriptor epistolæ tanquam valde necessarium cum præterire noluisset, e duabus naturis Christum consistere, et in duabus æqualiter, Catholicos credere, novitate dicti percussus, meditabar omnes animo quæstiones.’ Decretum hoc fuerat Concilio Chalcedone celebrato, illucque Leo Romanus Episcopus venerat: cujus Epistola Romam missa, cum postea nitentibus acephalis condemnatum jam dogma revocare, pluribus convocatis Romæ legeretur, nec satis jam quid decerneret intelligeretur, ansam Boëthio dedit eum librum componendi contra Nestorium, qui duabus naturis personas totidem adjungebat, et Eutychetem; qui unicam naturam et personam tuebatur. Ergo si quis ab Imperatore Leone, qui rejectam sub Martiano Nestorii et Eutychetis opinionem fovebat, ad Justinum usque supputet annos, paulo minus quinquaginta deprehendet; quibus de Boëthii Vita detractis, prima juventutis tempora relinquentur. Verum hæc ut libuerit quisque accipiat; illud certe non admittendum contenderim, Boëthium morte præventum Musicam non absolvisse. Nam quod objiciunt aliqui, titulos eorum quæ desunt adhuc superesse, id nos in contrariam sententiam potius trahit, absurdum esse existimantes, nondum conscriptis rebus velle nomen imponere. Quod si quid imperfectum Severinus reliquit, id ipse Theologiam fuisse censuerim: satis enim superque Philosophiam illustraverat. Itaque divina

restabant: et jam multum processerat, Augustinum secutus, ut ipse de Trinitate ad Symmachum scribens affirmat: ‘Vobis,’ inquit, ‘inspiciendum est, an ex beati Augustini scriptis semina rationum in nos venientia fructus aliquos intulerint.’ Ex quibus illud etiam conjicere possumus, cur nono demum anno Theodoricus Severinum et Symmachum necarit: an quia senex in opinionem Arii defecit, et inimicus adeo Catholicis evasit, ut eorum templa diruere in Italia voluerit, si Justinus Arianos in Asia non restitueret? Propugnatores autem sani dogmatis cum alias semper, tum præcipue eo tempore, Boëthius et Symmachus extiterunt. Quamobrem tyrannus coniectos in carcerem obtruncari jussit. Ticini incolæ semper a majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cum regius spiculator letale vulnus intulisset, utraque manu divulgum caput sustinuisse, interrogatumque a quonam se percussum existimaret, Ab impiis, respondisse; atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paulum expirasse. Extinctus divinos honores a nostris consecutus est, quod pro Catholicis contra perfidiam Arii mortem sustinuerit. Sunt qui scribant, ipsum antea Ravennam accersitum, Prætorioque Regis præpositum, mox cum aliquot senatoribus occisum: quod Symmacho potius convenire videtur. Turris enim lateritio lapide fabrefacta etiamnum Ticini monstratur, Boëthii carcer; sepulcrumque ejus in æde beati Augustini visitur, qua parte in adytum templi ascensus incipit, hoc Epitaphio incisum:

Mœonia et Latia lingua clarissimus, et qui

Consul eram, hic perii, missus in exilium.

Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras.

En nunc fama viget maxima, vivet opus.

[Vid. Præfat. Bertii supra p. 27.]

Circumfertur et aliud Elogium, quo sepulcrum ejus exornabatur antequam illic a Luitprando Longobardorum

Rege collocaretur. Ipsum, quia paucis multa continet ad
ejus vitam facientia, subjunximus :

Ecce Boëthus adest in cœlo magnus, et omni
Perspectus mundo, mirus habendus homo.
Qui Theodorico Regi delatus iniquo,
Ticini senium duxit in exilio.
In qua se moëstum solans dedit urbe libellum ;
Post ictus gladio, exiit e medio.

Hic finis viri clarissimi fuit, qui facundia, probitate,
doctrina, plurimum excelluit : ultimus omnium qui ex
antiquis Romanis aliquid literarum monumentis consecra-
rint ; primus omnium qui Aristotelicam disciplinam Lati-
nis literis illustrare cœperint ; tantæ apud posteros aucto-
ritatis, ut ab ejus sententiis nulla ferme sit provocatio.
Hujus morte magnam rem amisimus, et frustra a multis
postea tentatam, Platonis et Aristotelis concordiam, quam
utriusque Philosophiæ peritissimus et pollicitus fuerat, et
nisi vitam eripuissent improbi, præstare solus potuisset.
Ultio tamen paulo post insecuta est divinitus. Nam
cœnanti Theodorico cum piscis caput illatum esset, visus
est sibi Rex in eo videre Symmachi faciem inferius labrum
mordicus apprehendentem, torvisque oculis subinde mini-
tantem : eo spectaculo consternatus tyrannus in morbum
incidit, et, simulatque quod viderat id se vidisse confessus
est, expiravit. Ictu sanguinis mortuum sui divulgavit :
verum Amalисуента rei conscia, cum in regno successisset,
patris acta contra jus et fas decreta rescidit ; et Severini ac
Symmachi bona in fiscum redacta, eorum liberis restituit,
paucis annis antea quam Belisarius a Justiniano missus,
Italia Gothos omnes expulit. Porro Boëthii multi fuerunt :
primus Stoicus, de quo mentionem facit Diogenes in Zeno-
nis Vita : secundus Epicureus, quem Plutarchus in Convi-
viis introducit : tertius Cretensis, Aristotelis studiosus, et
vir consularis, a Galeno celebratus. Præter hos alii duo
fuerunt et Philosophi ambo et Peripatetici ; unus hic ipse,

de quo satis jam dictum est, Patricius Romanus; alter Græcus et antiquior, quem et hic ipse in Porphyrio, et Ammonius atque Simplicius ut Aristotelis interpretem agnoscunt. Fuerunt itidem et duo Symmachi, magnæ in literis existimationis uterque: primus Gratiani et Valentiniani temporibus; secundus Zenonis et Anastasii. Illius Epistolæ circumferuntur, crebraque de eo in Macrobbii Saturnalibus mentio habetur. Hujus nihil quidem extat: sed, ut Boëthii testimonium præteream, Priscianus Cæsariensis de ponderibus scribens, sic eum laudat, ut omnes omnium disciplinarum apices consecutus videretur.

TESTIMONIA VARIORUM
DE BOETHIO ET EJUS SCRIPTIS,
AB IPSA BOETHII ÆTATE AD NOSTRA USQUE TEMPORA,
NON INTERRUPTA SÆCULORUM SERIE,
CONTINUATA.

QUAMVIS non idem fuerit sæculorum, quæ a Boëthio ad nos usque fluxerunt, in literas amor, sæpiusque idcirco interrupta fuerit virorum literatorum memoria, singulari tamen Dei privilegio factum, ut sua sint quibuslibet his sæculis de meritis Boëthii testimonia. Præcipua seligemus.

QUINTUM SÆCULUM ;

Nimirum a nato notoque Boëthio ad annum Christi 500.

Priscianus Grammaticus, patria Cæsariensis, vir non solum in grammaticis et rhetoricis, verum etiam in philosophicis mathematicisque versatissimus, libro de ponderibus et mensuris, 'Boëthius,' inquit, 'probitatis et omnium scientiarum verticem attigit.'

SEXTUM SÆCULUM ;

Nimirum ab anno 500. ad an. 600.

I.

Ennodius, sive, ut quibusdam legitur, Evodius, Episcopus Ticinensis, vir cum stricta tum etiam soluta oratione

sua clarissimus libro septimo Epistolarum, Epistola decima tertia Boëthio, ‘Tu,’ inquit, ‘in me, emendatissime hominum, dignaris prædicare virtutes, quem in annis puerilibus, sine ætatis præjudicio, industria fecit antiquum: qui per diligentiam implet omne quod cogitur; cui inter vitæ exordia ludus est lectionis assiduitas, et deliciae sudor alienus. In cujus manibus duplicato igne rutilat, qua Veteres face fulserunt: nam quod vix majoribus circa extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in lumine.’

Ejusdem Episcopi, libro octavo Epistolarum, Epistola prima eidem Boëthio Consuli facta, ‘Optimæ spei plenus,’ inquit, ‘cui fautum cupio, ad curam officii epistolaris aspiro. Decet enim vestris fascibus hac Præfatione delibari; et inter purpuras possessoris luce crescentes, qualicumque non abstinere colloquio. Numquid solius doctrinæ beneficiis amor agnoscitur, nec fas esse credendum est, prodire in medium desideria rusticantis? Simplicius innotescunt vota nullo peritiæ velata præstigio. Ergo nos hoc sumus ore, quod pectore. Non amara præcordiorum delenificis possumus mutare sermonibus. Pudens laudator est, cui in concinnatione blandimenti dicenda mens suggerit. Deo ergo omnipotenti gratias, qui in vobis, dum vetera familiæ vestræ bona custodit, nova multiplicat; et quod plus est apice dignitatis, dignos facit esse culminibus. Redditur quidem vestræ gloria ista origini, sed quod est clarius, merito impetrante personæ. Fuerit in morem Veteribus, curulium celsitudinem campi sudore mercari, et contemptu lucis honorum luce fulgere; sed aliud genus virtutis quæritur, postquam præmium facta est Roma victorum. Noster candidatus post manifestam decertationem, debitum triumphum, dum nunquam viderit bella, sortitur. Judicio exigit laureas, et congregari non necessarium duxit armatis. Inter Ciceronis gladios et Demosthenis enituit, et utriusque propositi acumina, quasi natus in ipsa artium pace, collegit. Nemo dissonantiam Atticæ perfectionis metuat et Romanæ; nec præcipua gentium bona in societatem dubitet convenire. Unus es qui utrumque

complecteris, et quicquid viritim distributum poterat satis esse, avidus maximarum rerum possessor includis. Eloquentiam Veterum, dum imitaris, exsuperas. Dicendi formam doctissimis tribuis, dum requiris. Est apud me Epistolæ vestræ, quæ hujus rei fidem faciat, veneranda compositio. Utinam quæ a vobis diriguntur, tam essent crebra quam suavia! Dicatis forsitan, Par fuit propinquum laudare, in commune augmentum laborantem: quia non est proprium, quod quasi singulariter videtur palmata conferre. Venit ad me equidem portio de curuli; sed si mihi conceditis, plus erigor de genio et studiis sublimati. Interdum accesserunt ista de casibus, soli contigerunt illa virtuti. Prope inops ad scipionem adducitur suffragii Consularis, qui tantum de parentibus gloriatur. Tibi utrumque in peculio est, Latiaris scientia, et vena purpurarum.'

II.

Cassiodorus, qui intelligentiam sacrorum cum notione profanorum, utramque cum summa sanctitate conjunxit, nomine Regis Theodorici, cujus Cancellarius erat, plures ad Boëthium misit Epistolas. Una est quadragesima quinta libri primi Epistolarum Cassiodori, sicque effertur, 'Boëthio viro illustri Patricio Theodoricus Rex.

'Spernenda non sunt, quæ a vicinis Regibus præsumptionis gratia postulantur: dum plerumque res parvæ plus prævalent præstare, quam magnæ possunt obtinere divitiæ. Frequenter enim quod arma explere nequeunt, oblectamina suavitatis imponunt. Sit ergo pro Republica et cum ludere videmur: nam ideo voluptuosa quærimus, ut per ipsa, seria compleamus. Burgundionum dominus, &c. lumine cognovisti: [Vid. Præfat. Bertii sup. p. 19.] cui ardua nosse usus miracula, monstrare propositum est, molitur ostendere, quod obstupescant homines evenisse: miroque modo naturis conversis facti detrahit fidem, cum ostendet ex oculis visionem. Facit aquas ex imo surgentes, præcipites cadere; ignem ponderibus currere, organa extraneis vocibus insonare; et peregrinis flatibus calamos

complet, ut musica possint arte cantare. Videmus per eam defensiones jam nutantium civitatum subito tali firmitate consurgere, ut machinamentorum auxiliis superior reddatur, qui desperatus viribus invenitur. Madentes fabricæ in aqua marina siccantur: dura cum fuerint ingeniosa dispositione solvuntur: metalla mugiunt: Diomedis in ære grues buccinant: æneus anguis insibilat: aves simulate fritinniunt; et quæ propriam vocem nesciunt, ab ære dulcedinem probantur emittere cantilenæ. Parva de illa referimus, cui cœlum imitari fas est. Hæc enim fecit secundum Solem in Archimedis sphæra decurrere: hæc alterum zodiacum circulum humano consilio fabricavit. Hæc Lunam defectu suo reparabilem artis illuminatione monstravit: parvamque machinam, gravidam Mundo, cœlum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ, ad speciem ætheris incomprehensibili mobilitate volutavit. Sic astra, quorum licet cursum sciamus, fallentibus tamen oculis, prodire non cernemus. Stans quidam in illis transitus est: et quæ velociter currere vera ratione cognoscis, se movere non respicis. Quale est, hoc homini etiam facere, quod vel intellexisse potest esse mirabile? Quare cum vos ornet talium rerum prædicanda notitia, horologia nobis, publicis expensis, sine vestro dispendio, destinate. Primum sit, ubi stylus diei index per umbram exiguam horas consuevit ostendere. Radius itaque immobilis et parvus, peragens quod tam miranda magnitudo Solis discurrit, et fugam Solis æquiparat, quod motum semper ignorat. Inviderent talibus si astra sentirent, et meatum suum fortasse deflecterent, ne tali ludibrio subjacerent. Ubi est illud horarum de lumine venientium, singulare miraculum, si has et umbra demonstrat? Ubi prædicabilis indefecta rotatio, si hoc et metalla peragunt, quæ situ perpetuo continentur? O artis inæstimabilis virtus, quæ dum se dicit ludere, naturæ prævalet secreta vulgare. Secundum sit, ubi præter Solis radios hora dignoscitur, noctes in partes dividens: quod ut nihil deberet astris, rationem cœli ad aquarum potius fluenta convertit: quorum motibus ostendit,

quod cœlo volvitur: et audaci præsumptione concepta ars elementis confert, quod originis conditio denegavit, universæ disciplinæ cunctus prudentium labor naturæ potentiam, ut tantum possint nosse, perquirat. Mechanisma solum est, quod illam ex contrariis appetit imitari: et si fas est dicere in quibusdam etiam nititur velle superare. Hoc enim fecisse dignoscitur Dædalum volare. Hoc ferreum Cupidinem in Dianæ templo sine aliqua alligatione pendere. Hoc hodie facit muta cantare, insensata vivere, immobilia moveri. Mechanicus, si fas est dicere, pæne socius est naturæ; occulta reserans; manifesta convertens, miraculis ludens; ita pulchre simulans, ut quod compositum non ambigitur, veritas æstimetur. Hæc quia studiosius,' &c. [Vid. Præfat. Bertii sup. p. 19.]

Altera Epistola ejusdem Cassiodori est quadragesima libri secundi, quæ sic se habet.

‘ Boëthio Patricio Theodoricus Rex.

‘ Cum Rex Francorum, &c. attingere. [Vid. Bertii Præf. sup. p. 20.] Quid enim illa præstantius, quæ cœli machinam sonora dulcedine modulatur, et naturæ convenientiam ubique dispersam virtutis suæ gratia comprehendit?’ Et paulo post: ‘ Sed quoniam nobis facta est voluptuosa digressio (quia semper gratum est de doctrina colloqui cum peritis) citharœdum, quem a nobis diximus postulatum sapientia vestra eligat præsentis tempore meliorem, facturum aliquid Orphei, cum dulci sono gentilium fera corda domuerit. Et quantæ nobis gratiæ fuerint actæ, tantæ vobis ex nostra æquabili compensatione referentur, qui et imperio nostro pareatis, et quod vos clarificare possit efficitis.’

Idem Cassiodorus ad finem libri Dialecticæ de eodem Boëthio ita loquitur. ‘ Illud,’ inquit, ‘ competens judicavimus recapitulare breviter, quorum labore in Latium eloquium res istæ pervenerint: ut nec auctoribus gloria sua pereat; nobis plenissime rei veritas innotescat. Isagogen transtulit Patricius Boëthius, commentaque ejus gemina derelinquens. Categorias idem transtulit Patricius Boëthius, cujus commenta tribus libris ipse quoque formavit: Peri

hermenias supra memoratus Patricius Boëthius transtulit in Latinum, cujus commenta ipse duplicia minutissima disputatione tractavit . . . Supra memoratus Patricius Boëthius de Syllogismis Hypotheticis lucidissime pertractavit,' &c.

III.

Procopius, Cæsariensis ex Palæstina, rhetor et sophista, inter varias suas historias scripsit de bello Gothorum libros tres, in quorum primo quod Græce dixit de Boëthio sic Latine redditur.

‘Symmachus et ejus gener Boëthius Patricii, alto majorum sanguine, principes vero Senatus Romani, et Consules fuere, philosophiæ et æquitati supra ceteros mortales studuerant, multisque egenis, tum Romanorum tum externorum, opibus suis subvenere. Hi, ad ingentem gloriam evecti, deterrimos quosque in sui invidiam concitarunt: quibus delatoribus Theodoricus Rex persuasus, viros clarissimos perinde ac res novas molientes occidit, eorumque bona omnia publicavit. Sed paucis post diebus cœnanti illi cum ingentis piscis caput ministri apposuissent, illud Theodorico visum est caput esse Symmachi nuper occisi, dentibus quidem in inferius labrum impactis, oculis vero torve et furibunde intuentibus minari sibi plurimum videbatur. Unde prodigii novitate perterritus, membrisque præter modum tremebundus et horrens, in lectum citato gradu se recepit, identidemque sibi togarum vim magnam ingeri jubendo paulum quievit. Elpidio deinde medico omnibus, quemadmodum accidissent, explicatis, in Symmachum Boëthiumque patratum a se scelus deflebat: quo denique deplorato ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longe post moritur: cum primum hoc et ultimum injuriæ exemplum in sibi subjectos idcirco exercuisset, quia non, uti consueverat, diligenter pervestigata causa, in tantos viros animadverterat.’

Idem auctor libro tertio prædictæ historiæ de uxore Boëthii superstite locutus hæc ait: ‘Unde vel Rusticianæ,

Boëthii quondam uxori, et Symmachi filiæ, id reliquum fuit ad vitam et ad miseriarum cumulum, ut servili et rustico habitu induta, quæ egentibus facultates suas erogaverat, panem ceteraque ad victum necessaria ab hostibus mendicaret: domos enim circumeundo foresque oppulsando, cibum dari sibi suppliciter precabatur, nil prorsus huic ignominiaë ea re afferente. Et certe Gothi in Rusticianæ mortem conspiraverant, illi objicientes quod, exercitus Romani ducibus pecunias largiens, Theodorici statuas disturbasset, cædem Symmachi patris Boëthiique mariti ulta. Totilas tamen nulla hanc affici injuria permisit, sed eam aliasque omnes ab contumelia immunes conservavit.

SEPTIMUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 600. ad an. 700.

Beda, Venerabilis dictus propter vitæ sanctitatem morumque gravitatem, tanti fecit Boëthium, ejusque doctrinam, ut commentarios scripserit in Boëthii librum de Trinitate. De eodem Boëthio honorate et honorifice multa passim hic auctor prædicat.

OCTAVUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 700. ad an. 800.

Paulus Diaconus, qui rogatu Adelburgæ filiæ Desiderii Regis multa ad Eutropii historiam addidit, libro septimo hujus appendicis, postquam dixisset Joannem Papam, Theodorum, Importunum, et Agapitum, consulares viros, aliumque Agapitum Patricium ad Justinum Legatos in itinere demoratos fuisse, addit: ‘Theodoricus rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachum exconsulem ac Patricium, et Boëthium seniore et exconsulem, Catholicos viros, gladio trucidavit.’

NONUM SÆCULUM ;

Nimirum ab anno 800. ad an. 900.

I.

Ado, Viennensis Archiepiscopus, qui breviarium Chronicorum ab origine Mundi ad sua usque tempora productum composuit, loquens de Joanne Summo Pontifice ait: ‘Cum rediens Ravennam venisset, Theodoricus eum cum comitibus ceteris carceris afflictione peremit, invidia ductus, quia Catholicæ pietatis defensor Justinus eum honorifice suscepisset. Quo tempore Symmachum atque Boëthium consulares viros pro Catholica pietate idem Theodoricus occidit.’

II.

Anastasius, Apostolicæ bibliothecæ custos et instaurator, qui propterea dicitur Bibliothecarius, in sua Pontificum Historia ad Joannem I. hæc de Boëthio scribit: ‘Eodem,’ inquit, ‘tempore, cum hi suprascripti, id est, Papa Joannes cum Senatoribus, Theodoro exconsule, Importuno exconsule, Agapito exconsule, (Agapito Patricio defuncto Thesalonicae,) positi essent Constantinopoli, Theodoricus Rex hæreticus tenuit duos Senatores præclaros et exconsules, Symmachum et Boëthium, et occidit interficiens gladio.’

DECIMUM SÆCULUM ;

Nimirum ab anno 900. ad an. 1000.

Cum ossa Boëthii multis abhinc sæculis jacerent neglectu temporum minus honorata, Otho tertius Imperator eadem marmore includi jussit: inscripto elogio, quod composuit Gerbertus Ravennas Archiepiscopus, Magister olim Augusti, is qui Summus Pontifex creatus, Sylvester secundus dictus est, quique non secus ac Boëthius

ob exquisitam reconditarum rerum scientiam Magus falso est habitus ab imperitis. Elogium autem illud his verbis expressit,

‘Roma potens,’ &c. [vid. Præfat. Bertii sup. p. 28.]

UNDECIMUM SÆCULUM ;

Nimirum ab anno 1000. ad an. 1100.

I.

Sigebertus Monachus Gemblacensis, ordinis S. Benedicti, qui inter historicos non ultimum locum habet, in suo de Scriptoribus Illustribus opere, dubitat, num Boëthius conferendus, an præferendus philosophis et sæcularibus et Ecclesiasticis. ‘Boëthius,’ inquit cap. 37. ‘vir consularis, conferendus, vel præferendus philosophis et sæcularibus et Ecclesiasticis; quia nos ambiguos esse facit, an inter sæculares, an inter Ecclesiasticos scriptores fuerit illustrior? Laudent eum sæculares, quod Isagogas, quod Peri hermenias, quod Categorias transtulerit de Græco in Latinum, et exposuerit; quod Topica Ciceronis exposuerit, quod antepredicamenta, quod libros de topicis differentiis, de cognitione Dialecticæ et Rhetoricæ, et distinctione rhetoricorum locorum, de communi prædicatione potestatis et possibilitatis, de Categoricalis et Hypotheticis Syllogismis libros, et alia multa scripserit, quod Arithmeticam et Musicam Latinis scripserit. Nos Ecclesiastici laudamus eum, quod librum de Sancta Trinitate scripserit, quod exiliatus a Theodorico Gothorum et Italarum Rege, pro eo quod tueri volebat libertatem Romanæ urbis, scripsit librum de Consolatione Philosophiæ. Hic ab eodem Rege Theodorico occisus est.

II.

Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter in Chron. ‘Boëthius,’ ait, ‘Patricius vel Consul scripsit librum de Sancta Trinitate, et alium de Consolatione, et quadrivium de Græco transtulit, id est Arithmeticam, Musicam, Geo-

metriam, Astronomiam. Dialecticam vero explanavit. A Theodorico Gothorum Rege Mediolani interficitur.'

DUODECIMUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 1100. ad 1200.

I.

Joannes Saresberiensis, natione Anglus, Episcopus Carnotensis, qui inter alia opera scripsit polycraticum, sive de nugis curialium et vestigiis philosophorum, in hoc eodem opere, libro septimo, capite decimo quinto, hunc Boëthii librum de Consolatione Philosophiæ plurimum commendat. 'Si,' inquit, 'mihi non credis, liber de Consolatione Philosophiæ revolvatur attentius, et planum erit hæc in contrarium cedere. Et licet liber ille Verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos, qui ratione nituntur, non mediocris auctoritatis est; cum ad reprimendum quemlibet exulceratæ mentis dolorem congrua cuique medicamenta conficiat. Nec Judæus quidem nec Græcus sub prætextu religionis medicinæ declinet usum, cum sapientibus in fide et in perfidia desipientibus sic vividæ rationis confectio proficiat artificiosa, ut nulla religio quod miscet abominari audeat, nisi quis rationis expers est. Sine difficultate profundus est in sententiis, in verbis sine levitate conspicuus, orator vehemens, efficax demonstrator. Ad id quod sequendum est, nunc prolabitur suadens, nunc quasi stimulo necessitatis impellens.'

II.

Huic addi potest auctor libri de Spiritu et Anima, qui inter opera S. Augustini refertur: si tamen vera est conjectura Vincentii in Speculo historiali, et Abbatis Trithemii, qui asserunt hunc auctorem esse Hugonem a Sancto Victore, quippe qui florebat anno Christi 1130. hic enim auctor, quisquis sit, non solum ducit honori referre cogitationes et verba Boëthii capite undecimo dicens: 'Mens nunc caput summis inscribit, nunc desidit in infima,' et

cetera quæ habentur Metro IV. libri quinti Consolationis Philosophiæ; sed capite trigesimo septimo ejusdem Boëthii auctoritate utitur: 'Boëthius,' inquit, 'dicit intelligentiam solius Dei esse admodum paucorum hominum.'

DECIMUM-TERTIUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 1200. ad an. 1300.

Sanctus Thomas, omni nostra prædicatione major, mirum in modum commendat merita Boëthii, non quidem suis in libros de Consolatione Philosophica commentariis, siquidem hæc, ut probavimus, germana non sunt Sancti Thomæ opera, sed sua potius frequenti hujus auctoris laudatione, qua Boëthium æquans summis Ecclesiæ doctoribus, ejusdem auctoritate utitur ad faciendam fidem. Sic I. p. q. 10. a. 1. æternitatis definitionem, quam ipse dicit a Boëthio positam, ceteris posthabitis, particulatim explicat: 'Æternitas,' inquit, 'est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio, ut habetur v. de Consol. Prosa II. circa principium.' Sic q. 29. ejusdem partis in argumento 'sed contra,' affert personæ definitionem quam dicit esse Boëthii lib. de duab. Nat. hancque particulatim exponit: 'Persona,' inquit, 'est rationalis naturæ individua substantia.' Et sic de ceteris.

DECIMUM-QUARTUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 1300. ad an. 1400.

I.

Philippus Pulcher, Francorum Rex, ut refert Petrus Bertius Præfatione in libros Boëthii de Consol. tanti fecit hos Consolationis Philosophicæ libros, ut quamvis ipse Latine intelligeret, tamen pro beneficio habuerit, quod ipsi Joannes Magdunensis, poëta, ut tunc ferebant tempora, eruditus, eos Gallice a se redditos inscripsisset. Asservatur

ejus Operis exemplar adhuc hodie Lutetiæ in Bibliotheca Augustinianorum.

II.

Maximus Planudes, Monachus Constantinopolitanus, nihil moratus superbam Græcorum consuetudinem, qui Latinos libros Græce reddere non solent, tanti habuit libros Boëthii de Consolatione Philosophiæ, illos ut Græco sermone fuerit interpretatus. Et hoc exemplar servatur in Bibliotheca Regis.

DECIMUM-QUINTUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 1400. ad an. 1500.

I.

Laurentius Valla, Patricius Romanus, vir ipse eruditissimus, non modo ait, Boëthium Latine loqui, quemadmodum refert Julius Scaliger, verum eundem Boëthium vocat eruditorum ultimum, Præfatione in libros suos Dialecticos. ‘Nec,’ inquit, ‘aliter sentit eruditorum ultimus Boëthius, magis, ut mihi videtur, Platonius, quam Aristotelicus: quos auctores parum inter se distare docturum se quodam loco promisit.’

II.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Ordinis Prædicatorum, 2. parte Histor. Titul. xi. cap. 2. §. 4. de Boëthio honorificentissime scripsit. ‘Cum,’ inquit, ‘Theodoricus, Rex Gothorum, Rempublicam in Italia opprimeret temporibus prioribus, Boëthius, senator clarissimus, ut infra dicitur de sapientia ejus, amator Reipublicæ, in multis Regi se pro justitia opponebat, cumque et propter generis nobilitatem et eloquentiam apud omnes de eo magna esset opinio, etiam ab ipso Rege timebatur: quare, ut creditur, subornatis quibusdam ut ipsum crimine læsæ majestatis accusarent, dixerunt quod ipse prodita civitate Romana Anastasium principem in Italiam evocaverat, ut Rempublicam de manu Theodorici liberaret: quamobrem sumta

occasione ipsum cum quibusdam aliis Romanis nobilibus apud Papiam exilio relegavit, ubi in carcere positus librum de Philosophiæ Consolatione scripsit: ubi demum ab eo interficitur.'

Et capite 15. citans Sigebertum, 'Eo tempore,' inquit, 'Symmachus Patricius Rempublicam Romanam illustravit, et cum eo gener ejus Boëthius, vir consularis, conspicuus in utraque lingua, eruditione omnium artium liberalium, quas pæne omnes e Græco in Latinum transtulit eloquium.'

III.

Jacobus Philippus Bergomensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in Supplem. Chronic. ad ann. Christi 500. 'Boëthius,' inquit, 'Anicius Manilius Severinus, Christianissimus vir, et consulari dignitate insignitus, poëtaque ac philosophus celeberrimus, Symmachique Patricii gener, iisdem temporibus Romæ clarissimus fuit. Hunc quidam Manilium vocant, eo quod a Manilio Torquato originem duxisse tradant. Qui cum vere Catholicus esset, nec Arianis etiam persæpe rogatus obtemperare vellet, et ipse a Theodorico Rege sub velamento affectatæ libertatis post socerum suum Ticini exulare jubetur, et postmodum instigantibus hæreticis perpetuo carceri damnatur: in qua quidem calamitate constitutus, ad recreandum animum suum, cum in mathematicis doctissimus esset, Chiterinum e nervo primus excogitavit et excidit, quod quidem, modernis temporibus, musicis celebre instrumentum habetur. Ibidem quoque constitutus ad multorum utilitatem præclarissima atque innumerabilia quasi edidit opuscula, et quæ ad manus devenere hæc ipsa sunt.' Et postea: 'Hunc denique virum optimum et sanctum Theodoricus Rex, cum in sententiam suam omnino flecti non posset, Arianorum rabie concitatus, post longum carceris squalorem, imperante Justino seniore Augusto, anno scilicet Domini nostri 520. apud Papiam pro Catholica fide occidi jussit: cujus corpus ibidem in Divi Augustini templo adhuc habetur conditum. Et sunt

qui dicant eum in Catalogo Sanctorum eam ob rem fuisse relatum, et Sanctum Severinum vocitatum.'

IV.

Hermolaus Barbarus, Patricius Venetus, Archiepiscopus et Patriarcha Aquilegiensis, in sua Præfatione quam habuit, cum libros Aristotelis domi cœpit prælegere, 'Qui,' inquit, 'putant, hunc aditum patere nemini, qui Scholas illas Philosophiæ nunquam intraverit, in magno versantur errore: quandoquidem tales Scholas nec Marcus Varro, nec Brutus, nec Plancius, nec Chalcidius, nec Boëthius ingressi: non Alexander, non Themistius, non Porphyrius, non Iamblichus, non Simplicius, philosophi tamen eminentissimi, et Aristotelis interpretes juratissimi fuere.'

V.

Angelus Politianus, qui, excellens cum poëta tum orator, multa tam Græce quam Latine edidit opera, in suis Miscellaneis cap. 1. de Boëthio sic loquitur: 'Quis Boëthio vel in Dialecticis acutior? vel subtilior in Mathematicis? vel in Philosophia locupletior? vel in Theologia sublimior? Quem tanti juniores etiam Philosophi longe (arbitror) omnium perspicacissimi fecerunt, ut Aquinatem Thomam, divum hominem, Magnumque illum Thomæ præceptorem (Deus bone, quos viros!) habere meruerit enarratores: nimirum in his, inquit Vallinus, quæ S. Thomas in Boëthii libros de Trinitate et de Hebdomadibus scripsit; quod commentaria in libros Boëthii de Consolatione Philosophiæ, quæ vulgo Sancto Thomæ tribuuntur, hujus sanctissimi doctoris non sint.

DECIMUM-SEXTUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 1500. ad an. 1600.

Joannes Tritenhemius, Abbas Spanheimensis, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, 'Boëthius,' inquit, 'Man-

lius Severinus, Consul ordinarius Romæ, Philosophus, Orator, et Poëta insignis, in divinis scripturis doctus, et in sæcularibus literis omnium suo tempore eruditissimus, gener Symmachi Patricii fuit. Vir Græco et Latino copiosissime imbutus eloquio, quippe qui multa volumina tam Aristotelis quam aliorum Philosophorum de Attica lingua transtulerit in Latinam; ingenio subtilis, sensu promptus, atque Catholicus; sermone nec Tullio inferior; quem Sancti Benedicti constat amicitiam habuisse, et in monte Cassino cum Tertullio, Placidi Monachi patre, senatore, in ejus mensa comedisse. Scripsit multa præclara volumina, de quibus ego repperi subjecta:

Ad Symmachum Socerum suum Romanæ urbis Patricium de Sancta Trinitate lib. I. incipit: 'Investigatam diutiss.' &c.

De Unitate Trinitatis lib. I. incipit: 'Quæro an Pater et Filius,' &c.

De duabus naturis in Christo lib. I. 'Anxie te quidem,' &c.

De fide ad Joan. Diaconum lib. I. 'Christianam fidem novi.'

De Unitate et Uno lib. I. 'Unitas est qua,' &c.

De Eisagogis Porphyrii lib. II. 'Hyemantis anni temp.'

In secundam ejusdem editionem lib. I. 'Secundus hic.'

In Categorias Aristotelis lib. II. 'Expeditis his,' &c.

In Perihermenias ejusdem lib. I. 'Magna quidem libri.'

In editionem ejusdem secundam lib. VI. 'Alexander in.'

De Divisionibus lib. I. 'Quam magnos studiosos.'

De Definitionibus lib. I. 'Dicendi ac disputandi.'

Ad Categoricalos Syllogismos Introduct. lib. I. 'Multa veteres Philosophi.'

In Topica Ciceronis lib. VI. 'Exhortatione tua,' &c.

De Differentiis Topicis lib. IV. 'Omnis ratio disserendi.'

De Syllogismo Categoricalo lib. II. 'Multa Græci veteres.'

De Syllogismo Hypothetico lib. II. 'Cum in omnibus.'

De Hebdomadibus lib. I. 'Postulas ut ex hebdom.'

De Arithmetica lib. II. 'Inter omnes priscae.'

De Musica lib. v. ‘Omnium quidem perceptio.’

De Philosophica Consolatione lib. v. ‘Carmina qui quondam.’

In Geometricam Euclidis lib. III. ‘Qui vero, mi Patriti.’

De Disciplina Scholarium, ut aliqui volunt, lib. I. ‘Vestra.’ Indignus est ille liber, qui tanto viro tribuatur, nec etiam docti hunc Boëthio tribuunt.

De Locis Rhetoricis lib. I.

De Prædicatione Potestatis lib. I.

Epistolarum ad Diversos lib. I.

Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur: sed ad notitiam meam non venerunt. Moritur eodem anno, quo Symmachus Patricius, et Joannes Papa sub Anastasio Imperatore, jussu Theodorici Regis ad Ravennam post diuturnum exilium in carcere jugulatus, Anno Domini DXXIV. Indict. 2. et sub nomine Severini Catalogo Sanctorum insertus dicitur.’

II.

Julius Cæsar Scaliger, vir in Republica literaria celeberrimus, Boëthium sæpissime laudat: ut in Hypercritico, ‘Boëthii Severini,’ inquit, ‘ingenium,’ &c. [Vid. Præfat. Bertii sup. p. 29.] Hinc idem Scaliger de eodem Boëthio canit, in Divis :

Divinæ enumeres ingentia semina mentis :

Dotibus accedant Curia, lingua, lares.

Haud satis est: appone polum, pars esse Boëthi

Cœperit: at nondum munera tota capis.

III.

Lilius Gregorius Gyraldus, etiam inter doctos notissimus, Boëthium pariter summis laudibus extollit, de Poëtar. Histor. Dial. 5. ‘Sed,’ inquit, ‘hujus ætatis alios afferamus, quos inter Boëthius Anicius Manlius Severinus, Romanus Patricius et exconsul, qui a nostris plerisque in Martyrum Catalogo ascribitur. Hic cum Symmacho, et

ipso Patricio, Boëthii, ut plerique omnes tradunt, socero, a Theodorico, Gothorum Rege, primum Ticinum relegati, deinde necati sunt, quod in libertatem populum Romanum viderentur velle vindicare. Fuit Boëthius, ut scitis, in omni disciplina egregie doctus, quod vobis liquido ex ejus monumentis constare potest. Sed quod ad præsentem materiam attinet, in pangendis versibus mira usus est facilitate. De illo plura colligere supervacaneum, quando ejus volumina nota sunt omnibus. Ejus certe ingenium ad eas artes, quæ supra literas sunt, mirum in modum celebratur ab ejus occisore Theodorico Rege.'

IV.

Magdeburgenses, Centuria 6. cap. 10. de Episcopis et doctoribus, 'Boëthius,' inquit, 'Anicius Manlius Severinus, Patricius et Consul, vir Græce et Latine doctissimus fuit, et multos in Philosophia aliisque disciplinis, tum soluta tum ligata oratione conscriptos, libros posteris reliquit.'

V.

Justus Lipsius, qui, cum ob eximiam suam doctrinam, tum maxime ob ingenuum animi candorem, doctis pariter ac probis omnibus colitur, non solum laudat Boëthium in Civili sua Doctrina aliisque suis operibus, sed scribens ad Janum Bernartium cognatum suum, de Consolatione ab hoc illustrata et emendata, hos protulit Phaleucos :

En Boëthius ille, qui sophorum
 In primis sophus esse gloriatur :
 Qui doctum nimis, et satis disertum
 Scriptum hoc edidit, omnium bonorum
 Bonum judicio. Sed id tenebras
 Ævo aut ingenio suoapte habebat ;
 Quas Bernartius ille, flos meorum
 Belgarum, pepulit, facemque claram
 A se prætulit : hanc sequere, quisquis
 Doctrinæ sapientiæque cultor
 Non audire, sed esse, concupiscis.

DECIMUM-SEPTIMUM SÆCULUM;

Nimirum ab anno 1600. ad hanc nostram ætatem 1679.†

Infinitior sim, si quæ hoc nostro sæculo in laudem Boëthii dicta sunt, hæc omnia recensendo enumerare velim; nullus enim est aut historiographus, aut theologus, qui de illustrissimo illo auctore non fuerit ornate et honorifice locutus. Consule, si placet, Baronium Annal. Ecclesiast. T. VII. ad an. 522. D. Petrum a sancto Romualdo in Thesouro Chronologico T. II. ad an. 510. aliosque omnes historiographos: vide reverendum Patrem Caussinum in libro quem inscripsit *la Cour Sainte*, ubi proponendo ideam viri quem vocat *homme d'état*, pluribus agit de nobilitate, de doctrina, de consiliis, de morte Boëthii. Lege etiam, si lubet, Gerardum Joannem Vossium de Poëtis Latinis cap. 5. ‘Quibus,’ inquit, ‘temporibus in Oriente Zeno, posteaque Anastasius, in Italia Odoacer, et exinde Theodoricus rexit, claruit Anicius Manlius Boëthius Severinus, vir Latine et Græce doctissimus, in omni disciplinarum genere excellens, quoque Roma a Varronis temporibus non haberit undecumque doctiorem. Quantum idem carmine valuerit, ostendunt libri quinque de Consolatione Philosophiæ, quos exul Ticini scripsit. Omnino nihil in poësi venustius habuit illud ævum, vel etiam quod proxime antecessit.’

† Hæc Testimonia, scilicet, ex ed. Delph. desumta sunt.

ANICII MANLII TORQUATI
SEVERINI BOETHII
DE CONSOLATIONE
PHILOSOPHIÆ

LIBER I.

METRUM I.

CARMINA ^a qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu, moestos cogor inire modos.^b

Ego, qui olim perfecì poëmata, dum studia mea florerent, heu, ipse afflictus

NOTÆ

^a *Carmina*] Carmen a canendo dictum : ut, sicut, auctore Vossio, a ‘germinen’ est ‘germen,’ sic a ‘canimen’ sit ‘carmen,’ *n* in *r* converso, quemadmodum in pluribus aliis. Hinc Carmen est stricta oratio, ex pluribus versibus composita, quam Poëtæ canere dicuntur : sicut Virgilius *Æneida* incipiens ait, ‘Arma virumque cano :’ Carmen enim vocatur longius quoddam vatis opus : ut Epigramma ; sic Catulli Epigrammata inscribuntur ‘Carmina :’ ut Ode ; sic Odæ Horatii appellantur ‘Carminum libri :’ ut quodlibet poëma ; sic liber primus Lucretii ab eodem dicitur ‘Carmen,’ l. vi. ‘Commemorate quod in primo quoque carmine claret.’ At

unicus versus non solet appellari Carmen : nisi forte hic, sententia inclusa, poëmati non impar videatur : sicut Virgilius III. *Æn.* vs. 287. canit : ‘Postibus adversis figo, et rem carmine signo : Æneas hæc de Danais victoribus arma.’

^b *Modos*] Versus : modus enim generatim est mediocritas, quam ultra citraque non est rectum : quemadmodum docet Horatius, lib. i. Serm. Sat. 1. ‘Est modus in rebus : sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.’ Hinc moderatus idem quod temperatus ; modestus, quasi modum servans ; commodum, quasi cum modo. Si autem alicubi, maxime in sensu, medio-

Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camenæ,^{1 c}
Et veris Elegi^d fletibus ora rigant.

compellor aggredi versus tristes. En Musæ laceratæ suggerunt mihi, quæ oportet scribere; versusque flebiles aspergunt vultum meum lacrymis sinceris. Nullus

1 *Camenæ* scribendum monet Editor Delph. non *Camænæ*.—2 'Mss. et ed.

NOTÆ

critas servanda, præsertim vero in eo qui fit auribus, quarum iudicium, auctore Tullio, est superbissimum: ex quo fit, ut Musica et Poësis, quæ in hoc saltem cognatæ dicuntur, quod eodem auditu percipiuntur, in quibusdam 'modis' versentur: 'in musicis,' inquit Tullius I. de Or. 'numeri, et voces, et modi:' Horatius vero Carm. l. II. Od. 1. vs. ult. 'Quære modos levio re plectro;' Od. 12. vs. 4. 'aptari citharæ modis:' l. III. Od. 3. vs. ult. 'magna modis tennare parvis:' Od. 9. vs. 10. 'dulces docta modos et citharæ sciens:' et de Arte Poët. 'Accessit numerisque modisque licentia major.' Propterea qui versus componit, hic Virgilio, Ovidio, Horatio, et ceteris dicitur 'modulari;' sicut Ciceroni II. de Nat. 'Tibiæ' dicuntur 'modulate canentes' et 'fidiculæ numerose sonantes.' Sicut autem Carmen non dicitur, nisi de integro quodam poemate, ita 'modus' non videtur dici, nisi de versibus, hujus operis partibus: unde Boëthius, qui verba hæc inter se opposuerat in duobus his primis versibus, 'peregi,' et 'cogor inire;' 'studio florente,' et 'flebilis,' ἀντίθετα continuans nunc opponit etiam 'Carmina,' et 'modos mæstos;' sicque lectorem docet, qualis erat afflictus, quantumque mutatus à Boëthio sive seipso florente.

^c *Camenæ*] Musæ, quæ dicuntur 'Camenæ,' non a cantu amæno, ut quidam aiunt, sed non secus ac Carmen, a canendo, ita ut prius dicerentur Carmenæ: quod nimirum,

Musis veluti inspirantibus, fiant Carmina sive Cantus; aut quod, inquit Festus, canant Musæ antiquorum laudes: quamobrem scribendum *Camenæ*, non *Camænæ*. Hæ autem Musæ nunc perhibentur 'laceræ,' quod sortis Boëthianæ participes, illo florente florere, eodemque afflicto affligi, pannosæ et laceris similes viderentur: antiquus enim erat afflictorum mos, vestes scindere: unde lib. Iob. cap. 1. vs. 20. 'tunc surrexit Iob et scidit vestimenta sua:' et lib. I. Reg. cap. 4. vs. 12. 'Vir de Benjamin ex acie venit in Silo in die illa, scissa veste et conspersus pulvere caput.' Ipse Virgil. Æn. XII. vs. 609. 'Demittunt mentes: it scissa veste Latinus, Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina.' Hæ tandem Musæ 'dictare' dicuntur Boëthio 'scribenda;' quod Poëtæ fingant, nihil a se sive ore sive scriptura emitti, nisi quod sibi fuerit, inspirantibus Musis, cognitum: quare hi magnum quoddam Carmen non solent aggredi, nisi iisdem Musis invocatis: sic Homerus Iliad. B.: 'Dicite nunc,' inquit, 'mihi, Musæ, quæ domos cælestes incolitis: vos enim Deæ estis, et adestis, et omnia novistis. Nos autem famam duntaxat accepimus; neque quicquam scimus:' sic Horatius Sat. l. I. Sat. 5. 'Musa, velim memores:' sic Virgil. Æn. VII. vs. 641. 'Pandite nunc Heliconæ, Deæ, cantusque movete.... Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis: Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.'

^d *Elegi*] Versus flebiles sive misera-

Has saltem^e nullus potuit pervincere terror,

5

Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Gloria^f felicis olim viridisque juventæ

Solatur² mœsti nunc mea fata senis.

metus potuit adducere has saltem musas, ut non comitarentur meam viam. Eadem Musæ, quæ fuerunt gloria meæ juventæ quondam fortunatæ et vividæ, consolantur.

Florentina *Solantur*: quæ lectio et verior et melior, præsertim si antecedentia excutiantur. *Sitzmannus*. *Solantur* etiam legendum putat Editor Delph. [vid. inf.] et in textum suæ editionis, Lugd. Bat. 1671. receperunt Hackii Fratres.

NOTÆ

biles: Elegus enim, unde Elegia, est Carmen versuum hexametrorum pentametrorumque alternis dispositorum ad tristitiam præsertim significandam: hinc Horatius, l. de Arte Poët. ‘Versibus impariter junctis querimonia primum; Post etiam inclusa est voti sententia compos: Quis tamen exiguos elegos emisit auctor Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.’ Idem Carm. l. I. Od. 33. ‘Albi, ne doleas plus nimio memor Immitis Glyceræ, neu miserabiles Decantes elegos.’ Unde Ovidius l. II. Fast. in initio. ‘Nunc primum velis Elegi majoribus itis: Exiguum, memini, nuper eratis opus.’ Scilicet versus illi idcirco vocantur Elegi, quod iidem in funeribus præsertim adhiberentur: ἔλεγος enim fletus dicitur ἀπὸ τοῦ ἔ ἐ λέγειν, quæ fletium vox est apud Aristophanem: quamobrem Ovidius III. de Arte Eleg. 1. ait, ‘Flebilis indignos Elegeia solve capillos: Hen nimis ex vero nunc tibi nomen inest.’ Quemadmodum fletus Elegorum nunc a Boëthio vocantur ‘veri;’ quod nimirum ex tristitia, quæ solita est Elegorum materia, oriantur, hisque ‘Elegi’ dicuntur ‘ora rigare,’ sicut a Virgilio VI. Æneid. vs. 699. ‘Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.’

^e *Has saltem*] Musas: nam ex omnibus bonis, quibus homo affici potest,

quæque sunt vel exteriora, ut divitiæ, honor, amici, liberi, et parentes; vel interiora, sive corporis, ut robur, pulchritudo, et sanitas; sive mentis, ut scientia et virtus: sola mentis bona hostium incursibus non sunt obnoxia: quare Ovid. III. Trist. El. 7. ‘Nempe dat et quodcumque libet fortuna, rapitque: Irus et est subito, qui modo Cræsus erat.’ Singula quid referam? nil non mortale tenemus, Pectoris exceptis ingenique bonis. En ego cum patria caream, vobisque, domoque; Raptaque sint, adimi quæ potuere, mihi: Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque: Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.’ Id expertus est Boëthius, qui, agente Theodorico, non solum opes, dignitates, bonamque valetudinem amisit, sed a suis etiam desertus amicis, quippe qui terrore Imperatoris, qui Romam quoque non dubitavit evertere, victi fugerunt: quamobrem Boëthius solis animi bonis in suo exilio comitatus est, scientia videlicet et virtute: sed cum de sua virtute aperte loqui non ita deceret virum modestissimum, nominatis Musis, scientiæ saltem comitis meminuit. Sic Ovid. IV. Trist. El. 1. ‘Me quoque Musa levat, Ponti loca jussa petentem: Sola comes nostræ perstitit illa fugæ. Sola nec insidias inter nec militis ensem, Nec mare, nec ventos, barbariamque ti-

NOTÆ

met.' Non omittam, quod Grammatici docent, 'saltem' natum esse a captivis, qui nihil aliud præter 'salutem' a victore petunt.

[*Gloria*] Honos, bona fama, et gloria ita inter se differunt, ut honos quoddam sit genus, cui subijciatur primum quidem bona fama; deinde gloria: quare sicut honos, sic gloria generatim est bona virtutis alienæ existimatio, signo aliquo manifestata: sed honos potest esse unius; bona fama, non nisi multitudinis; et gloria, etiam Optimatum bene de te existimantium: hinc, auctore Scaligero, gloria dicitur quasi 'glosia:' quomodo ara, lares, arena, quasi 'asa,' 'lases,' 'asena:' 'glosia' autem oritur ex γλωσσα, id est, lingua, quod gloria sit fama ingens de alicujus virtute ac meritis. Hinc de se Ennius: 'Volito vivu' per ora virum.' Quod imitatur Virgil. Æneid. XII. vs. 235. 'Succedet fama, vivusque per ora feretur.' Fama autem non alia de causa habetur ingens, nisi quod hæc per mentes et per ora quoque Optimatum vagatur: huc respiciens Tullius pro Mar. 'Gloria,' inquit, 'est illustris et pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.' At quæritur hic scientiæne, an virtutis fuerit ingens illa Boëthii fama? Qui pro virtute Boëthii sentiunt, hi legendum putant, *solatur*, quod Syntaxis alioqui non staret: quasi Boëthius laudator temporis acti se puero, dixerit se senem ea consolatione sustentari, quod per juventam, et virtute et gloria virtutis præmio, affectus fuerit. Nos autem pro scientia pugnantes, arbitramur, gloriam hanc fuisse Musarum, de quibus in versu ultimo agitur: nude legendum putamus, sicut in omnibus antiquis codicibus legitur, *solantur*: quasi ab eodem Boëthio dicatur: Musæ,

ob quas, dum juvenis florere, gloriam consecutus sum, nunc afflictum senem me consolantur. Et certe, cum mens humana pluribus simul cogitationibus vehementer affici nequeat, propterea dum in jucundam cogitationem sedulo incumbit, sæpius tristi cogitatione, veluti hujus immemor, non videtur affici: sic qui perfecto scelere conscientiæ stimulis vexantur, iidem ludo, colloquiis, aut qualibet alia exercitatione, tanquam consolatione tristem hanc cogitationem permulcent: sic pater inopinata filii dilectissimi morte afflictus, diligenti venationis labore tanquam consolatione luctum ita abstergit, ut hujus immemor videatur: Ovidius IV. Trist. El. 1. canit: 'Exul eram, requiesque mihi, non fama petita est: Mens intenta snis ne foret usque malis. Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor, Indocili numero cum grave mollit opus. Cantat et, innitens limosæ pronus arenæ, Adverso tardam qui vehit amne ratem. Quique refert pariter lentos ad pectora remos, In numerum pulsa brachia versat aqua. Fessus ut incubuit baculo, saxove resedit Pastor, arundineo carmine mulcet oves. Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis Fallitur ancillæ decipiturque labor. Fertur et abducta Lyrneside tristis Achilles Æmonia curas attenuasse lyra. Cum traheret sylvas Orpheus et dura canendo Saxa, bis amissa conjugem mœstus erat.' Sic ergo Musa levat Boëthium: verum tria hic supersunt observanda. Primum quidem observanda vis cæsurae in his verbis, 'felicis olim:' cæsura enim, quæ nihil aliud est in versu, quam residua prioris scansionis syllaba, qua posterior scansio incipitur, syllabam alias brevem producere potest; quod nimirum, veluti initium sequentis vocabuli, ita elevari debet pronuntian-

Venit enim properata malis inopina senectus,^g
Et dolor ætatem jussit inesse suam.

10

tur nunc adversam fortunam senis tristis. Nam senectus festinata ærumnis, accessit mihi improvisa, et mæror effecit ut ætas sua esset in me. Canities præmatura

NOTÆ

do, ut reliquas ejusdem vocabuli syllabas sustinere possit: exempla sunt cuique obvia: Virg. *Æn.* iv. vs. 64. 'Pectoribus inhians spirantia consulit exta.' Deinde observandum discrimen, quod nonnulli ponunt inter 'juventus,' 'juventas,' et 'juventa:': nam 'juventus,' inquinnt, est multitudo juvenum, 'juventas' est Dea, et 'juventa' ætas: sed hæc non constant: nam Sallustius juventutem vocavit ætatem. Postremo observanda ætas Boëthii, qui quamvis hic seipsum dicat senem, tum tamen, cum hæc scriberet, nondum attigerat quinquagesimum ætatis suæ annum: propterea addit se non tam annorum, quam ærumnarum serie senuisse sic.

§ *Venit . . . senectus*] Rationem affert Boëthius, cur se dixerit senem. Senectus quippe, quæ auctore Tullio definiri potest 'occasus vitæ,' ex eo contingit, quod fibris, ex quibus solidæ corporis animati partes constant, retardatis, eadem partes solidæ ad tantam duritiem perveniant, ut non modo non crescant, sed nec nutrirî possint. Hinc canities, rugæ, et tremor oriuntur. Canities quidem a senectute oritur, quod succus, ex quo fiunt capilli, minus actus, corpusculorum rotundorum figuram induit: propterea enim albescunt nix, ova, charta, ipsum etiam atramentum in spumam conversum: propterea candescunt linthea rori Solique exposita: hinc si eadem capillorum materia, recuperato suo pristino motu, hanc figuram mutet, canities exiit: ut in iis aliquando contigit, qui valetudinis vitio canuerant. Rugæ etiam a senectute oriuntur: quod fibræ cutis,

quæ antea motu distendebatur, moratæ aliæ aliis sic incumbant, ut sulcum mentitæ, vultum arare videantur. Denique senes tremere solent, propter inopiam spirituum a cerebro per nervos diffusorum. Duplex autem est senectus, nempe naturalis, et violenta: prior annorum, posterior ærumnarum longa serie accidit: unde Ovid. l. i. de Pont. El. 5. 'Jam mihi deterior canis aspergitur ætas, Jamque meos vultus ruga senilis arat . . . Confiteor facere hoc annos: sed et altera causa est, Anxietas animi continuusque labor . . . Me quoque debilitat series immensa laborum: Ante meum tempus cogor et esse senex.' Atqui Boëthius non de annosa sua senectute conqueritur, si quidem hæc non incipit ante annum vitæ quinquagesimum, quem nondum attigerat Boëthius; quando hæc scripsit: sed de ærumnosa solum sua senectute hic loquitur, quam idcirco dicit 1. 'properatam malis,' quod ærumnæ fuerint illius senectutis causæ: 2. 'inopinam;' quod hæc ante tempus affuerit: 3. 'ætatem doloris,' quod cum ætas senilis dolorem afferre soleat, dolor Boëthio attulerit ætatem senilem: hinc canities Boëthii vocatur 'intempestiva,' quod exilio, carcere, ceterisque calamitatibus acciderit: quemadmodum Scaliger. Exercit. 312. in Cardan. narrat, quendam subito mortis terrore correptum unius noctis spatio canuisse. Cum porro canities, rugæ, et tremor senectutis non minus ærumnosæ quam annosæ sint comites, propterea horum fit mentio versibus 11. et 12. quasi fuerint effæti corporis effecta. Nempe ef-

Intempestivi funduntur vertice cani,

Et tremit effœto corpore laxa cutis.

Mors hominum felix,^h quæ se nec dulcibus annis

Inserit, et mœstis sæpe vocata venit.

Eheu, quam surda miseros avertitur aure,ⁱ

15

Et flentes oculos claudere^k sæva negat!

spargitur per meum caput, et mea pellis, confectis membris, rugosa contremiscit. Illa mors hominum est fortunata, quæ non sese immittit florentibus temporibus, et adest afflictis frequenter implorata. Heu quantum inexorabilis mors recedit ab hominibus calamitosis, et quantum crudelis recusat obstruere oculos lacrymantes!

NOTÆ

fœta vocatur primum quidem parens quæcumque, quæ fœtum edidit, deinde parens, quæ frequenti partu lassata parere tandem desiit, denique res quævis, quæ exhaustis viribus ita languet, nihil ut possit producere. Sic Virgil. I. Geor. vs. 81. 'Effœtos cinerem immundum jactare per agros.'

^h *Mors hominum felix*] Cum locutio sit cogitationis interpres, qualis est cogitatio, talis esse debet hominis locutio: vere enim Christus Matt. XII. vs. 34. ait: 'ex abundantia cordis os loquitur.' Sic Dido Æneid. IV. pro diversis, quibus in Æneam afficitur, cogitationibus diversa loquitur, ut hunc modo a Diis, modo a feris genitum dicat: 'Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum. . . . Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæque admorunt nbera tigres.' Cum igitur Boëthius nondum consuluerit Philosophiam, non intelligentia sed præjudicio ductus loquitur. Non, inquam, loquitur duce intelligentia: diceret enim in prospera fortuna cum Tullio mortem propter incertos casus quotidie imminere, et propter vitæ brevitatem nunquam longe abesse: in adversa vero eandem mortem moras compensare æternitate melioris vitæ, in quam introducit. At idem Boëthius

loquitur suadente præjudicio, voluptate nimirum et ægritudine, quibus mens humana in prospera adversaque fortuna afficitur: qui enim voluptate afficitur, huic mors illa videtur 'felix, quæ se dulcibus annis non inserit:' qui vero ægritudine animi laborat, eidem 'mors,' quæ 'sæpe vocata venit,' ita felix videtur, ut eo crudelior sit, quo veluti surda, vitam sinit duci longiorem. Atque inde Boëthius colligit, ne quidem his legibus mortem sibi fuisse felicem: cum mors in prospera præceps voluerit, in adversa autem fortuna tarda noluerit vitam auferre: quod satis manifestum erit observatis quibusdam, quæ sequuntur, vocabulis.

ⁱ *Surda . . . aure*] Surdus dicitur homo, qui aure impedita non audit: quare cum auris insitis præsertim sordibus impediatur, propterea 'surdus,' sive, ut Veteres loquebantur, 'sordus' videtur dici per contractionem quasi 'sordidus.' Sed, nomine hinc ad solam mentem translato, ille etiam dicitur mente surdus, qui quodam affectu contrario impeditus orautem non exaudit: unde Stat. II. Silv. 'Odistique chelyn, surdaque averteris aure.' Mors autem a Poëtis fingitur veluti quædam persona, quæ, pro diversis suis affectibus, invocantes possit exaudire, vel non exaudire.

^k *Oculos claudere*] Tantum est ocu-

Dum levibus malefida bonis fortuna¹ faveret,

Pæne caput tristis merserat hora^m meum.

Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,

Protrahit ingratas impia vitaⁿ moras.

20

Quid me felicem toties jactastis, amici? °

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Cum fortuna ob inconstantem gratiam temere credita mihi aspiraret, non multum abfuit, quin dies mæsta terminaverit meam vitam: jam vero, quoniam fortuna adversa convertit aspectum mendacem, anima mea improba producit meos dies injucundos. O amici, quare dixistis tam sæpe, me esse beatum? qui lapsus est, ille non stabat vestigio firmo.

NOTÆ

lorum in vita hominis servanda momentum, ut vita in motu, mors in quiete oculorum versari vulgo dicitur: propterea is censetur vivere, qui fruitur, mori vero qui caret luce, quæ oculis percipitur. Hinc Æneid. IV. vs. 450. 'Tum vero infelix, fatis exterrita Dido Mortem orat: tædet cæli convexa tueri. Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat....'

¹ *Malefida fortuna*] Cui male credatur: cum enim fortuna insana sit, cæca, bruta, globosique saxi instar volubilis, sicut perhibent Philosophi, propterea quos attollit, eosdem statim deprimit. Unde Horatio, Carm. I. I. Od. 35. fortuna est 'Præsens vel imo tollere de gradu Mortale corpus, vel superbos Vertere funeribus triumphos.'

^m *Caput tristis merserat hora*] Tempus Poëtis dicitur causa rerum: unde aliud prosperum quod favet, aliud adversum quod nocet. Hora autem quædam est temporis pars, quæ quod fere 'mergat' Boëthium, idcirco vocatur 'tristis.'

ⁿ *Impia vita*] Impius est, qui de Deo, parentibus, aut iis qui parentum vices gerunt, male meretur: unde herba quædam, quæ quod nata parentes surculos suffocet, 'impia' appellatur. Vita autem, quam hactenus Boëthius instar cujusdam pa-

rentis, fovere studuerat, de eodem videtur male mereri in hoc, quod recessum suum procrastinans, ejusdem Boëthii ærumnas producat. Sic Quintilianus in Proëm. I. VI. Institut. 'impiam' vocat 'vivacitatem.'

° *Amici*] Boëthius alloquitur suos amicos, utpote qui cum antea Boëthium felicem dixissent, ipso exitu nunc sui erroris convinci possunt. Scilicet hominum animis insita est felicitatis et miseriam notio: unde miseriam fugimus, felicitatem prosequimur naturaliter. Cum autem ut illa notio, sic hæc propensio sit Dei illustrantis moventisque munus, propterea utraque illa cogitatio ratione sui ita recta est, et uniusmodi in omnibus hominibus, ut non nisi propter perversam hominis male applicantis voluntatem iniqua sit et multiplex. Hinc, pro vario perturbationum impetu, alius divites, alius potentes, alius aliis bonis creatis affectos putat esse felices. Sic ergo ex amicis Boëthii, dum hic floreret, nonnulli ipsum dixerant beatum, quod opibus abundaret; ceteri, quod magistratum gereret: sed omnes nunc exitu convincuntur, Boëthium non propterea dici debuisse felicem: lapsus quippe certum est instabilitatis argumentum, et miseria præsens probat nullam fuisse præteritam felicitatem: siqui-

NOTÆ

dem cum metus amittendæ prosperitatis quædam sit miseria, idcirco nulla hominis prosperitas haberi potest felicitas, nisi hæc fuerit particeps constantiæ, cujus ille sit conscins: jactata autem illa Boëthii

prosperitas constans non fuit, quandoquidem ille de gradu dejectus est: hincque manifestum est aliquem potuisse cadere, quod idem ceciderit.

PROSA I.

HÆC dum mecum {tacitus³ ipse reputarem,^a querimoniamque lacrymabilem styli officio^a designarem,^b ⁴ astitisse^b mihi supra verticem^c visa est mulier reverendi admodum

^a *Recogitare*. ^b *Calami ope notare*. ^c *Caput meum*.

³ *Tacitus mecum* edd. Delph. et Hack.—⁴ *Veteres, signarem: plane*

NOTÆ

^a *Styli officio*] Stylus est graphium, quo Veteres in cera exarabant: hoc autem veluti calamo se usum dicit Boëthius ad scribendos versus prædictos, quos vocat 'querimoniam lacrymabilem,' quod sint Elegi: Elegi enim sunt versus miserabiles.

^b *Astitisse*] Est hoc in more positum, non modo apud Poëtas, verum etiam apud Oratores, ut quod sensu percipi non potest, id objecta quadam re sensili, sibi primum, deinde auditoribus suis cogitandum proponant: ut quæ veritas primum hic latere videtur, hæc difficultate inveniendi magis arrideat inventa. Hinc 'familiare est Syris et maxime Palæstinis,' inquit S. Hieron. in cap. 18. Matth. 'ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exempla que teneatur.' Hinc vulgata apud Auctores 'symbola' quæ vel rebus, vel verbis, vel picturis sive rerum imaginibus fiunt. Qua de re

doctius nihil dici potest, quam quod a nobilissimo Huetio, conquisitis undique exemplis dicitur in opusculo 'de Origine Romanensium,' quod, si placet, consules. Atqui Philosophia, utpote quæ in quadam mentis cogitatione versatur, sensu percipi non potest: quamobrem hanc, objecta quadam re sensili, Boëthius arbitratus est sibi primum, deinde nobis esse proponendam. Philosophiæ autem hic proponuntur, 1. Origo, 2. Natura, 3. Subjecta Materies, 4. Voces, 5. Species, 6. Usus.

I. Igitur Origo Philosophiæ in hoc proponitur, quod 'mulier visa' sit Boëthio 'astitisse supra verticem:' cum enim Philosophia nihil aliud sit, quam lumen naturale paulo longius diffusum, hæc a Deo, a quo lumen naturale est, oritur: unde Tullius I. Tuscul. 'Philosophia,' inquit, 'omnium mater artium, donum et inventum Deorum.' Quare hæc Philosophia non nisi in sublimi loco et supra caput videri debuit, tanquam de cælo

vultus, oculis ardentibus,^c et ultra communem hominum valentiam perspicacibus,^d colore vivido, atque inexhausti vigoris; quamvis ita ævi⁵ plena^e foret, ut nullo modo nostræ crederetur ætatis: statura discretionis ambiguae.^{f d} Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat,^g nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur: quæ cum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat, respicientiumque hominum frus-

^d Communes hominum vires videndi. ^e Antiqua. ^f Altitudo ejus erat variæ differentiae. ^g Continebatur.

id germanum est.' *Bernart.*—5 Sic distinguendum monet Sitzmannus ex

NOTÆ

lapsa. Hinc autem Philosophia videtur 'reverendi admodum vultus' sive honorandi: id quippe reverendum sive honorandum putamus, quod aut origine, aut ætate, aut sapientia, aut virtute, aut quacumque dignitate ceteris præstare judicamus. 'Philosophia,' inquit Cicero, 'virtutis continet, et officii, et bene vivendi disciplinam, quam qui profitetur, gravissimam sustinere personam videtur.'

^c *Oculis ardentibus*] II. Natura Philosophiæ hic proponitur: nam in eo versatur ipsa Philosophiæ natura, quod sit cognitio clara et distincta, qua mens humana, vitatis præcipitatione et præjudicio, quibus homines vulgo falluntur, veram certamque de rebus subjectis ferat sententiam: 'omnis enim,' inquit Tullius III. de Or. 'optimarum rerum cognitio atque in iis exercitatio Philosophia nominatur.' Atqui quod Philosophia nunc dicatur 'oculis ardentibus et perspicacibus,' inde intelligitur cognitio esse clara et distincta; quod dicatur 'ultra communem hominum valentiam,' intelligitur hac vitari præcipitatio et præjudicium, quibus homines in errorem induci consueverunt; quod dicatur 'colore vivido, et

inexhausti vigoris,' intelligitur Philosophia esse veri certique judicii procreatrix et quasi parens; sed quod, quamvis 'ævi plena, inexhausti vigoris' dicatur esse, intelligitur eadem Philosophia continuata meditatione ita firmari, vires ut acquirat eundo. Quædam hic observare poterit Grammaticus: Primum quidem hanc verborum constructionem, 'reverendi vultus, oculis ardentibus:' quamvis enim Valla dicat, rarum esse in una locutione utrumque hunc casum reperiri; id tamen vitiosum non est: quandoquidem Plinius, teste eodem Valla, ita loquitur: et Cicero dicit 'Lentulum eximia spe, summæ virtutis adolescentem.' Vid. Nov. Meth. Deinde nomen hoc 'valentiam,' quo Boëthius utitur quoque l. III. Pros. 9. et l. IV. Pros. 2. non videri ita usitatum apud Latinos. Idem valet quod potentia 'Póμη: hinc Romanæ urbis interpretationem nonnulli inferunt, auctore Solino c. 2. 'Sunt,' inquit, 'qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum natum, cum oppidum ibi offendisset quod exstructum antea Valentiam dixerat juvenis Latina; servataque significatione impositi prius nominis 'Póμην Græce, Valentiam Latine nominatam.'

Delph. et Var. Clas.

Boëth.

E

trabatur intuitum.^h Vestes erant^e tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique⁶ⁱ materia perfectæ; quas, uti post eadem prodente cognovi, suis manibus ipsa texuerat. Quarum speciem,^k veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat. Harum in extremo margine^f Π, in supremo vero Θ legebatur intextum. Atque inter utrasque literas, in scalarum modum, gradus quidam insigniti^l videbantur, quibus ab inferiore ad superius elementum^m esset ascensus. Eandem tamen vestem violentorum quorundam sciderant manus, et particulas, quas

^h Fugiebat aspectum. ⁱ Individua. ^h Formam. ^l Inscripti. ^m Ab ima ad summam literam.

Mss. *inexhausti vigoris. Quamvis ita ævi.*—6 *Indissolubili* legunt duo codices Victorini, teste Vallino, qui ait, prior est e bibliotheca S. Victoris Parisiensis.

NOTÆ

^d *Statura discretionis ambigæ*] III. Proponitur Subjecta Philosophiæ Materies: Philosophia enim primum versatur circa ipsum hominem, considerando Mentem et Corpus, ex quibus homo constat: notio quippe hominis omnium videtur prima: propterea prædicta mulier ‘nunc ad communem sese hominum mensuram cohibebat.’ Deinde Philosophia, cognito humano corpore, versatur circa reliqua corpora, etiam circa cælum: quatenus horum corporum cognitio ad vitam hominis conservandam conducere potest: unde eadem mulier ‘nunc pulsare cælum summi verticis cacumine videbatur.’ Postremo Philosophia, cognita præsertim mente humana, versatur circa Mentem omnium perfectissimam Deum: a quo ita docemur intrinsecus, ut quamdiu non cognoscitur summe verax, tamdiu ignoretur prima Veritatis regula: hinc ista mulier, ‘cum caput altius extulisset, ipsum etiam cælum penetrabat.’ Verum quod Deus percipi nequeat sensu, quo homines vulgo percipere dicuntur, idcirco eadem mulier cogitando Deum ‘respicien-

tium hominum frustrabatur intuitum.’

^e *Vestes erant*] IV. Voces Philosophiæ mira hic arte proponuntur: nam I. Voces Philosophicæ sunt ipsius Philosophiæ ‘vestes:’ quia voces sunt integumenta et involucra cogitationum: Philosophia autem, utpote cognitio, quoddam est cogitationis genus. 2. Voces Philosophicæ sunt ‘tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ:’ quoniam hæ dictiones sunt humiles, ad intelligentiam potius, quam ad pompam accommodatæ, et individua inter se necessitudine conjunctæ; quas cum Philosophi ipsi, maximam partem, invenerint; ideo Philosophia has ‘suis manibus texnisse ipsa’ perhibetur, earumque propterea ‘speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxisse.’ Quo fit, ut Boëthius, cujus eximia Latinitas in versibus emicat, barbaras quasdam dictiones, non nisi apud Philosophos usitatas, in soluta sua oratione usurpare non dubitaverit.

^f *Harum in extremo margine*] V. Species Philosophiæ nunc proponuntur:

quisque potuit, abstulerant.⁷ Et dextera quidem ejus libellos, sceptrum vero sinistra gestabat.⁸ Quæ ubi poë-

—7 *Abstulerat* codex Victorinus secundus.—8 *Nullis remediis foverent* Delph.

NOTÆ

‘Est enim,’ inquit noster Boëthius Præfat. in Porpyhr. ‘Philosophia genus: species vero ejus duæ: una, quæ θεωρητικὴ dicitur; altera, quæ πρακτικὴ: id est, speculativa et activa.’ Prior illa species, quæ litera Θ significatur, in mera veritatis contemplatione: posterior autem, quæ litera Π, in exercitatione virtutis versatur, ut docet S. Aug. l. VIII. de Civ. D. c. 4. ubi ‘Socrates,’ inquit, ‘in activa excelluisse memoratur. Pythagoras vero magis contemplativæ quibus potuit intelligentiæ viribus instituisse. Proinde Plato utrumque jungendo Philosophiam perfecisse laudatur.’ Theoria quidem ‘in supremo, Praxis in extremo margine legebatur,’ quod, iudice ipso Aristotele, contemplativa præstet actuosæ: gradus tamen sunt, quibus ab una ad alteram ascensus fiat et descensus: quia nec exercitatio virtutis sine veritatis contemplatione potest; nec contemplatio veritatis sine exercitatione virtutis debet esse. Tandem ‘manus’ hominum ‘violentorum,’ qui scilicet præcipitatione aut præiudicio philosophati, neque veritati considerandæ, neque virtuti exercendæ studuerunt, voces philosophicas partitæ sunt, et ‘particulas, quas quisque potuit, abstulerunt.’ Rom. I. ‘Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.’

ε *Dextera... libellos... sceptrum sinistra gestabat*] VI. Denique Philosophiæ Usus proponitur: nam Philoso-

phia utilis est ad ceteras disciplinas capessendas, et ad regendos animos, quod libellis sceptroque significatur. Primum quidem Philosophia utilis est ad ceteras disciplinas capessendas: quatenus hinc erroris vitandi, inde vero veritatis inveniendæ leges præscribit: unde Tullius sæpe, ‘Philosophia,’ inquit, ‘omnium mater artium: laudandarum omnium artium procreatrix et quasi parens: nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec iudicare quæ vera quæ falsa sunt, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere:’ quod Philosophiæ officium ‘libellis’ significatur: ‘libellus’ enim dicitur a ‘liber:’ ‘liber’ autem, auctore Isidoro lib. VI. c. 12. ‘est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua antiqui scribebant:’ unde Plin. l. XIII. c. 11. ‘In palmarum,’ inquit, ‘foliis primo scriptitatum, deinde quarundam arborum libris,’ quod et Cassiodorus indicat l. II. Var. Ep. 38. ubi de charta: ex quo factum est ut liber et libellus ea significarent, quæ in iis scripta continerentur. Deinde eadem Philosophia utilis est ad regendos animos: animi quippe reguntur cum sedatis perturbationibus, tum veritate detecta, quibus Philosophia vacat: hinc, ut postea dicitur, Plato docuit tum beatas fore respublicas, cum aut Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur: quod alterum Philosophiæ officium ‘sceptro’ significatur: sceptrum enim imperii signum est: unde Lu-

ticas Musas ^{n h} vidit, nostro assistentes toro,^o fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper, ac torvis inflammata luminibus,^p Quis, inquit, has scenicas ^q meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere? quæ dolores ejus non modo nullis foverent remediis,⁸ verum dulcibus insuper alerent venenis? Hæ sunt enim quæ infructuosis ^r affectuum spinis, uberem ^s fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At

ⁿ *Præsides carminum.* ^o *Lecto.* ^p *Oculis.* ^q *Theatrales.* ^r *Sterilibus.*
^s *Fœcundam.*

NOTÆ

cretius l. v. ‘Ergo regibus occisis, subversa jacebat Pristina majestas soliorum, et scepra superba.’ Quod porro dextra sit sinistra agilior, ut Philosophia ad docendum paratior, quam ad regendum; propterea ‘dextra quidem ejus libellos, sceptrum vero sinistra gestabat.’

^h *Quæ ubi poëticas Musas*] Musæ feruntur esse Virgines quædam, quæ, Phœbo præside, carminibus operantur. Hæ Boëthio sunt duplicis generis, nempe ‘Poëticae,’ et ‘Philosophicae:’ illæ perturbatione, hæ notione clara et distincta ductæ judicant. Poëticae Musæ dicuntur, quæ perturbationibus obeæcatæ quicquid perturbationis est, illud probant et loquuntur: unde pro diverso genere aut perturbationum, aut eorum quibus perturbationes excitari possunt, hæ Musæ vulgo novem numerantur. Hinc eas Plato l. x. de Rep. putat e sua civitate esse expellendas. ‘Recte,’ inquit Tullius II. Tusc. ‘a Platone educuntur Poëtæ ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos et optimum Reipublicæ statum exquireret:’ cui consentiens S. Aug. l. II. de Civ. D. c. 14. ‘Platoni,’ inquit, ‘potius palma danda est, qui cum ratione formaret, qualis esse civitas debeat, tanquam adversarios civitatis poëtæ censuit urbe pellen-

dos.’ Homo quippe seu veritati seu virtuti studeat, exuere potius debet veteres, quam novas induere perturbationes. Hinc Musæ istæ nunc dicuntur ‘assistentes toro’ Boëthii, illiusque ‘fletibus verba dictantes:’ quia nunc Boëthius videtur perturbatione obrui, nihilque aliud, quam quod perturbatio dictat, proferre. Hinc eædem Musæ ‘torvis’ Philosophiæ ‘luminibus’ aspici feruntur: quoniam veritas, cui inveniendæ Philosophia studet, perturbationibus, quibus hæ indulgent Musæ, impeditur. ‘Vetus est,’ ait Plato l. 10. de Repub. ‘Philosophiæ et Poëtices dissensio.’ Hinc ipsæ Musæ nunc vocantur ‘Meretriculæ Scenicæ, et Sirenes usque in exitium dulces,’ quod blanditiis, rebus fictis, et cantibus suis in errorem vitiumque inducant: Sirenes enim quibusdam sunt meretrices, quæ deceptos navigantes ad summam egestatem redigant: aliis sunt monstra marina mulieribus partim similia, quæ vocis suavitate prætereuntes nantas sopiant, sopitosque devorent: unde Ovid. III. de Art. ‘Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora Quaslibet admissas detinere rates.’ Propterea eædem Musæ dicuntur ‘dolores’ Boëthii ‘dulcibus iusuper alere venenis; affectuum spinis rationis segetem necare; men-

si quem profanum,ⁱ uti vulgo solitum, nobis⁹ blanditiæ vestræ detraherent, minus moleste ferendum putarem. Nihil quippe in eo nostræ operæ^u læderentur. Hunc vero Eleaticis atque Academicis^{v k} studiis attigistis innutritum?¹⁰ Sed abite¹¹ potius, Sirenes¹² usque in exitium

ⁱ *Extraneum et vulgarem.*

^u *Labores.*

^v *Dialecticis et Platonicis.*



Hack.—9 *Solitum vobis, blanditiæ eadem* edd. et Mss.—10 Restitui, inquit Bernartius, ex scriptis Aposiopesi, *Academicis studiis enutritum.* ‘Mss. et ed. Flor. non habent voculam *attigistis*, et pro *enutritum* ponitur *innutritum*, quæ lectio præstabilior.’ *Sitzm.* ‘Hic variantibus libris, *innutritum* potius quam *enutritum* retinuius; quod eodem, quo hic, sensu ab antiquis sæpius videamus usurpatum.’ *Vallin.* *Academicis studiis innutritum* exhibent edd. Delph. et Hack.—11 *Abite*, sine vocula *potius*, legit codex Thuanæus primus.

NOTÆ

tes assuefacere morbo, non liberare.’ Philosophicæ autem Musæ dicuntur, quæ perturbationibus exutæ ut clare distincteque cognoscunt, sic iudicant: unde nunquam falluntur: has Plato l. x. de Rep. laudans vocat ‘divinum genus,’ easque in sua civitate admittit. Hæ, fugatis Musis Poëticis, Boëthium deinceps docebunt.

ⁱ *At si quem profanum*] Profanus dicitur et locus et homo. 1. locus profanus is vocatur, qui, quasi procul a fano positus, sacer non est: quo modo Æn. XII. vs. 777. ‘Tuque optima ferrum Terra tene: colui vestros si semper honores, Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.’ 2. Homo profanus ille habetur, qui quasi etiam a fano procul, sacris non est initiatus: quemadmodum Æneid. VI. vs. 258. ‘Procul o, procul este, profani, Conclamañ vates, totoque absistite luco.’ Philosophia ergo nunc eum hominem vocat profanum, qui præceptis philosophicis non imbutus, ab ipsa Philosophia alienus est: sic Horatius imperitos homines et a Musis alienos, a suis Carminibus, tanquam profanos a sacris, arcens, canit. l. III. Carm. Od.

1. ‘Odi profanum vulgus, et arceo: Favete linguis; carmina non prius Audita, Musarum sacerdos Virginibus puerisque canto.’ Quare Philosophia, quæ nunc utitur hac loquendi forma quæ Græcis ἀποσιώπησις, Cicero- ni Reticentia dicitur, qua videlicet oratio sic contrahitur, ut vix appareat quid dicturus fuerit Orator, ita videtur loqui: Si, o Musæ Poëticæ, aliquem Philosophiæ ignarum, ut vester mos est, a ratione ad perturbationis obsequium detraheretis, id minus molestum mihi videretur: sed Boëthium in omni Philosophiæ genere versatissimum... cetera reticentur. Sic Juvenalis: ‘Majorum primus quisquis fuit ille tuorum: Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.’ Sic Virgilius versu notissimo, ‘Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.’

^k *Hunc vero Eleaticis atque Academicis*] Dialecticis et Platonicis. Studia enim dialectica vocantur ‘Eleatica:’ quia Dialectica fertur inventa a Zenone, qui quod ortus sit ex Elea, vocatur Eleates. Est vero Elea, auctore Strabone l. VI. civitas Lucaniæ a Phocensibus condita, Parmenidis

dulces,¹ meisque eum Musis curandum sanandumque relinquit. His ille chorus increpitus,^w dejecit humi mœstior vultum, confessusque rubore verecundiam, limen tristis excessit. At ego, cujus acies lacrymis mersa caligarat, ne¹³ dignoscere possem, quænam hæc esset mulier tam imperiosæ auctoritatis, obstupui, visuque in terram defixo, quidnam deinceps esset actura, expectare tacitus cœpi. Tum illa¹⁴ propius accedens, in extrema lectuli mei parte consedit, meumque intuens vultum luctu gravem, atque in humum mœrore dejectum, his versibus¹⁵ de nostræ mentis perturbatione conquesta est.

^w *Turba objurgata.*

//////////

—12 *Seirenes* Delphi. Hack. [vid. inf.]—13 Mss. *caligaret, nec*: non male, censente Vallin.—14 Ms. Erfart. omittit voculam *illa*.—15 *His verbis* idem Ms.

NOTÆ

et Zenonis Pythagoricorum patria. Studia autem Platonica appellantur ‘Academica,’ quod Plato primus in Academia philosophiam professus sit. Est vero Academia nemorosus extra et prope Athenas locus, qui prins dictus fuit *ἐκαδεμῖα* ab Ecademo Heroë: unde Horat. Epist. l. II. Epist. 2. ‘Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum, Atque inter sylvas Ecademi quærere verum.’ Atqui Boëthius in Dialecticis et Platonicis doctrinis exercitatissimus fuit: in Dialecticis quidem; quia dialecticos libros Aristotelis (qui judicio Ciceronis l. I. de Orat. de ratione disserendi multo plura, quam omnes magistri, multoque meliora dixit) transtulit et commentariis illustravit. In Platonicis vero; progressu enim patebit, Boëthium Platoniorum opiniones recte intellexisse, iisque fuisse addictissimum.

¹ *Sirenes* [*Seirenes*] usque in exitium dulces] *Seirenes*, Græce *σειρήνες*, unde et per *ei* et per *i* longum scribitur, duplicis sunt generis, nempe terrestres et marinæ. Terrestres, fuco-

rum genus, nostris Physicis dicuntur ἀπὸ τοῦ σείρεσθαι, quod bestiolæ illæ contracta membrana curvatæ jaceant: de his loquitur Plinius l. II. cap. 16. sed de his nunc non agitur. Marinæ, sic dictæ vel ἀπὸ τῆς σειρᾶς a vinculo, vel ἀπὸ τοῦ σύρειν a decipiendo, quod cantu suo imprudentes advenas devinciant decipiantque, feruntur Acheloi fluvii et Calliopes filiæ; superne virginibus, inferne piscibus similes. Tres numerantur, Parthenope, Leucosia, Ligea, quarum una voce, altera tibiis, tertia lyra canat, omnes tanta cantus dulcedine, ut nautas sopitos naufragio perdant. Ovid. III. de Art. ‘Monstra maris *Seirenes* erant, quæ voce canora Quaslibet admissas detinnere rates.’ Ex quo factum est, ut quicquid animos hominum corrumpit, illud *Siren* vocetur, sicut Horatio Serm. l. II. Sat. 3. ‘vitanda est improba *Siren* desidia.’ Sic igitur Musæ Poëticiæ perturbationum parentes, aut saltem nutrices, nunc vocantur ‘*Seirenes* ad exitium’ sive ad perniciem ‘usque dulces:’ hinc eadem Musæ jubentur abire, sub-

NOTÆ

euntibusque Musis Philosophicis locum cedere, non ante tamen quam ab ipsa Philosophia pergraviter reprehensæ, suamque tristitiam testatæ: unde ‘chorus ille’ dicitur ‘increpitus’ (increpari idem quod verbis aliisve signis gravibus reprehendi) et ‘dejecisse humi mœstior vultum.’ Abiit tandem chorus ille et ‘lumen tristis excessit;’ optimis e-

nim Philosophiæ institutis non prius imbuti possumus, quam Musas illas similesque perturbationum veritati inveniendæ contrariarum causas valere jusserimus. Quanquam illæ perturbationes sæpe remotis his causis adhuc perseverant: unde Philosophia de mentis Boëthianæ ‘perturbatione sic conquesta est.’

METRUM II.

HEU, quam præcipiti mersa profundo
Mens^m hebet,^x et propria luce relicta,ⁿ
Tendit in externas ire tenebras,^o

Heu, quantum mens humana immersa perturbationum mari rapido altoque obtunditur, suoque lumine posthabito, nititur ruere in caliginem exteriorem, cum

NOTÆ

^m *Præcipiti mersa profundo Mens]* Quæ mens suis perturbationibus, præsertim vero nimia rerum caducarum solitudine afficitur, hæc ab iis immergitur, veluti quodam mari, quod sit et profundum et præceps. Profundum quidem; quod illa affectio menti sit altissimis radicibus infixæ: præceps vero, quod eadem affectio, instar cujusdam furie concitata, præcipitem mentem in errorem vitiumque abripiat.

^x *Hebet]* Hebere proprie dicitur gladius, cujus acies retusa est, translatione vero, illud omne, cujus motus languet. Sic Virgil. *Æn.* v. vs. 395. ‘Sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigentque effætæ in corpore vires.’ Sic Tullius i. *Tuscul.* ‘quemadmodum,’ inquit, ‘qui acutis oculis deficientem solem intuentur, aspectum omnino amittunt, sic mentis acies seipsam intuens nonnunquam

hebescit.’ Atqui mens humana quanto magis perturbationibus obruitur, tanto minus veritatem contemplari potest: adeoque hebet. Hinc S. Gregor. Prol. ii. part. in Ezechielem: ‘Mens,’ inquit, ‘quanto circa terrena plus satagit, tanto in his quæ sunt cælestia, minus videt.’

ⁿ *Propria luce relicta]* Menti nostræ insitum est ab ipso nostræ mentis auctore Deo quoddam lumen, quo ipsa se mens erroribus vitiisque exutam cognoscere conjunctamque cum divina mente sentire possit: sed hoc lumine frui nolunt ii, qui suis obsequuntur perturbationibus.

^o *In externas ire tenebras]* Licet quædam menti nostræ insita vel potius innata sit cognitio, quod tamen mens eadem finita sit suisque perturbationibus obnoxia, propterea duplici subjacet tenebrarum generi, domestico videlicet et externo. Domesticæ te-

Terrenis quoties flatibus acta ^{16 P}
 Crescit in immensum noxia cura!
 Hic quondam ^q cœlo liber aperto,

5

solicitudo nocens, aspirationibus terrestribus turgida, augetur summo incremento: Hic Boëthius olim non impeditus cœlo patente, solitus sua cogitatione ascendere



16 *Aucta* Delph. et Hack. *Acta* ed. Florentina.—17 ‘*In numeris*, id est,

NOTÆ

nebræ versantur in ignoratione eorum, quæ nec possumus nec debemus cognoscere: de his tenebris vulgo dicitur, ‘Nescire quædam magna pars sapientiæ.’ Externæ vero tenebræ sunt ignorantia eorum, quæ cum possumus debeamusque cognoscere, perturbationibus obcæcati nescimus: sic quidam in summa sui Deique ignoratione versantes, quas cogitationes in solum Deum conferre deberent, has in res creatas conferunt. Ut autem ceteris perturbationibus, sic nimia præsertim rerum caducarum solitudine obcæcamur: unde nunc mens humana dicitur ‘in externas ire tenebras, quoties in immensum ejusmodi cura crescit.’ Cum porro eadem mens humana ex ignoratione illa in errorem, ex errore in vitium, ex vitio in pœnas æternas lapsa cadat, propterea auctor noster hæc scribens potuit ea cogitare quæ referuntur Matthæi 22. ‘ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores:’ ubi S. Gregor. ‘interiores tenebræ,’ ait, ‘sunt cæcitas cordis: exteriores tenebræ, æternæ damnationis nox.’

^P *Terrenis . . . flatibus acta*] Voluptate nimirum, et hominum, quibuscum vivimus, existimatione, quibus, ut ignis flatibus, nostra perturbatio alitur. Nimirum cum mens humana jungatur primum quidem cum corpore, deinde cum illis sive rebus sive personis, quibus prima illa conjunctio videtur servari, propterea

hæc rerum caducarum cura, agente corpore, nascitur, agentibusque cum rebus tum personis corroborata crescit: res quidem agunt suo contactu: personæ vero sua de rebus istis existimatione, quam exemplo demonstrant: sed hac crescente cura minuitur virtus mentis: unde divinus præceptor Christus Matth. 6. hanc solitudinem pluribus confutat argumentis, summam Dei providentiam commendaturus: unde S. Paul. ad Philip. 4. ‘nihil,’ inquit, ‘soliciti sitis:’ unde S. Petrus Ep. I. c. 5. ‘omnem,’ ait, ‘solitudinem vestram projicientes in Deum: quoniam ipsi cura est de vobis:’ quibus positis, nihil mirum, si hæc ‘cura’ hic dicatur ‘noxia.’

^q *Hic quondam*] Boëthius. Nimirum a quæstione infinita, quam Græci *θέσω* appellant, ad definitam controversiam, quam iidem dicunt *ὕπθεσω*, progressa Philosophia, commendat eam, quæ quondam fuit in Boëthio, rerum naturalium notitiam, præsentem ejusdem ignorationem statim dictura. Præterita autem Boëthii notitia, ut nunc dicitur, magna fuit tam de cœlo, quam de terra. Primum enim Boëthius cœli sciens, cognovit 1. Solem, Lunam, et stellas. 2. Ventos, qui a sideribus velut effectus a causis oriuntur. 3. Spiritum Universi, a quo, velut a causa ipsa sidera moventur. Deinde vero idem Boëthius terræ sciens, cognovit varias anni tempestates, 1. vernam, 2. autum-

Suetus in ætherios ire meatus,
 Cernebat rosei lumina Solis,^r
 Visebat gelidæ sidera Lunæ,^s
 Et quæcumque vagos stella recursus^t

10

ad regiones cœlestes, aspiciebat radios Solis purpurei, intuebatur formam Lunæ frigidæ, et quotquot stellæ habent reversiones errantes, conversæ per circuitus diver-

NOTÆ

nalem, variasque naturæ causas. Hinc idem Boëthius nunc dicitur ‘ liber cœlo aperto;’ quatenus ejus mens, veluti excusso corporis jugo, factoque sibi per abditas ipsius ætheris plagas itinere, cogitatione non modo attingit, sed etiam pervadit cœlum: quare additur, ‘ Suetus in ætherios ire meatus.’ Quæ omnia seorsum exponenda.

^r *Cernebat rosei lumina Solis*] I. Boëthius cognovit Solem; cujus doctrinæ, ut et sequentium, melior testis esse non potest, quam ipse Boëthius de se sub persona Philosophiæ locutus. ‘ Sol,’ autem, inquit Tullius I. de Nat. Deor. ‘ dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus: vel quia cum exortus est, obscuratis ceteris sideribus solus apparet.’ Quare, qui hujus sideris naturam perspectam habuerit, hic in cogitatione rerum cœlestium versatissimus haberi potest.

^s *Visebat gelidæ sidera Lunæ*] II. Boëthius cognovit Lunam: sicut ipse etiam testatur. ‘ Luna,’ autem, inquit Tullius II. de Nat. Deor. ‘ a lucendo nominata: ea est enim Lucina: itaque ut apud Græcos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Lucinam in pariendo invocant, quæ eadem Diana,’ &c. Scilicet ut Sol per diem solus, sic Luna per noctem sola lucere videtur, unde vocatur noctiluca: unde etiam ejus notitia magnam astrologiæ Boëthii affert accessionem. Sed cur Philosophia hic vocat ‘ sidera Lunæ?’ cum Luna unica sit, sidus autem videatur signum ex pluribus stellis compositum, ut Aries, Andro-

meda, &c. Quia, inquam, sidus dicitur corpus omne, quod splendida sua forma a communi ceterorum turba distinguitur: sic enim eleganter dicitur: ‘ et habet sua sidera tellus:’ sidus quippe dicitur ab εἶδος forma sive species, Spiritu’ in s mutato, quod rarum non est. Cur vero ‘ Luna’ vocatur ‘ gelida?’ nisi quod Luna præest nocti, quæ, absente Sole, vicino die est frigidior.

^t *Et quæcumque vagos stella recursus*] III. Boëthius, se etiam teste, cognovit pariter stellas: non solum quod spectat earum qualitatem, quod magnum esset; verum etiam, quod majus est, quod attinet ad earundem quantitatem. Stellæ autem duplicis sunt generis, nempe inerrantes, et vagæ. Stellæ inerrantes, quæ vulgo dicuntur fixæ, sunt sidera lucida, quæ eandem inter se distantiam, sensu arbitro, semper servare videntur: hæ autem stellæ innumerabiles sunt: unde Genes. xv. ‘ Numera stellas, si potes:’ et S. Aug. xvi. de Civ. D. c. 23. ‘ nec,’ inquit, ‘ omnes eas videri posse credendum est: nam quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videt:’ quin ‘ omnes Philosophi fatentur in lactea via innumeram esse ejusmodi stellarum multitudinem: quare hanc multitudinem perspectam habere non potuit Boëthius. Stellæ autem vagæ, quæ vulgo dicuntur planetæ, sunt sidera opaca, quæ invicem modo accedunt, modo recedunt: quare inter illa Sol, utpote sidus lucidum, a recentioribus Philoso-

Exercet, varios flexa per orbes,
 Comprensam numeris¹⁷ victor habebat.
 Quin etiam causas, unde sonora
 Flamina^u sollicitent æquora ponti,

sos, has summa collectas peritus tenebat. Præterea consueverat inquirere causas, quibus venti frementes turbent planitiem maris æquatam, easque reddere:



‘in numerato habebat :’ lectio est omnium codicum.’ *Vallin.* sic etiam exli-

NOTÆ

phis non recensetur. Illi vero planetæ alii sunt majores, qui palam ante oculos omnium versantur, nempe Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, Mercurius, Luna; et hos ‘numero comprehendere’ potuit Boëthius: alii sunt minores, qui non nisi summo cum labore animadvertuntur: quales sunt prope Saturnum, Jovem, et Martem, qui propterea dicuntur Satellites Saturni, Jovis, et Martis. Immo, ut cum Seneca loquar, multi præter hos per secretum eunt, nunquam humanis oculis euntes: neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quod tandem Philosophia hic non loquatur nisi de planetis, iisque majoribus, vel ex eo patet, quod dicat has stellas ‘vagos recursus exercere,’ quatenus recurrendo ab eo quod primum tenuerunt iter, recedunt, et ‘varios per orbes flecti,’ quatenus sui sunt singulis, quos animadvertimus, planetis circuitus. Denique ‘victor’ idem est quod voti compos: sic enim, auctore Servio, intelligendus est Virgil. III. Georg. vs. 8. ‘Tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo, victorque virum volitare per ora.’

^u *Unde sonora Flamina*] IV. Boëthius se quoque fatetur cognovisse ventorum causas. Ventus enim generatim est motus aëris huc et illuc effluentis: hinc ‘ventus’ Scaligero de Caus. L. L. c. 67. pluribusque aliis, dicitur a ‘veniendo;’ quod ‘venire’ sit ‘mo-

veri,’ ‘ventus’ autem aëris motus. At ventus duplicis est generis pro duplici modo, quo aër huc illucque effluere potest. Alter ventus fit nube corruente, non secus ac videmus casu arboris, turris, aut cujusdam alterius ingentis corporis ventum excitari, nimium, propter illum corporum motorum circuitum, sine quo nullus in mundo fieri potest motus. Hoc modo oriuntur tempestates sæpe quidem in terris, sed sæpius in mari. Alter ventus fit vaporibus a Sole per aëra rarescentibus, quemadmodum videmus ventum fieri in pomo, ligno viridi, et vulgato vase, quod ‘Æolipilam’ vocant, dum hæc igni admoventur. Atqui Boëthius, cognitis sideribus, præsertim vero Sole, ejusmodi ventorum causas cognovit: quandoquidem Sole movente aliquando fit, ut aut nubes corruat, aut vapor rarescat per aëra, quod cum frequentius contingat in mari quam in terris, propter majorem aut nubium imminantium aut vaporum exurgentium copiam, idcirco ‘sonora Flamina’ nunc perhibentur ‘æquora Ponti sollicitare:’ mare enim appellatur et æquor et Pontus: æquor quidem, quod aquæ superficies, æquatis undique ponderibus, planissima sit: unde Tullius II. Acad. qq. ‘Quid tam planum videtur,’ inquit, ‘quam mare? ex quo etiam æquor illud poëtæ vocant.’ Pontus vero, si quibusdam credamus, ab

Quis volvat stabilem spiritus orbem,^v
 Vel cur Hesperias sidus in undas

15

non secus ac quisnam spiritus convertat cælum constans, aut quare astrum in

NOTÆ

Euxino: nisi tamen ipse Euxinus dicatur Pontus, ex eo quod mare omne nominatur Pontus, forte a πόνος labor, quoniam plenum est laboris. Virgil. Ecl. ix. vs. 57. 'Et nunc omne tibi stratum silet æquor, et omnes, Aspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ.' Et Ecl. vi. vs. 35. 'Tum durare solum, et discludere Nerea ponto.' Ex quibus patet quam ingeniose venti dicantur 'solicitare' sive turbare 'æquora Ponti:' cum æquor proprie non tam mare notet, quam ejus planitiem, quæ flantibus ventis turbatur.

^v Quis volvat stabilem spiritus orbem] v. Boëthius addit se cognovisse illum Universi spiritum, quem Plato, Aristoteles, Cicero, Virgilius pluresque ex antiquis auctoribus agnoverunt: qui quidem spiritus nihil est aliud, quam corpus quoddam subtilius, quod per cetera corpora diffusum hæc juxta leges motus a Deo ipso statutas movet. Virgil. Æn. vi. vs. 724. 'Principio cælum, ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agit molem, et magno se corpore miscet. Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum, Et quæ marmoreo fert moustra sub æquorẽ Pontus. Igneus est ollis vigor, et cælestis origo Seminibus: quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus, moribundaque membra. Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque: nec auras Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.' Hinc Philosophia nunc docet spiritum illum 'volvare stabilem orbem' et causam esse non solum cur

sidera orientur et occidant, verum etiam cur 'rutilus' sit eorundem ortus. Primum quidem 'volvare stabilem orbem:' quia convertit cælum, quod cum eadem semper magnitudine, figura, et motione, sensu judice, afficiatur, idcirco dicitur stabile: propterea enim terra ipsa, mare, et aër, in quibus tamen magna est formarum vicissitudo, stabilia corpora vocantur. Deinde causa est, cur sidera orientur et occidant: sicut enim navis ab ea, qua circumfunditur, aqua abripitur, ita sidera, præsertim opaca, cujusmodi sunt Planetæ, et Cometæ, ab eo quo circumfunduntur, spiritu converti possunt. Poëtæ autem ortum obitumque astrorum describentes, hæc et ab aquis emergere, et in aquas peracto cursu reverti fingunt: sic aiunt: 'Eois qua Sol exsurgit ab undis.' 'Sese alto qua gurgite tollunt Solis equi.' 'Croceum linquens Aurora cubile.' 'Ruit Oceano nox.' 'Sol quoque et exoriens et cum se condet in undas,' &c. iidemque aquas illas in quas sidera se condunt, vocant 'Hesperias,' ab ea stella quæ vocatur Hesperus: 'infima' enim, inquit Tull. ii. de Nat. D. 'quinque errantium terræque proxima stella Veneris, quæ φωσφόρος Græce, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur Solem: cum subsequitur autem, Hesperus.' Unde Virgil. Ecl. x. vs. 77. 'Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.' Denique idem spiritus efficere potest cur 'ortus' siderum sit 'rutilus,' densando scilicet vel relaxando nubes, quibus, lumine varie modificato, varii exhiberi possunt colores.

Casurum rutilo surgat ab ortu :
 Quis Veris ^{18 w} placidas temperet horas,
 Ut terras ¹⁹ roseis floribus ornet :
 Quis dedit ²⁰ ut pleno fertilis anno
 Autumnus ^x gravidis influat uvis, 20
 Rimari ^y solitus, atque latentis
 Naturæ varias reddere causas : ^z

aquas vespertinas lapsurum emineat ab oriente purpureo : quid moderetur dies tranquillos Veris, ut decoret terras floribus purpureis : quid fecit, ut Autumnus abundanter sæcundus instillet vinum racemis tumidis, suetus scrutari, et occultæ Naturæ causas diversas referre. Ille, inquam, Boëthius cæli quondam terrarumque



bent Delph. Hack.—18 *Quid veris* edd. eædem.—19 *Ut terram* Mss. et edd. Delph. et Hack.—20 Ms. Erfurt. *Quid dedit*, quam lect. etiam exhibent Delph. Hack.

NOTÆ

^w *Quis* [*Quid*] *Veris*] VI. Boëthius subjungit se tempestatem vernam cognovisse. Ver, ut ait Varro l. iv. de L. L. sic dicitur, ‘quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere se tempus anni, nisi quod Iones dicunt βῆρ.’ Tempus omnibus notum, quod hic commendatur cum a propria ratione, tum ab effectibus suis. A propria quidem ratione, quæ in hoc versatur, quod Ver sit placida tempestatas, Sole nimirum tunc dies noctibus æquante : unde dicitur : ‘Quid veris placidas temperet horas :’ ab effectibus vero, nempe a floribus, quibus moderata illa anni tempestatas ‘terram ornat,’ quique, quod rosarum colores referant, vocantur ‘rosei,’ ut eleganter explicat Virgil. II. Georg. vs. 123. ‘Ver adeo frondi nemorum, ver utile Sylvis : Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt,’ &c.

^x *Quis* [*Quid*] *dedit ut . . . Autumnus*] VII. Boëthius concludit se pariter cognovisse autumnum. ‘Autumnus’ autem, sive, ut nonnulli scribere malunt, ‘Auctumnus,’ quibusdam, referente Festo, sic appellatur, quod tunc maxime augeantur hominum

opes, coactis agrorum fructibus : unde Virgil. II. Georgic. vs. 520. ‘Glande sues læti redeunt : dant arbuta sylvæ, Et varios ponit fœtus autumnus, et alte Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.’ Unde etiam ‘Autumnus’ nunc a Philosophia dicitur ‘pleno fertilis anno gravidis influere uvis :’ ‘Plennus’ enim hic idem quod refertus : sicut Virgil. II. Georg. vs. 4. ‘Huc pater, o Lenæe : tuis hic omnia plena Muneribus, tibi pampineo gravidus autumnus Floret ager, spumat plenis vindemia labris :’ ‘Influere’ vero idem quod abundare : sicut Seneca ait ‘fortunæ influentis dona.’

^y *Rimari*] Perscrutari, penitus inquirere : qui enim naturæ causas penitus inquirat, is, instar canis venatici, omnia debet lustrare : unde ‘Physicus,’ inquit Orator I. de Nat. D. est ‘speculator, venatorque naturæ.’

^z *Naturæ varias reddere causas*] Natura a nascor dicitur, ut φύσις a φύω : quare Natura, in genere causæ efficientis, est causa, a qua res, præsertim sensibilis, nascitur : in genere vero formæ, Natura dicitur insita cujus-

Nunc jacet^a effœto lumine mentis,
 Et pressus gravibus colla catenis, 25
 Declivemque gerens pondere vultum,
 Cogitur, heu! stolidam cernere terram.

peritus, nunc luce mentis debilitata jacet stupidus, et veluti constrictus vinculis ponderosis circa collum, habensque faciem depressam propter gravitatem vinculo- rum, proh dolor! cogitur spectare terram tanti stuporis.

NOTÆ

libet corporis forma, qua illud a ceteris distinguatur. Sic conciliari possunt discrepantes Philosophorum opiniones: 'Namque,' inquit Tullius II. de Nat. D. 'alii naturam censent esse vim quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios: alii autem, vim participem rationis, atque ordinis . . . Sunt autem, qui omnia naturæ nomine appellent, ut Epicurus, qui ita dividit, omnium, quæ sint, naturam esse corpora, et inane, quæque his accidant.' Scilicet natura in genere causæ, duplex est, nimirum prima, nempe Deus, 'cujus solertiam,' inquit idem orator ibid. 'nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando:' et secunda, videlicet quoddam corpus divinitus motum: hoc enim 'vis est sine ratione, ciens motus in reliquis corporibus necessarios.' At natura in genere formæ, est unumquodque corpus, et si ita placet Epicuro, atomi et inane. Quicquid sit, non agitur hic nisi de natura, in genere formæ. Hæc autem natura obscura quidem est, sed suas habet causas, quibus ut Physici student inquirendis, sic inquisivit eas invenitque Boëthius. Hæc, inquam, natura obscura est: quia non generali duntaxat, sed singulari debet percipi cogitatione, quæ,

ntpote ab infinitis propemodum adjunctis pendens, difficillime obtineri potest. Suas tamen natura hæc habet causas: nihil enim fit sine sua causa. His causis inquirendis student Physici, ut quandam, qua a ceteris hominibus secernantur, felicitatem sibi possint comparare: nam 'Felix qui potuit rerum cognoscere causas.' Has denique causas perspectas habuit Boëthius, quippe qui 'rimari solitus' cœlum, terramque, consueverat 'latentis Naturæ varias reddere causas.' Sed heu!

^a *Nunc jacet*] Mens humana sic media est inter Deum, a quo condita conservatur, et corpus, cujus est forma, ut quo magis Deo, aut corpori moventi obsequitur, eo magis gnara fiat, aut ignara: 'Corpus enim,' ut dicitur Sap. IX. 'quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.' Deus vero Joan. I. 'illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.' Hinc perturbatio recte nunc perhibetur reddere 'effætum lumen mentis,' et instar 'gravium catenarum vultum ad terram deprimere:' sed Boëthius dicitur 'catenis pressus colla,' supple 'secundum:' sicut Virgil. 'Os humerosque Deo similis.'

PROSA II.

SED medicinæ, inquit,^x potius¹ tempus est^b quam que-
relæ.^y Tum vero totis in me intenta luminibus,^z^c Tune
es ille,²^d ait, qui nostro quondam lacte nutritus, nostris

^x *Philosophia.*

^y *Tempus est sanandi, non invehendi.*

^z *Oculis.*



1 Edd. eædem omittunt voculam *potius*, et pro *quam* legunt *non*.—2 *Tune*

NOTÆ

^b *Medicinæ, inquit, potius tempus est*] Ut corporis sic mentis suæ sunt ægritudines, quamobrem sua est utriusque medicina: unde Cic. III. Tusc. qq. ‘Medicina animi,’ inquit, ‘cur non tam desiderata, tam culta, tam grata, et probata quam corporis?’ Philosophia autem, utpote quæ in cogitatione versatur, mentis exercet medicinam; observatis tamen iis quæ a medicis corporum observari solent: hi enim 1. ægros attentius considerant: nam ‘medico diligenti,’ inquit Tullius II. de Or. ‘priusquam conetur ægro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est.’ 2. ægros alloquuntur, ut quod sua meditatione cognoscere non poterunt tam de morbo, quam de consuetudine valentis et natura corporis, percunctando et interrogando eliciant. 3. ægris præsertim silentibus manuum admovent, ut, tactu iudice, prædicta evidentius cognoscantur: inventa enim morbi causa curationem esse inventam medici putant. 4. ægros consolantur, causati aut nullum esse morbum, aut curationem ejus esse facilem: ‘Medici’ enim, inquit Orator II. de Div. ‘quæquam sæpe intelligunt, tamen nunquam ægris dicunt, eo morbo eos

esse morituros.’ Atqui ita Philosophia nunc se gerit erga Boëthium.

^c *Tum vero totis in me intenta luminibus*] I. Philosophia Boëthium attentius considerat: ut facta attentione non solum morbum Boëthii, cui mederi vult, sed etiam consuetudinem valentis, et naturam mentis cognoscat: attentio quippe animi ita propria est Philosophiæ, ut hac præcipitatio et præjudicium, infensissimi veritatis inveniendæ hostes, vitentur: mens porro dicitur ‘totis in’ aliquid ‘intenta luminibus,’ cum aliquid ita cogitat, nihil ut ei supersit virum ad aliud cogitandum. Sic Virg. ÆN. IV. vs. 100. ‘Habes tota quod mente petisti.’

^d *Tune es ille*] II. Philosophia Boëthium alloquitur, ut quod attenta meditatione de statu mentis Boëthii videtur non potuisse cognoscere, illud ab eodem Boëthio percunctando et interrogando eliciat. Ac primum quidem Philosophia Boëthium interrogat de præterito mentis philosophiam doctæ statu, ejus initium, progressum, et perfectionem optime comparat cum homine, qui, virilem ætatem adepturus, lacte primum, postea cibo graviore alitur: ‘Nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras.’ Sic S. Paulus similes

educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras? ^a Atqui talia contuleramus arma, ^b quæ nisi prius ³ abjecisses, invicta te firmitate tuerentur. Agnoscisne me? Quid taces? pudore, an stupore siluisti? malletm pudore; sed te, ut video, stupor oppressit. Cumque me non modo tacitum, sed elinguem prorsus mutumque vidisset, admovit pectori meo leniter manum, ^e et, Nihil, inquit, periculi est: ^f lethar-

^a Puer primum; deinde adolescens; postea vir Philosophus. ^b Tibi dederamus.



ille es edd. eadem.—3 Omnes codices, excepto Florentino, prior.—4 Cogno-

NOTÆ

Christianæ vitæ periodos describens, 1. Cor. 3. ait: ‘Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis:’ et Hebr. v. ‘facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo:’ ad quod respiciens S. Petrus Ep. 1. cap. 2. ‘Sicut modo geniti infantes,’ inquit, ‘rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.’ Lac autem Philosophiæ, sunt principia, quæ sola animi attentione innotescunt; cibus autem gravior, sunt conclusiones, quæ ex ejusmodi principiis majori quodam labore inferuntur. Deinde eadem Philosophia Boëthium interrogat de præsentī statu illius mentis, quæ non ob aliam causam dicitur cecidisse, perturbationibus victa, quam quod ‘abjectis armis Philosophicis,’ his noluerit uti. ‘Arma’ autem illa sunt præcepta Philosophica. Sed Philosophiæ interroganti non respondet Boëthius, non ‘pudore’ quidem, qui teste Horatio aliquando ‘infans prohibet profari,’ sed ‘stupore,’ qui quod sit veluti durties mentis, quæ etiam sollicitata non sentit, propterea et cogitationem et locutionem, cogitationis signum, impedit: hinc Boëthius ‘stupore oppressus’ dicitur non modo

‘tacitus, sed elinguis prorsus, et mutus;’ quasi ‘tacitus’ intelligatur qui linguam habens lingua non utitur; ‘elinguis,’ qui lingua captus saltem balbutire potest; ‘mutus’ denique, qui nullatenus potest loqui. Sic Tullius dixit ‘mutum forum,’ ‘elinguem curiam,’ et ‘tacitam civitatem.’ De stupore locutus Virgilius Georg. III. vs. 520. canit de tauris, ‘Non umbræ aliorum nemorum, non mollia posunt Prata movere animum, non, qui per saxa volutus Purior electro campum petit annis: at ima Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes.’

^e Admovit pectori meo leniter manum] III. Philosophia Boëthio admovet manum, ut evidentius percipiat morbi illius causam. Sicut autem Medici, cognito corde, bonam vel malam corporis valetudinem cognoscunt, quod cordis motus causa sit reliquarum corporis affectionum; ita Philosophia, cognita hominis voluntate, rectam aut pravam mentis cogitationem percipit, quod voluntas causa sit reliquarum cogitationum, tam laudabilium, quam vituperabilium, ita ut non ante in errorem aut vitium labi possimus, quam voluerimus: propterea Philosophia nunc ‘manum’ dicitur

gum patitur,^c communem illusarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus est; recordabitur facile, si quidem^d nos ante recognoverit.⁴ Quod ut possit,^g paulisper lumina^e

^c *Lethargia sopitus est.*

^d *Dummodo.*

^e *Oculos.*

verit Delphi. Hack.

NOTÆ

‘admovere pectori:’ pectus enim significat voluntatem: quemadmodum apud Ciceronem: ‘Amicus per se anatur toto pectore.’

^f *Nihil, inquit, periculi est]* iv. Philosophia consolatur Boëthium, ut ipse Boëthius, spe salutis concepta, quæ illi deinceps proponuntur remedia, his utatur lubentius: propterea Philosophia ait 1. ‘nihil esse periculi:’ quia cum mens nostra sit immortalis, hæc nullis, nisi errorum vitiorumque, est obnoxia periculis: hic autem nihil advertitur, nisi oblivio quædam, quæ imminentis erroris aut vitii nota non est: 2. mentem Boëthii generatim ‘pati lethargum:’ nam lethargus est violenta cerebri compressio, unde torpor et inexpugnabilis fere somni necessitas, rerum omnium oblivio, et mentis defectio nascitur: hinc qui hoc morbo afficiuntur, hos Medici tamdiu curant perenti, pungi, uri, aliisque modis cruciari, donec, relaxato cerebro, vigilia, attentio, et memoria in iisdem renovata nascatur: mens igitur propter quandam similitudinem tum dicitur pati lethargum, cum rerum ante cognitarum immemor habere videtur: quod ‘communis’ dicitur ‘illusarum mentium morbus,’ quatenus mentes nunquam errant, nisi, immemores primorum veritatis principiorum, præcipitatione et præiudicio judicent: 3. mentem Boëthii speciatim esse ‘oblitam sui:’ est enim ‘vel maximum,’ inquit Tullius i. Tusc. ‘animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim præceptum

Apollinis, quo monet ut se quisque noscat: non enim credo id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus; neque nos corpora sumus, neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico: cum igitur, nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum: nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te: hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo sit, hoc est, seipsum posse cognoscere.’ Ex quibus sequitur, mentem humanam non prius posse philosophari, quam seipsam noscat; ut, quæ oblita sui est, hæc speciatim lethargo laborare merito dicatur: 4. mentem Boëthii ‘paulisper’ tantum ‘esse oblitam sui,’ quod antecepta animo notio sui sit innata: unde ad primam Philosophiæ admonitionem eadem mens recordabitur sui.

^g *Quod ut possit]* Denique Philosophia, Boëthium deinceps curatura, ejusdem ‘oculos, mortalium rerum nube caligantes, fletibusque undantes, contracta in rugam veste abstersit, et siccavit:’ quæ, continuato prædicto Philosophiæ symbolo, non tam de corpore, quam de mente intelligenda sunt. Primum igitur ‘oculi’ Boëthii ‘mortalium rerum nube caligabant,’ quod ejus mens caducarum rerum perturbationibus, amore v. g. aut desiderio, obscurata videbatur. Deinde iidem oculi ‘fletibus undabant;’ quod ejusdem mens propter amissas res

ejus, mortalium^f rerum nube caligantia, tergamus. Hæc dixit, oculosque meos fletibus undantes, contracta in rugam veste, siccavit.

^f *Caducarum.*

NOTÆ

caducas afficeretur tristitia, cujus signa sunt 'fletus.' Præterea Philosophia 'oculos' Boëthii 'contracta in rugam veste abstersit siccavitque.' 'Abstersit' quidem et 'siccavit,' quia mentem exuit perturbationibus præcipuis, unde prædictæ tenebræ et tristitiæ: 'contracta' vero 'in rugam veste,' hoc est, verbis philoso-

phicis oratione conjunctis: usu quippe cogitationes cum verbis, quibus significari solent, ita conjunctæ sunt, ut sæpissime has cogitationes, non, nisi verbis in memoriam revocatis, recordemur: supra autem dictum est vestes Philosophiæ esse voces philosophicas.

METRUM III.

TUNC me^h discussa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibusque prior rediit vigor:
Ut cumⁱ præcipiti glomerantur sidera Coro,
Nimboisque polus stetit imbribus,^m

Tunc, inquit Boëthius, tenebræ discesserunt a me, caligine dissipata, et lux pristina revertit oculis meis: quemadmodum quando stellæ involvuntur a Coro rapido, vento occiduo, et cælum velatur nubibus pluviarum fœcundis, Sol absconditur, et

NOTÆ

^h *Tunc me*] Mens Boëthii perturbationibus obscurata suum prius lumen amiserat: non secus ac oculi corporis, accedente nocte, tenebris involvuntur. Sed vix Philosophia, cenovum sidus, emicuit, cum ejusdem Boëthii mens, perturbationibus sedatis, suo priori lumine recreata cœpit, ut ante consueverat, videre.

ⁱ *Ut cum*] Eximia similitudo sive oratio traducens ad mentem ex corpore dispari simile: hic autem terra refert mentem; Sol, Philosophiam; nubes, perturbationes; venti, spiritus perturbationum parentes; nox et dies alterni, alternas ignoracionem et intelligentiam referunt.

Delph. et Var. Clas.

Glomerantur sidera] 'Glomero' dicitur a glomus, *un peloton de fil*; quare cum glomus ex eo fiat, quod filum filo circumacto involvatur, 'sidera' nunc dicuntur 'glomerari,' quod hæc nubibus circumfundentibus involvantur. Neque enim putandum est, Boëthium existimasse stellas posse ventis ita moveri, ut iisdem ad se invicem accedentibus quoddam fiat stellarum agmen. Hoc fere modo Virgil. I. Georg. vs. 323. canit: 'Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris Collectæ ex alto nubes.'

Coro] Corns, sive Caurus, ventus est flans ab Occasu æstivo: unde hic ventus sic contrarius est motui, quo

Boëth.

F

Sol latet, ac nondum cœlo venientibus astris,ⁿ
 Desuper in terram nox funditur ;
 Hanc si Threicio Boreas^o emissus ab antro
 Verberet, et clausum† reseret diem,

5

nox irruit ex sublimi in humum. Si Boreas ventus ex spelunca Thracia ortus flagellet hanc terram et aperiat lucem absconditam, Sol apparet, et emissus luce

† *clarum* Wakefield. ad Lucret. vi. 114.

NOTÆ

aër ab Ortum in Occasum cietur, ut nubes contrariis hinc et inde motibus compressæ cogantur, copiosum imbrem, nisi aliter dissolvantur, emissuræ. Virg. v. Æn. vs. 125. ‘Quod tumidis submersum tunditur olim Fluctibus, hyberni condunt ubi sidera Cori.’

^m *Nimbosisque imbribus*] Imbres nimborum dicuntur, quod hi nube tanquam sua materia inclusi contineantur: nimbus enim non secus ac nubes generatim illud dicitur quod nubit sive operit: unde ‘nimbus,’ inquit Isidorus l. XIX. c. 31. ‘est fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum.’ Ex quo Plautus ‘nimbatam’ meretricem dixit. Scilicet nubes, quæ nihil est aliud quam vapor caliginosus, in sublimi aëris circumfundentis pondere libratus, deorsum ferri potest duobus modis, et pro diverso descensus sui modo, diversos habere effectus: vel enim nubes integra descendit, vel frustatim; si integra descendat, fulguris, fulminis, tonitruum, præsertim vero tempestatis parens esse potest. Si autem frustatim descendat, hujus tres esse solent formæ; nimirum nix, pluvia, et grando: nam villosi nubis globuli cadendo vel servant, vel mutant suam formam: si servant, ningit: si vero mutant, hi aut liquescunt tantum, tumque pluit; aut durescunt liquati, tumque cadit grando.

Polus stetit] Cœlum obductum fuit. Sic enim Virgilius Ecl. VII. vs.

53. ‘Stant et juniperi, et castanæ hirsutæ.’ Æneid. VI. vs. 300. de Charonte, cujus oculi flamma tegi videbantur: ‘Canities inculta jacet; stant lumina flamma.’ Æneid. XII. vs. 407. de cœlo quod pulvere obductum erat: ‘Jam pulvere cœlum stare vident.’ Hinc additur vs. 5. ‘Sol latet.’

ⁿ *Nondum cœlo venientibus astris*] Nox enim, Poëtis præsertim, duplicis est generis. Altera nascitur occidente Sole, emicantibusque ceteris astris, quæ propterea oriri dicuntur: de hac nocte loquitur Virg. II. Æn. vs. 250. ‘Vertitur interea cœlum, et ruit Oceano nox, Involvens umbra magna terramque polumque.’ Altera oritur, etiam ante Solis occasum, ipso ceterisque astris latentibus, de qua loquitur idem Virg. I. Æn. vs. 92. ‘Eripiunt subito nubes cœlumque diemque Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.’ Et de hac nocte nunc agitur: unde dicitur ‘fundi in terram desuper, nondum cœlo venientibus astris,’ quæ scilicet occidente Sole emicare solent.

^o *Boreas*] Boreas est ventus flaus ab Ortum æstivo: quoniam simili motu, quo aër ab Ortum ad Occasum circumactus, cietur. Hinc autem omnia, quæ de isto vento dici solent, possunt inferri. Primo enim ventus hic e regione Cori spirat: quia Corus flat ab Occasum æstivo: unde utriusque hujus venti noster auctor nunc meminit. Secundo idem ventus vehemens est: quoniam una cum aëre fertur ad Occasum: cum autem om-

Emicat, et subito vibratus lumine Phœbus,^p
Mirantes oculos^q radiis ferit.

10

repentina, perstringit splendore suo oculos stupentes.

NOTÆ

nis ventus vehemens, sit frigidus, propterea Virgilius Ecl. vii. vs. 51. canit, 'Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.' Atque hinc forte nominis istius interpretatio: *βορέας* enim videtur dici a *βοάω* 'clamo' et *πέω* 'decurro,' quod ventus ille, utpote vehementior, cum sonitu currat. Tertio ille ventus serenus est, quod cum aëre concurrens nubes coactas, materiam imbrium, dissipet. Unde Ovid. vi. Metam. 'Apta mihi vis est, qua tristia nubila pello, Et freta concutio, nodosaque robora verto.' Unde etiam nunc dicitur 'clausum reserare diem,' hoc est, fugare nubes, quibus, etiam ante Solis occasum, nox facta est.

Emissus ab antro] Optime Boreas, aut quilibet alius mundi ventus, a tempestate diversus, 'ab antro emitti' dicitur, ut i. *Æn.* vs. 64. 'Sed pater omnipotens speluncis abdedit atris.' Quemadmodum enim ventus pomorum, castanearum, ligni viridis, immo et globi ænei, quem *Æolipilam* vocant, movente igne, ex quibusdam velati antris, vaporibus scilicet, qua data porta, rarescendo ruentibus oritur: sic prædictus mundi ventus ex circumstantibus terra, montibus, et nubibus, veluti ex magnis quibusdam speluncis, agente Sole, vaporibus nimirum, qua minus resistitur, rarescendo currentibus flare consuevit: unde Virgil. i. *Æn.* vs. 55. 'Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris, *Æoliam* venit. Hic vasto rex *Æolus* antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit, ac vinclis et carcere frænat. Illi

indignantibus magno cum murmure montis Circum claustra fremunt,' &c.

Threicio] Sive *Thracio*: quod Boreas quidam eodem, quo ventus hic, nomine donatus, fuerit *Thrax*: vel, quod ventus hic, comparatione loci ubi scribebat Boëthius, ex *Thracia* videretur flare. Sic Virg. xii. *Æneid.* vs. 365. 'Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto Insonat *Ægæo*, sequiturque ad littora fluctus Qua venti incubuere, fugam dant nubila cælo.' Edoni enim, Græce *Ἠδωνοί*, Straboni gens est *Thracica*. Porro 'reserare' idem est quod 'aperire': 'reserare' enim contrarium est 'seris': sicut 'claudio,' et 'recludo'; 'velo,' et 'revelo'; 'tego,' et 'retego' sunt contraria: seræ autem sunt, quibus remotis fores panduntur, ut ait Varro, vel ut ait Festus, fustes, qui opponuntur foribus: Ovid. i. 6. *Amor.* 'Excute poste seram.' Hinc Virg. xii. *Æn.* vs. 584. 'Urbem alii reserare jubent, et pandere portas.'

^p *Phæbus*] *Phœbus*, sive *Apollo*, fertur Jovis et *Latonæ* filius, eodem partu cum *Diana* editus in insula *Delo*. *Medicinæ* inventor; *divinandi*, *cantandi*, et *versificandi* adeo peritus, ut harum artium *Deus* habitus sit. *Poëtis*, ut nunc, sæpius *Solem* significat, ut ipsius nominis interpretatio probat: *φαιβος* enim Græce, Latine est 'splendidus,' hinc dicitur 'emicare' et 'subito vibratus lumine:' 'emicare' quidem dicitur, quatenus fulget; *nico* enim est a *mica*, quatenus hæc dicitur de arenulis fulgentibus: at dicitur 'subito vibratus lumine,' quatenus *Sol* continuato lumine ad

NOTÆ

terras usque emittitur. Sic Virgil. *Æn.* viii. vs. 524. ‘Namque improvise vibratus ab æthere fulgor.’

¹ *Mirantes oculos*] Admiratio non nisi mentis est: quandoquidem admiratio in quadam mentis cogitatione versatur: sed hac mentis affectione

fixi oculi etiam mirari dicuntur. Scilicet ‘arguti nimis oculi,’ inquit Tullius, ‘quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur.’ Claudian. *Carm.* xxiv. vs. 69. ‘Quantum profueris, quantam servaveris urbem Attonitis metire oculis.’

PROSA III.

HAUD aliter ^g ^r tristitiæ nebulis dissolutis, hausi cœlum,^h et ad cognoscendam medicantis faciem mentem recepi.ⁱ Itaque ubi in eam deduxi oculos, intuitumque defixi,^s respicio nutricem meam,^t in cujus ab adolescentia laribus^{k u}

^g *Simili modo.*

^h *Respiravi.*

ⁱ *Animum erexi.*

^k *Domesticis penetralibus.*

NOTÆ

^r *Haud aliter*] Non secus ac, nubibus afflatu Boreæ dissolutis, Sol emicat, suoque lumine oculos spectantium in sui admirationem convertit, ego Boëthius nebulis perturbationum, præsertim vero tristitiæ meæ, instinctu Philosophiæ fugatis, cœpi paululum respirare, animumque erigere ad contemplandam eam, quæ, quod extrahat errores et vitia radicitus, ‘medici officium exercere’ videtur, Philosophiam. Sua autem hæc verba Boëthius videtur mutuatus a Virgil. *Æn.* x. vs. 898. ‘Contra Tyrrenus, ut auras Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit.’ Ubi ‘hanrire cœlum’ idem, quod ‘respirare;’ ‘mentem’ vero ‘recipere’ idem, quod ‘animum erigere:’ respirare enim proprie corporis est, quatenus hoc pulmonum ope per asperam arteriam spiritum alternis excipit ac reddit: sed propter quandam similitudinem dicitur etiam de mente, quatenus notionum, quas a rebus cognoscendis

accipit, conscia assensionem et quoddam votum emittere videtur: sic Tullius pro Sext. ‘Respirasse homines videbantur, nondum re sed spe Republicæ recuperandæ.’

^s *Intuitumque defixi*] Attenta cogitatione consideravi: ut enim cognitio clara et distincta quædam est veritatis, cui inveniendæ vacat Philosophia, norma; ita nec philosophicas res nec ipsam Philosophiam cognoscendo assequi possumus, nisi attentiori eaque frequenti mentis meditatione: qui secus fecerit, hic in præcipitationem et præjudicium, præcipua errorum vitiorumque capita, labatur necesse est.

^t *Respicio nutricem meam*] Meæ nimirum mentis: cum enim vita humanæ mentis sit cogitatio; propterea Philosophia, cujus ope cogitatio fovetur auctisque viribus adolescit, non immerito mentis humanæ ‘nutrix’ vocatur. Sic Ovidio ‘nox’ dicitur ‘curarum nutrix.’

versatus⁵ fueram, Philosophiam. Et quid, inquam,¹ tu in has exilii nostri solitudines,^v o omnium magistra virtutum,^w supero cardine^{m 6} delapsa^x venisti? an ut tu quoque me-

¹ *Ego Boëthius.* ^m *A cælo.*

5 'Probe scripti: *laribus obversatus.*' Bernart. sic etiam exhibent Delph. et Hack. Solus Florentinus, inquit Vallin. legit *versatus.*—6 'Vetus: *super-*

NOTÆ

^u *In cujus... laribus]* Id est, scholis: lar enim focus est: hinc Lares Poëtis sunt Dii patrii sive domestici, et, si credamus Apuleio, mentes parentum, qui quod olim domi lumarentur, suam putabantur semper curare familiam: unde Tullius, 'Dii,' inquit, 'quos Græci *δαίμονες* appellant, nostri, opinor, Lares.' Atqui scholæ philosophicæ, non abs re dicuntur ejusdem Philosophiæ focus: quandoquidem ibi lumen naturale, quod potest dici quædam mentis humanæ vita, ab ipsis præcipitationis præjudicii que incursum tutum, curantibus optimis præceptoribus, fovetur. Quare cum Boëthius infans missus fuerit Athenas, ubi annos decem et octo cum aliorum Philosophorum, tum Platonis præsertim et Aristotelis, lectioni vacavit, recte dicitur 'Laribus Philosophiæ ab adolescentia obversatus:' propterea Philosophia supra ægre ferebat 'Musas Poëticas' eidem Boëthio assidere.

^v *In has exilii nostri solitudines]* Theodoricus Ostrogothorum Rex, cui Boëthius antea fuerat dilectissimus, tantam impiis quibusdam, Boëthium falso accusantibus, adhibuit fidem, ut ille hunc Ticinum vulgo *Papiam* relegarit, tanquam in exilium: quam in solitudinem idcirco accedit Philosophia, quod in solitudine præsertim mens ab omni hominum commercio liberata, suis cogitationibus formandis unice vacare possit: sic Plato philosophaturus non Athenas, sed A-

cademiam, suburbanum Gymnasium, elegit: Sic Musæ desertissimos montes incolere finguntur.

^w *Omnium magistra virtutum]* Philosophia enim, auctore Tullio, 'virtutis continet, et officii, et bene vivendi, disciplinam, quam qui proficitur, gravissimam sustinere personam videtur.' Et certe virtus generatim, juxta ipsius Aristotelis mentem, definiri potest affectio mentis ut voluntaria sic recta. Duplicis est generis, nempe 'dianoëtica' et 'moralis.' Prior est affectio mentis notioni claræ et distinctæ consentientis. Posterior affectio ejusdem mentis mediocritatem laudabilem in humanis cogitationibus, locutionibus, operibusque constituentis: quare prior 'prudencia;' posterior 'temperantia' a Cicerone vocatur: utriusque autem præcepta præscribit Philosophia, adeoque 'omnium' est 'magistra virtutum.'

^x *Supero cardine delapsa]* Divinitus data: lumen enim naturale, utpote quod ab ipso mentis humanæ conditore ortum est, divinitus est datum. Philosophia autem nihil est aliud, quam lumen naturale modificatum: 'lumen' quidem, hoc est, notio, quæ sola est mentis lumen: 'naturale' vero, id est, ab ortu divinitus datum, sive a natura insitum ingenitumque: 'modificatum' denique, quatenus est primum clarum et distinctum; deinde paulo longius diffusum; postremo veri certique judicii norma. Sic Socrates, referente Themistio Orat. I.

cum rea falsis criminationibus^y agiteris? ⁷ An, inquit illa,^z te, o alumne,⁸ desererem, nec sarcinam,^o⁹ quam mei nominis invidia sustulisti, communicato tecum labore partirer? Atqui Philosophiæ fas non erat,^p incomitatum^q relinquere iter innocentis. Meam scilicet criminationem^r vererer? et quasi novi¹⁰ aliquid acciderit, sic perhorrescerem?¹¹ Nunc enim primum censes^s² apud improbos

^z Philosophia. ^o Onus. ^p Non licebat. ^q Solum. ^r Accusationem.
^s Putasne nondum.

—————

no cardine, quod non displicet.' Bernart.—7 'Mss. Rittershusii: *agitaris*: forte, (quod etiam in Gloss.) *agitareris*.' Sitzm.—8 *Te, alumne* Delph. Hack.—9 Mss. Rittersh. *ne sarcinam*.—10 *Quasi novum* Victorinus secundus, et Florentinus: sic etiam edd. Delph. et Hack. reliqui codd. legunt *novi*.—11 Codex Reg. Vict. secundus, et Mss. Rittersh. *sic perhorrescerem*. Delph. et Hack. *perhorrescerem*.

NOTÆ

Philosophiam 'in hominum genus divina duntaxat sorte delapsam fuisse testatus est.' Sic Cicero passim: 'Philosophia,' inquit, 'donum et inventum Deorum; quo bono nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi Deorum concessu atque munere, neque dabitur.'

^y *Mecum rea falsis criminationibus*] Gaudentius, Opilio, et Basilius apud Theodoricum Regem falso accusarunt Boëthium: 1. quod hic impedivisset, quominus Senatus læsæ majestatis convinceretur: 2. quod de vindicanda in libertatem Italia scripsisset: 3. quod ad obtinendas dignitates suffragia corrupisset, quod crimen Latinis 'ambitus,' Græcis *δημοκοπία* vocabatur, latisque legibus puniebatur; aut saltem quod ad hunc finem impiis artibus usus fuisset. Atque hæc, teste ipsa Philosophia, sunt 'sarcina,' quam Boëthius 'nominis' philosophici 'invidia sustulit,' quamque propterea eadem Philosophia 'communicato' cum Boëthio 'labore partiri' cupit, ejusmodi 'criminationibus' assueta. Sunt, inquam, hæc criminationes 'sarcina: nam sarcina' onus est, quod homo

ad vestem victumque secum solet deferre profecturus: ex quo factum est, ut quodlibet onus inutile et molestum 'sarcina' diceretur: unde Ovid. Ep. III. 'Non ego sum classi sarcina magna tuæ.' At easdem criminationes Boëthius philosophici 'nominis invidia sustulit:' quod philosophicis præceptis addictissimus, talis esset, qualis ab Horatio describitur, Carm. I. III. Od. 3. 'Justum et tenacem propositi virum Non civium ardor prava jubentium, Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida, neque Auster,' &c. Quare, continuatis ejusdem Philosophiæ præceptis, eo majori cum patientia Boëthio hæc criminationes ferendæ sunt, quo antiquior est illa Philosophiæ et Philosophorum sors.

^z *Nunc enim primum censes*] Interrogatio, quasi dicat, Censesne? modus loquendi Latinis non inusitatus. Notandum non extinctam, sed 'laccessitam' duntaxat dici 'sapientiam:' extinctis enim sapientibus non propterea extinguatur sapientia, quippe quæ versatur in cogitatione, cui vel tyrannorum furor nocere non potest: in hoc similis virtuti, quæ, ut ait Claudian. Carm. XVII. vs. 1. 'Pretium sibi,

mores lacesitam periculis esse sapientiam? Nonne apud veteres^a quoque, ante nostri Platonis ætatem,^b magnum sæpe certamen cum stultitiæ temeritate certavimus? eodemque superstite, præceptor ejus Socrates^c injustæ victoriam mortis me astante^u promeruit? Cujus hæredi-

^t *Nos Philosophia.*

^u *Philosophia.*

NOTÆ

solaque late Fortunæ secunda nitet.' Lacesitur tamen: quoniam dictis factisque improbis provocatur: quod lacesiri est: unde Virgil. Ecl. III. vs. 51. 'Efficiam posthac ne quenquam voce lacesas.' Sicque lacesita fuit primum quidem apud veteres, deinde apud recentiores Philosophos.

^a *Nonne apud veteres]* I. Sapientia, quæ ab ipsis Pythagoræ temporibus, dici cœpit Philosophia, apud veteres sapientes et Philosophos ex eo lacesita fuit, quod præstantissimi inter illos exilio et morte ipsa a stultis improbisque hominibus affecti fuerint. Notari potest hic loquendi modus: 'certamen certavimus:' non enim id Græcis duntaxat familiare est, ut nonnulli aiunt, sed etiam Latinis: sic Terentius dixit 'vivere vitam; gaudere gaudium:.' Cicero 'servire servitute;' Horatius 'ludere ludum:.' ut noster auctor infra dicet 'ludere ludum,' 'ornare ornamentis.'

^b *Ante nostri Platonis ætatem]* Plato natus est Athenis circa annum Mundi 3626. Hic in omni doctrinarum genere, sed in Philosophia præsertim excelluit: unde Philosophia nunc vocat 'suum,' illumque statuit tanquam notissimum Philosophum, in quo, ante quem, et post quem sapientia sive Philosophia male excepta fuit. In ipso quidem Platone sapientia male excepta fuit: nam ipse Plato iniquitate Dionysii Siciliæ Tyranni, cui se ille commiserat, inquit Cicero, in maximis periculis insidiisque versatus est. Ante eundem Platonem sa-

pientia male etiam excepta fuit: si quidem Solon Atheniensis, Anaxagoras, et Pythagoras in exilium acti fuerant: Zeno vero Eleates aliique optimi viri morte damnati: sed ejusdem Platonis præceptor Socrates: ut statim dicetur, eodem supplicio affectus fuit. Denique post eundem Platonem sapientia male excepta fuit in Caniis, in Senecis, in Soranis, in ipso Boëthio: quæ omnia seorsum probanda sunt.

^c *Præceptor ejus Socrates]* In Socrate, inquam, ante Platonis ætatem sapientia male excepta fuit: nam Socrates, cujus tanta sapientia fuit, ut hinc præceptor Platonis fuerit, inde vero Epicurei ac Stoici ab illius partibus stare gloriarentur, ob suam sapientiam morte damnatus est. Primum quidem Socrates circa annum Mundi 3600. natus, adeoque ante Platonis ætatem florens, fuit sapientissimus: nam a rebus occultis et ab ipsa natura involutis avocavit Philosophiam, ut de virtutibus et vitiis quæreret, causatus quæ supra nos, nihil ad nos pertinere: is non solum verbo sed exemplo etiam ad honeste vivendum suos auditores hortabatur: tantam quippe in omni vita servavit æquabilitatem, ut sive in prosperis, sive in adversis rebus, eundem semper vultum, nec hilarem magis, nec magis turbatum ostenderit. Deinde idem Socrates 'præceptor' fuit 'Platonis:.' unde Tullius III. de Orat. 'Socrates,' inquit, 'cujus ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis

tatem^v cum deinceps Epicureum vulgus, ac Stoicum, ceterique pro sua quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem renitentemque, velut in partem prædæ, traherent,¹² vestem, quam meis texueram manibus, disciderunt, abreptisque ab ea panniculis, totam me sibi cessisse credentes, abiere. In quibus, quoniam quædam nostri habitus vestigia videbantur, meos esse familiares^w imprudentia rata, nonnullos eorum profanæ^x multitudinis errore pervertit. Quod si nec Anaxagoræ fugam,^d nec

^v *Doctrinam.* ^w *Domesticos.* ^x *Alienæ.*



12 Ms. Rittersh. *detraherent.*—13 ‘Mss. Rittersh. respuit voculam, *est*, quæ

NOTÆ

Plato tradidit, literam nullam reliquit.’ Postea idem Socrates accusatus, quod de Diis male sentiret, ‘capite damnatus est,’ sed ‘injustissime:’ si quidem, auctore ipso Tullio, i. de Or. ‘omnium sapientissimus sanctissimeque vixit:’ propterea populus mortem ejus ita doluit, ut ejusdem accusatores partim morte, partim exilio punierit, ipsique Socrati statuam æream posuerit: ‘obiit’ tamen ‘astante Philosophia:’ nam, ut ait Tullius ibid. ‘elegantissimam Lysiæ orationem, qua pro se in judicio uteretur, respuit, et ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed ut magister aut dominus videretur esse judicum.’ In quo ‘victoriam mortis promeruit:’ quod, judicio ipsius Ciceronis, mors illa, quæ naturæ debita, non solum pro patria, sed etiam pro veritate est potissimum reddita, aut meliorem quam qui est in vita, aut certe non deteriore affert statum. Denique ipsius Socratis doctrinam, quæ quoniam instar pecuniæ ejus morte ad aliquos pervenit, idcirco vocatur ejusdem ‘hæreditas,’ partiti sunt Epicurei ac Stoici, quorum illi Epicuro,

hi Zenone duce philosophantur: nam duæ præcipuæ sunt philosophorum antiquorum sectæ, a quibus ceteræ promanarunt: nempe Ionica, cujus auctor dicitur Thales Milesius; et Italica, cujus caput fuit Pythagoras. Ionicae duæ celeberrimæ extiterunt familiæ, nempe Academicorum, et Peripateticorum: Italicae pariter duæ, nimirum Stoicorum, et Epicureorum, ‘qui,’ ut loquitur S. August. l. VIII. de Civ. D. c. 7. ‘posuerunt judicium veritatis in sensibus corporis, eorumque infidis et fallacibus regulis omnia quæ discuntur, metienda esse censuerunt;’ quique propterea ‘reclamantem renitentemque’ Philosophiam experti, philosophicam vestem, id est, dictiones, quibus tegerentur, ‘disciderunt’ verosque philosophos mentiti sunt.

^d *Anaxagoræ fugam*] In Anaxagora etiam ante Platonis ætatem sapientia male excepta fuit. Anaxagoras enim ipso Socrate antiquior, docente Tullio, dixit materiam infinitam, sed ejus particulas similes inter se minutas, eas primum confusas, postea in ordinem adductas mente divina. Ex quo confecit, Solem non esse Deum, sed

Socratis venenum,^e nec Zenonis tormenta,^f quoniam sunt peregrina,^g novisti, at Canios,^g at Senecas,^h at Soranos,ⁱ quorum nec pervetusta, nec incelebris memoria^a est,^j

^v Remota loco et tempore.

^z Senecam et Soranum philosophos.

^a Indicta.

NOTÆ

lampadem ardentem: ac propterea in exilium pulsus, aut potius libenter profectus est: fertur quippe agros et patrimonia sua reliquisse, ut discendi quærendique divinæ delectationi toto se animo dederet. Consule Diogenem Laërtium.

^e *Socratis venenum*] De Socrate jam dictum est: superest genus mortis illius: decessit autem hausto succo cicutæ venenato, quo Athenienses ad publicum mortis supplicium utebantur: hinc ‘Socrates,’ inquit Cicero, ‘cum pæne jam in manu mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cælum videretur ascendere:’ et Seneca Epist. 67. ‘Calix,’ inquit, ‘venenatus, qui Socratem transtulit e carcere in cælum.’

^f *Zenonis tormenta*] In Zenone etiam ante Platonis ætatem sapientia male excepta fuit. Zeno enim ipso quoque Socrate antiquior multa propter suam sapientiam tormenta passus est: sed quænam illa fuerint, quisve illorum auctor, non constat. Probabilius est Zenonem, dum hic Eleam patriam in libertatem vindicare conaretur, Nearchi tyranni jussu cruciatum, inter tormenta linguam dentibus præcidisse et in Cyprii Regis interrogantis faciem exspuisse. ‘Anaxarchum, Democritum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus,’ inquit Tullius, ‘Zenonem Eleatem in tormentis necatum,’ nempe a Nearchi tyranno. Sicque apud veteres philosophos lacessita est sapientia.

^g *At Canios*] II. Eadem sapientia etiam apud recentiores philosophos lacessita fuit: nam Julius Canius,

sive, ut vult Lipsius, Canus, eodem quo Seneca sæculo natus, præstantissimus philosophus, a Caio, cum quo diu altercatus fuerat, morte damnatus, hanc cum incredibili animi constantia subiit, ut refert ipse Seneca l. de Tranq. c. 14.

^h *At Senecas*] Seneca philosophus, S. Paulo æquævus, primo a Christi nativitate sæculo floruit, præceptor Neronis, a quo cum ingentibus divitiis cumulatus fuisset, morte damnatus est: ‘Quamvis,’ ut ait Suetonius in Vita Neronis, ‘sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, persancte jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei.’ Hic philosophus ‘sibi venas præsecans,’ inquit vetus interpres Juvenalis Sat. v. ‘crurumque venas abruptens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, et postremo calidæ aquæ stagnum introiens, exanimatus est.’ Nimirum, ut ipse Seneca amicos admirabili constantia, antequam moreretur, allocutus ait: ‘Neroni sævienti nihil aliud supererat, post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret.’

ⁱ *At Soranos*] Bareas Soranus, præstantissimus item philosophus, Senecæ æqualis, justitia atque industria offensiones ejusdem Neronis ita auxit, ut ad mortem actus fuerit ab eodem tyranno, qui magnitudinem imperatoriam cæde insignium virorum, quasi regio facinore, ostentare videbatur, ut ait Cornelius Tacit. Annal. l. xvi. Ne putes hic ‘Canios,’ ‘Senecas,’ et ‘Soranos’ significare imitatores et sequaces ejusmodi phi-

scire potuisti. Quos nihil aliud in cladem detraxit,¹⁴ nisi quod, nostris moribus instituti,^b studiis improborum dissimillimi^k videbantur. Itaque nihil est quod admirere, si in hoc vitæ salo^{c1} circumflantibus¹⁵ agitemur procellis, quibus hoc maxime propositum est, pessimis displicere.^m Quorum quidem tametsi est numerosus exercitus,^{16 n} sper-

^b *Philosophicis.*

^c *Mari.*

//////////

temere etiam in sequentia verba irrepsit. Ita enim ex d. Ms. ut et Erfurt. Norimbergensi itidem editione, omnium quas equidem vidi vetustissima, legendum: *Quorum quidem, tametsi numerosus exercitus, spernendus tamen est.* Sitzm.—14 Ms. Rittersli. *dejecit.*—15 ‘Crescius et Pulmannus ex vetustiss. libris hanc vocem eruerunt, cum in aliis editionibus legeretur *circumstantibus.* Eandem correctionem sibi ascribit Fr. Juretus in Miscell. ad Symmach. lib. VII. Epist. 114.’ Sitzm.—16 *Tametsi numerosus exercitus* edd. Delph. et Hack.

NOTÆ

losophorum, quemadmodum arbitratur Thomas Anglicus: ipsi sunt philosophi, qui propter majorem *ἐμφασιν* numero plurali exprimuntur. Sic dicimus ‘Alexandros,’ ‘Augustinos,’ &c.

^k *Studiis improborum dissimillimū]* Idcirco enim improbi odio habent probos, eisque nocent, quia horum illorumque cogitationes, locutiones, et opera inter se sunt contraria: quemadmodum docemur Sapientiæ II. ‘Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viæ ejus. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo: et abstinet se a viis nostris, tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum.’

¹ *Vitæ salo]* Salum est mare, sic dictum a salis sapore: hinc ‘Salacia’

Poëtis, quod salum ciet, et ‘insula,’ quasi ‘in salo,’ dicitur. Cæsar l. III. Bell. Civ. ‘Multitudine,’ inquit, ‘navium perterriti, et salo nauseaque confecti.’ Vita autem hominis quoddam mare est, quod, ut hoc, sic illa ‘circumflantibus agitetur procellis.’ Propterea Cicero Orat. in Pisonem: ‘Alios,’ inquit, ‘ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas: aliis impendentibus tempestatibus non cessi.’

^m *Pessimis displicere]* Philosophorum enim propositum, sive votum, in hoc versatur, quod virtuti studeant: virtus autem, utpote qua improborum vita damnari videtur, pessimis displicet.

ⁿ *Numerosus exercitus]* Stultorum major est, quam philosophorum, numerus, juxta illud Eccl. I. ‘perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.’ Nimirum philosophorum est vitare præcipationem et præjudicium ad invenendam veritatem, quod, ut difficile, sic paucorum est. Stultorum vero præcipatione et præjudicio in errorem primum, deinde in vitia, labi, quod, ut infinitis fere modis fieri potest, sic et facillimum et plurimorum est.

nendus tamen est; quoniam nullo duce regitur, sed errore tantum temere, ac passim lymphante^d raptatur. Qui si quando contra nos aciem struens^e valentior incubuerit, nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit:^f illi vero circa diripiendas inutiles sarcinulas^g occupantur. At nos desuper irridemus, vilissima rerum quæque rapi- entes, securi totius furiosi tumultus, eoque vallo muniti, quo grassanti stultitiæ aspirare fas non sit.

^d Bacchante.

^e Militans.

^f Ratio.

^g Onera.

NOTÆ

Sed multitudo non absolvit stultitiam, nec minus sunt vituperabiles, quod plures sint stulti. Hinc illa stultorum turba ‘spernenda est; nullo duce regitur, sed errore temere lymphante,’ adeoque ‘circa diripiendas inutiles sarcinulas occupatur.’ 1. ‘Spernenda est:’ nam virtus veræ sapientiæ comes individua et semper et sola libera est, quæ, etiamsi corpora capta sunt armis et vinculis constricta, jus tamen suum atque omnium rerum impunitam libertatem tenet. 2. ‘Nullo duce regitur:’ in hoc enim vitii et virtutis asseclæ differunt, quod hi certis, illi nullis teneantur legibus; quod virtus uno modo, vitium infinitis haberi possit: norma enim unica sit, necesse est. 3. ‘Errore lymphante raptatur;’ hoc

est, errore in furorem agente: ‘lymphatus’ enim dicitur, qui, ceu a Nymphis lympharum præsidibus actus, in furorem abreptus est: ita Virgil. VII. Æn. vs. 377. ‘Immensam sine more furit lymphata per urbem.’ 4. ‘Circa inutiles sarcinulas occupatur:’ suis quippe obsecuta perturbationibus, omnes suas curas cogitationesque ponit in caducis rebus, quæ velut pondus inutile mentem ita opprimunt, hanc ut non sinant veritatem virtutemque colere. Contra vero sapientia, quæ ratione tanquam duce regitur, spretis caducis rebus, veritati virtutique sic vacat, ut non modo instar sideris emicet, sed turris instar inexpugnabilis ab omnibus stultitiæ telis sit tuta.

METRUM IV.

QUISQUIS composito serenus^o ævo,

Quicumque, composita sua vita, tranquillus contempsit mortem imperiosam, et, in-

NOTÆ

^o *Serenus*] ‘Serenus’ dicitur a Græco ξηρός, quod est siccus. Hinc a serum, est sereo; a quo serescere, quod est sicari: unde Lucretius l. I.

‘Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes Uvescunt, eadem dispansæ in sole serescunt.’ Propterea quæ nubes in auras vanescentes ter-

Fatum^p sub pedibus dedit superbum,
 Fortunamque tuens utramque rectus,^q
 Invictum potuit tenere vultum ;

spiciens constanter fortunam prosperam adversamque, valuit servare faciem indomi-

NOTÆ

ram sicari sinunt, hæ vocantur serenæ Virgilio I. Georg. ‘serenas Ventus agit nubes.’ Ex quo factum est, ut frons excussis rugis ‘serena’ diceretur Martiali et aliis. A fronte denique vox illa translata est ad ipsam mentem, quatenus hæc libera est a perturbationibus, quibus turbari solet. Sic nunc accipitur: sicque a Latinis auctoribus accipi solet. Lucret. lib. II. ‘Quæ placidum ducunt ævum, vitamque serenam.’

Ævo] Id est, vita. Ævum enim dicitur a Græco αἰών, hoc autem quasi αἰεὶ ὄν, semper existens: sed res vivens non censetur existere, nisi quatenus vita sua afficitur: hinc, pro diverso genere vitæ, ævum aliud est perpetuum, quod mentium est; aliud certo definitum tempore. Hic agitur de ævo sive vita hominis: quemadmodum ab Horatio dicitur homo ‘ævi brevis:’ et a Virgilio de apibus, IV. Geo. vs. 206. ‘Ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi Excipiat: neque enim plus septima ducitur æstas.’ Ævum autem, sive vita hominis, tum dicitur componi, cum secundum ipsam Dei voluntatem, quæ prima est morum regula, regitur: ex quo summa oritur animi tranquillitas.

^p Fatum] Id est, mortem: ‘fatum’ enim a fando videtur dici, quasi voluntas, decretum, jussum, et dictum Dei: nam ‘quid aliud est fatum,’ inquit Minutius Felix in Octavio, ‘quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est?’ quamobrem cum divina voluntate sit ‘statutum omnibus hominibus mori,’ Hebr. IX. idcirco mors

etiam Christianis vocari potest ‘fatum:’ ut nunc vocatur: ‘fatum’ autem sive mortem ‘sub pedibus dare’ videtur, qui, commissus Dei arbitrio, nec petit vivere nec metuit mori: ‘libera te,’ inquit Seneca Ep. 80. ‘primum metu mortis; illa nobis primum jugum imponit; deinde metu paupertatis.’ Sic Virgil. II. Geor. vs. 490. ‘Felix, qui potuit rerum cognoscere causas; Atque metus omnes et inexorabile fatum Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.’

^q Fortunamque tuens utramque rectus] Fortuna Ethnicis erat numen, a quo illud omne putabant procedere, cuius causam ignorabant: nam ‘Fortuna,’ inquit Tullius I. Acad. ‘efficit multa improvisa nobis propter obscuritatem ignorationemque causarum.’ Hinc illam saxi instar globosi prædicabant volubilem, quod globosi circuitus non citius, quam eventus, quorum causas ignoramus, sese excipiant. Hinc illam fecere duplicem, secundam scilicet, a qua bona saltem exteriora; et adversam, a qua mala contraria proficiscerentur: quod ignorata causa sæpius ab uno ad alterum statum transeamus. Rejecto autem falso illo numine, hic intelliguntur res prosperæ et adversæ, quas, qui virtutem colit, sic intuetur ‘rectus,’ ut neque deprimatur afflictarum pondere, neque vento prosperarum erigatur: legitur ex ‘vultu,’ qui, cum nec tristior adversis, nec hilarior secundis fiat, ‘invictus’ manet. Non possum tacere verba Horatii III. Carm. Od. 3. quamvis omnibus nota, ‘Justum et tenacem propositi virum, Non civium

Non illum rabies, minæque ponti^r
 Versum funditus excitantis æstum,¹⁷
 Nec ruptis quoties vagus caminis
 Torquet fumificos Vesevus^s ignes,
 Aut celsas soliti ferire turre

5

tam ; hunc non sollicitabit aut furor terrorque maris agitantis summos imosque fluctus suos, aut mons Vesuvius, cum inconstans emittit flammam fumantes facto exitu,



17 'Cod. Thuan. primus, Reg. et nterque Vict. legunt: *exagitantis æstum:*

NOTÆ

ardor prava jumentum, Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida, neque Auster Dux inquieti turbidus Adriæ, Nec fulminantis magna Jovis manus: Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ.'

^r *Non illum rabies minæque ponti]*
 1. Mare ventis præsertim agitatedum turbatumque adeo terribile est, ut viris etiam fortissimis metum incutere posse videatur: unde Horatius Carm. l. 1. Od. 3. 'Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus: nec timuit præcipitem Africum Decertantem Aquilonibus, Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.' Hinc dicuntur 'rabies minæque' maris: 'rabies' quidem, quod more rabidi furentisve canis huc et illuc rapiatur: 'minæ' vero, quod sublimes fluctus mortem intentent: sic enim Virgil. 1. Æn. vs. 166. 'Hinc, atque hinc, vastæ rupes geminique minantur In cælum scopuli.' Atqui 'quisquis pedibus subjecit fatum,' ille his maris periculis non movetur: quod hæc nihil aliud sint, quam præsagia mortis, quam ille contemnit. Mare autem vocari 'Pontum' jam diximus Met. 11. vs. 14.

^s *Vesevus]* 11. Terra etiam, ea præsertim quæ e suo sinu emittit ignes, terribilis est: neque tamen hanc,

propter prædictam rationem, metuit qui 'sub pedibus dedit fatum.' Hujusmodi est Vesevus. Vesevus autem, qui et Vesuvius, mons est Campaniæ prope Nolam, ex cujus cacumine sæpius erumpunt ignes, morte præsertim Plinii infames: aiunt enim celeberrimum hunc auctorem, qui cognoscendi hujus ignis studio eo se contulerat, fumo flammisque inde emissis extinctum fuisse. Hujus montis meminit Virgilius 11. Geor. vs. 224. ubi ejus fertilitatem commendat: 'Talem dives arat Capua et vicina Vesevo Ora jugo.' Ignis quidem Vesevi sunt 'fumifici:' quia oriuntur ex terrestri exhalatione, quæ quamdiu terris inclusa constringitur, fumus est, at liberis per aëra iter nacta flammam concipit, statim propter majorem partium concretionem pristinam fumi formam resumtura: propterea 'ex eo' monte, ut aiunt Conimbric. Meteor. Tract. XII. cap. 3. 'aliquando nubes ascendere visa est, quæ pini similitudinem et formam referebat.' At ignes hi non emicant, nisi ruptis caminis, sive exitu sibi facto: quoniam si exhalatio, prædicta ignis subterranei materia, viam invenisset factam; in anras potius abiisset, quam in ignem: quod cum fiat, interruptis vicibus, propterea mons ille nunc vocatur *vagus*.

Ardentis via fulminis^t movebit.

10

Quid tantum miseri feros tyrannos^{18 u}*aut iter fulminis accensi, quod consuevit percutere alta ædificia. Cur infelices ita*

sed male, et contra rationem versus.' *Vallin.*—18 'Thuan. primus, et uterque Vict. habent: *sævos tyrannos*: item male.' *Idem.*

NOTÆ

^t *Via fulminis*] III. Cælum, præsertim fulminans, adeoque fulgurans, et tonans maxime terribile est; quod præsentem intentare mortem videatur. Hinc qui malæ conscientiæ stimulis sive potius furiis agitantur, hi fulmina præcipue, adeoque fulminum præsagia, fulgura et tonitrua metunt: sicut C. Cæsar Caligula, 'qui,' ut loquitur Suetonius, 'Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere; ad vero majora proripere se e strato, sub lectumque condere solebat.' Sicut etiam quilibet impius, iudicio Juvenalis l. v. Sat. 13. fulmine terretur: 'Hi sunt qui trepidant et ad omnia fulgura pallent Cum tonat: exanimes primo quoque murmure cœli: Non quasi fortuitus nec ventorum rabie, sed Iratus cadat in terras et iudicet ignis.' Fulmen autem et fulgur non solum origine, verum etiam natura conveniunt. Conveniunt quidem origine, quod utrumque, Varronis arbitrio in iv. de L. L. a 'fulgore' dicatur. Conveniunt etiam natura, quod utrumque sit exhalatio accensa. At differunt, quod fulgur vix natum, perit: fulmen non prius extinguitur, quam ad terras usque pervenerit, simile his stellis, quas, inquit Virgil. i. Geor. vs. 365. 'Vento impendente videbis Præcipites cœlo labi, noctisque per umbras Flammaram longos a tergo albescere tractus.' Propterea nominatur hic 'via fulminis ardentis,' diciturque fulmen

'solitum celsas ferire tures.' Nimirum accensa illa exhalatio nubibus excussa, aut per nubium latera emittitur, aut per inferiorem nubis subjectæ partem. Si primum: fulminis via sic obliqua est, illud ut sublimia potius quam humilia sibi obviam habeat. Si vero alterum: quemadmodum mensa, corio supposita, corium reddit perforatu facilius; sic corpus, sublime nubi subjectum, nubem, qua illud huic respondet, reddit fragiliorem, adeoque viam sibi parat, qua fulmine ruente percutiatur. Verum nec fulmen illud potest malum inferre gravius morte, quam cum non metuat ille, de quo nunc agitur, idcirco nec fulmine movetur. Senec. in Thyest. vs. 347. 'Rex est qui posuit metus... Quem non concutiet cadens Obliqui via fulminis... Qui, tuto positus loco, Infra se videt omnia, Occurritque suo libens Fato, nec queritur mori.'

^u *Quid feros tyrannos*] Denique qui neque fluctuum marinorum furoribus, neque ignium subterraneorum incendiis, neque Jovis fulminantis ictibus terretur, hic multo minus metuit tyrannos, quorum minor esse videtur nocendi potestas. 'Tyrannus' apud Veteres idem erat quod 'Rex' sive 'Princeps:' atque ita forte vocatus a turribus sive sublimibus ædificiis, in quibus manere solent Reges: unde Horatius pauperum tabernas Regumque turres opponit l. i. Carm. Od. 4. 'Pallida mors æquo pulsat pede pau-

Mirantur sine viribus furentes ?
 Nec speres aliquid, nec extimescas :^v
 Exarmaveris impotentis iram :
 At quisquis trepidus pavet, vel optat,^w 15
 Quod non sit stabilis, sui que juris,
 Abjecit clypeum, locoque motus
 Nectit, qua valeat trahi, catenam.

stupent tyrannos crudeles, accensos furore inani? Nihil optes, nihilque metuas, tumque exarmabis furorem effrænati infirmique tyranni: sed quicumque metuit tremens, aut sperat, is, quoniam non est constans et compos sui, deposuit scutum, et sua sede disjectus componit vincula, quibus rapi possit.

NOTÆ

perum tabernas Regumque turres, o beate Sexti.' Sic Virgilius de tyranno loquitur VII. Æn. vs. 266. 'Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.' Sed apud recentiores auctores tyrannus ille solum dicitur princeps, qui suprema sua potestate abutitur: quo modo idem Virgil. IX. Æn. vs. 365. 'Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat.' Neque vero ejusmodi tyrannos timet, qui, magnitudine et fortitudine animi præditus, nihil a rebus creatis aut sperat aut metuit: 'Harum' enim 'virtutum,' inquit Cic. III. de Offic. 'est proprium nil extimescere, omnia humana despicere; nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare.' Ex quo idem Orator conficit 'fortitudinem esse dolorum laborumque contemtionem.' Quare magnanimis viris 'feri tyranni' habentur 'sine viribus furentes.' Igitur

^v *Nec speres aliquid, nec extimescas*] Hæc est sententia Platonis, quam sibi deinceps usurpaverunt Stoici, unanimique consensu approbarunt omnes cum oratores tum poëtæ. Plato enim in Philebo ait 'oportere eum, qui intelligendi sapiendique vitam elegit, nullatenus gaudere vel dolere.' Seneca ille Stoicus de Beata Vita

c. 5. 'potest,' inquit, 'beatus dici qui nec cupit nec timet, beneficio rationis.' Cicero, versu 11. et Virgilius, versu 2. hujus metri citatus: quibus addi potest Martialis l. x. Ep. 47. 'Quod sis, esse velis, nihilque malis: Summum nec metuas diem, nec optes.' Scilicet mens caducarum rerum spei metusque libera, hinc a corpore, errorum vitiorumque fonte, liberatur, inde vero Deo veritatis virtutisque principio conjungitur: quare 'exarmat iram,' cujus est duntaxat aut auferre bonum quod optes, aut inferre malum quod timeas; quique tibi irascitur, hic 'impotens' est: sive quia quo ira libidoque rapiunt, sequitur, (talis enim homo etiam Ciceroni 'impotens' dicitur,) sive quia nocere non potest.

^w *Quisquis . . . pavet, vel optat*] E contrario quicumque metu aut spe caducarum rerum afficitur, is, 1. 'non est stabilis,' quod vel supplicio vel præmio mens ejus a prima veritatis virtutisque norma recedere sit parata; 2. 'sui juris non est,' quod mancipia non tam servi dominorum, quam ille cupiditatum vel timorum; 3. 'abjecit clypeum,' quod magnitudo fortitudoque animi, quam abjecit, sit ipsius animi robur et tutela; 4. 'loco motus,' ut miles extra suum agmen;

NOTÆ

quod tranquillitas animi, a qua recessit, propria sit ejusdem animi sedes; 5. ‘nectit catenam qua valeat trahi;’ quod spem metumque, quibus ut ceteris perturbationibus mens humana rapitur, conceperit, conceptosque fovere studnerit. Neque aliud nobis hic videtur annotatione dignum, nisi forte interpretatio, et usus hujus vocis ‘clypens’ vs. 17. ‘Clypeus’ autem, clupeus, clipeus, clypeum, clupeum, et clipeum, neque origine neque usu nobis differre vi-

dentur. Origine quidem ‘clypeum,’ (idem dicas de ceteris,) iudice Salmasio, dicitur κατὰ μετάθεσιν ‘ex κύκλιον in orbem actum’ sive ‘ovatum;’ quod ea sit figura hujus corporis. Usu vero ‘clypeus’ sive ‘clypeum’ est textum rotundum, quod, ad pompam, insculptis cœlatur imaginibus, et, ad pugnam, lævam militis partem tegit: unde a corpore ad mentem translatum id nomen, nunc magnitudinem fortitudinemque animi, ut dictum est, significat.

PROSA IV.

SENTISNE, inquit,^h hæc,^x atque animo illabuntur tuo? Esne ὄνος πρὸς λύραν? ⁱ 19 Quid fles? Quid lacrymis manas? Ἐξάουδα, μὴ κεῦθε νόω.^k Si operam medicantis expectas, oportet

^h Philosophia. ⁱ Asinus lyræ. ^k Dic, neque mente tegas.

19 Omnes vett. libri ὄνος λύρας, non πρὸς λύραν: sic et Delph. Hack. vid. inf.

NOTÆ

^x *Sentisne, inquit, hæc*] 1. Boëthius interrogatur a Philosophia de intelligentia prædictorum: cum enim, auctore Tullio 1. Acad. ‘neque hoc quicquam sit turpius, quam cogitioni assertionem approbationemque præcurrere;’ propterea Boëthius non ante debuit de prædictis ferre iudicium, quam illa animo illapsa suo perceperit: hinc Philosophia rogat Boëthium, sitne istorum, sicut ‘asinus’ est ‘lyræ,’ auditor tantum, ὄνος λύρας. Nimirum tanta est tamque nota asini stupiditas, hic ut Græcis Latinisque hominibus in proverbio sæpius fuerit, ad significandam hominis ignorationem. Sic dicitur ὄνος ἐν πιθήκοις, ‘asinus inter si-

mias:’ ὄνος ἐν μελίτταις, ‘asinus inter apes,’ dum stultus inter callidos, aut piger inter sedulos occurrit. Sic ὄνον κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρον, ‘asini caput ne laves nitro,’ dum prohiberis operam perdere in docendis rudibus: quemadmodum Horatius ait lib. 1. Sat. 1. ‘Infelix operam perdas: ut si quis asellum In campo doceat parentem currere frænis.’ Sic ὄνος πρὸς αὐλὸν, ‘asinus ad tibiam:’ ὄνος λύρας, ‘asinus lyræ’ suppl. ‘auditor;’ sive, ut alii legunt, ὄνος πρὸς λύραν ‘asinus ad lyram:’ prior lectio non solum est nostri Auctoris, sed ipsius etiam Varronis in Satyra quæ testamentum inscribitur apud Agellium l. III. c. 16. ‘liberi,’ inquit, ‘si erunt ὄνοι λύρας

tet ut vulnus detegas tuum.²⁰ Tum ego^l collecto in vires animo,^m Anne adhuc eget admonitione, nec per se satis eminet fortunæ in nos sævientis asperitas? Nihilne teⁿ ipsa loci facies^y movet? Hæccine est bibliotheca quam

^l Boëthius. ^m Respondeo. ⁿ O Philosophia.



Quidam codd. etiam pro *Esne* habent *An ōvos*, &c.—20 Thuan. primus, Reg. Flor. et uterque Vict. codex, edd. Delph. Hack. *oportet vulnus detegas*: quod etiam Ms. Erfurt. succincte eleganterque, censente Sitzmanno. In Ms. Rittersh. et ed. Flor. τὸ tuum abest.—1 ‘Interpo-

NOTÆ

exhæredes sunt.’ Alterutrum autem ex his dicitur ad significandum hominem, qui, quamvis voces patulis auribus excipiat, verborum tamen significationem non percipit. Præterea idem Boëthius interrogatur de causa suorum ‘fletuum,’ suarum ‘lacrymarum:’ ‘Quid fles? Quid lacrymas?’ quod vocatur ejus ‘vulnus,’ quodque ‘medicanti Philosophiæ oportet detegere;’ morbus enim non sanatur indicta ignorataque ejus causa. Hinc Philosophia Boëthium ad loquendum hortatur his Homeri verbis, Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ‘Fare, nec occultes animo.’

^y *Loci facies*] II. Boëthius meminit adjunctorum, quibuscum ante, et tunc excepit Philosophiam; ut ex utriusque status discrimine ‘fortunæ in ipsum sævientis asperitas’ cognoscatur ab ipsa Philosophia, cujus natura et species, quibus Boëthius instructus fuerat, proponuntur. Primum quidem adjuncta hæc, sunt locus, habitus, et vultus Boëthii. ‘Locus’ ante fuit ‘bibliotheca’ sive locus librorum, cujus ‘parietes,’ ut infra dicitur, erant ‘ebore ac vitro comiti:’ quales esse consueverant ædes divitum, teste Horatio l. II. Carm. Od. 18. ‘Locus’ tunc est sordidus et obscurus carcer. ‘Habitus’ ante bona, tunc mala corporis ani-

mique affectio. ‘Vultus,’ qui ut mentis sic reliqui corporis sermo quidam tacitus est, ante hilaris, tunc tristis. Deinde natura Philosophiæ aperitur, antiqua hac Philosophiæ definitione, ‘divinarum humanarumque rerum scientia:’ ‘Philosophus’ enim, inquit Tullius I. de Orat. ‘is est, qui omnium rerum divinarum atque humanarum naturam causasque noscit.’ Sed non una est apud auctores horum vocabulorum interpretatio: nostro judicio hic ‘res divinæ’ sunt mentes; ‘res’ vero ‘humanæ’ sunt corpora: cum enim mens omnis sit aut Deus aut Deo similis, non abs re vocabitur ‘res divina:’ similiter cum corpus omne sit aut humanum aut humano simile, poterit etiam dici ‘res humana.’ Omnis autem Philosophia versatur in scientia mentis et corporis, eorumque, quibus duæ illæ res affici possunt, modorum. Denique Philosophiæ species, quibus Boëthius instructus dicitur, hic numerantur tres, nempe ‘Physica,’ quæ ‘naturæ secreta rimatur,’ hoc est, ‘valde quærit, vel in rimis quoque:’ sicut hoc verbum interpretatur Festus; ‘Astronomia,’ quæ ‘siderum vias radio describit;’ hoc est, virga, qua descriptis quibusdam figuris variæ terrarum cœlique partes ob oculos ponuntur; et ‘Ethica’ sive ‘Mo-

certissimam tibi sedem nostris in laribus^o ipsa delegeras? in qua mecum sæpe residens, de divinarum humanarumque rerum scientia disserebas?^p Talis habitus,^q talisque vultus erat cum tecum naturæ secreta^r rimarer, cum mihi siderum vias^s radio describeres, cum mores nostros,^t totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar formares? Hæccine præmia^z referimus tibi obsequentes?

^o Domo nostra. ^p An. ^q Habitudo. ^r Physicam. ^s Astronomiam.
^t Moralem.

~~~~~

nendæ hic interrogationes ex Ms. Rittersh. *Talis habitus . . . . secreta rimarer? cum mihi . . . describeres? cum . . . formares?* Sitzm.—2 Thuan. pri-

#### NOTÆ

ralis,' quæ 'mores nostros totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar format;' hoc est, ad voluntatem divinam, quæ sicut est prima omnium causa, sic prima est actionum humanarum regula. Hinc Propheta Rex, Psal. 142. 'Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.' Hinc S. Paulus Act. 9. 'Domine, quid me vis facere?' Hinc etiam noster Auctor l. II. Met. ultimo: 'O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat.'

<sup>z</sup> *Hæccine præmia*] III. Boëthius meminit præceptorum philosophicorum, quorum tanta est ad Rempublicam optime administrandam utilitas, ut idem Boëthius cum ipsa Philosophia merito conqueri videatur de suis calamitatibus: 'hæccine,' inquit, 'præmia referimus tibi obsequentes?' Summa, inquam, est præceptorum philosophicorum ad Rempublicam optime regendam utilitas; quod his veluti principiis nitatur virtus, ut præsentis sic futuræ felicitatis semen. Hinc Plato l. v. de Repub. suggerente ipsa Philosophia, ait, 'beatas fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent;' quatenus Philosophi in magistratum ve-

niunt: 'vel earum rectores studere sapientiæ contigisset;' quatenus qui in magistratum venerunt, Philosophi fiunt. Hinc 'ejusdem viri,' nimirum Platonis dialogo VI. de Republ. 'ore hanc sapientibus capessendæ Reipublicæ necessariam causam esse monuit' Philosophia, 'ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent:' ut enim optimi moderatores suis præceptis exemplisque subditos ad virtutem ducunt; sic maligno saltem exemplo ad vitium. 'Nam ita profecto est,' inquit Lipsius in Præfatione Politicorum, 'arcta quaedam catena devincti sumus, qui imperamur cum imperante. Et ut in corpore mens sana aut insana esse non potest, nisi ut pariter vigeant aut langueant ejus functiones: non item in hac societate princeps. Ad virtutem ille præit? sequimur: ad vitia? inclinamus. Bene beateque agit? floremus. Improspere? labimur aut ruimus cum illo. Atque ut a Sole in subjecto hoc orbe lux aut tenebræ: sic a principe apud subditos prava pleraque aut recta. Cæsar ille non animose magis, quam vere dixit: Procerum motus hæc cuncta sequuntur. Humanum paucis

Atque tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, Beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset.<sup>u</sup> Tu ejusdem viri ore hanc sapientibus capessendæ<sup>v</sup> Reipublicæ necessariam causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent.<sup>2</sup> Hanc igitur auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram,<sup>w</sup> transferre in actum publicæ administrationis optavi. Tu mihi,<sup>a</sup> et qui te sapientium mentibus inseruit Deus, estis<sup>3</sup> conscii,<sup>z</sup> nullum me ad magistratum,<sup>y</sup><sup>4</sup> nisi commune bonorum

<sup>u</sup> Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur. <sup>v</sup> Administrandæ.  
<sup>w</sup> Studendo. <sup>x</sup> Testes estis. <sup>y</sup> Procuracionem muneris publici.

mus, Reg. et Flor. codex habent, ferrent: quod rectum putat Bernart.—  
 3 In Mss. et ed. Florent. abest vocula estis.—4 ‘Monuimus supra scriben-

## NOTÆ

vivit genus.’ Hinc ipse Boëthius ‘hanc auctoritatem secutus,’ quod a Philosophia inter secreta otia, sive ceterorum hominum colloquiis et interpellationibus non impeditus, ‘didicerat, transferre in actum publicæ administrationis optavit,’ a theoria, uti loquuntur, ad praxim progressus.

<sup>a</sup> Tu mihi] iv. Boëthius addit se præcepta philosophica diligenter executum fuisse, seque eo duntaxat fine ‘ad magistratum’ accessisse. Valinus monet scribendum hic esse *magisteriatum*; quod Boëthius fuerit magister officiorum, quæ dignitas passim *magisteriatus* appellatur, quodque ea, quæ Boëthius præclare a se facta mox recenset, in ea dignitate constitutus fecerit. Sed hæc ita fuerint, nihil hic mutandum arbitramur, quod generalis hic loquendi modus aptior sit ad probandum Boëthium præceptis philosophicis semper fuisse addictissimum, ita ut ne ad unam quidem dignitatem, ‘nisi communi bonorum omnium studio’ impulsus, per-

venerit: qua de re ut nullus superesset dubitandi locus, jusjurandum, affirmationem religiosam adhibet: ‘Tu mihi et Dens conscii.’ Sic S. Paulus Roman. i. et ad Philipp. i. jurat: ‘testis mihi est Dens.’ Sic jurat Nisus Æneid. ix. vs. 428. ‘O Rutuli, mea fraus omnis: nihil iste, nec ausus, Nec potuit: cælum hoc et conscia sidera testor.’ Optime tandem ‘Dens’ dicitur ‘Philosophiam sapientium mentibus inseruisse:’ nam Philosophia cognitione et amore optimarum rerum continetur. Sicut autem Dens creando materiam, eidem figuram et motum sic impressit, ut quicquid subinde huic materiæ accedit figuræ et motus, id nihil aliud sit, quam quidam prioris figuræ et motus modus, sive, ut loquuntur ‘determinatio:’ haud aliter Deus creando mentem humanam, eidem notionem et inclinationem de eo quod ‘Est’ sive de ipso Deo ita impressit, ut quicquid postea in eadem mente oritur notionis et inclinationis, saltem



omnium studium, detulisse. Inde cum improbis<sup>b</sup> graves inexorabilesque<sup>z</sup> discordiæ, et quod conscientiæ libertas habet,<sup>5</sup> pro tuendo jure spreto potentiorum<sup>6</sup> semper offensio.<sup>a</sup> Quoties ego Conigastum<sup>c</sup> in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius<sup>b</sup> excepi!<sup>7</sup> Quoties Trigullam<sup>8 d</sup> regiæ præpositum domus<sup>c</sup> ab incepta, perpetrataque<sup>9</sup> jam prorsus injuria dejeci! Quoties miseros,

<sup>z</sup> Implacabiles.    <sup>a</sup> Inimicitia.    <sup>b</sup> Occurrens.    <sup>c</sup> Vulgo, *Intendant de la Maison Royale.*

dum hic esse *Magisteriatum.*' Vallin. Vid. Not. inf.—5 Ms. Erfurt. *quod scientiæ libertas habet.*—6 Flor. *habet potentum*: nostram lect. exhibent Delph. et Hack. etiam Ms. Rittersh.—7 In Mss. Erfurt. hæc ita leguntur: *Quoties ego, obvius ei C . . . . . facientem excepi.*—8 Codex Vict. secundus habet, *Triguillam*: edd. Delph. et Hack. *Triguillam.*—9 'Reg. et Vict. secundus habet, *et perpetrata*: sed optime Vict. primus *imperataque jam.*' Vallin.

#### NOTÆ

optimarum rerum, id nihil aliud sit, quam quidam prioris notionis et inclinationis modus, sive, ut aiunt 'determinatio.' Hinc Lucretius lib. v. 'Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum, Dicendum est: Deus ille fuit, Deus, inelyte Memmi, Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ Nunc appellatur sapientia: quique per artem Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris, In tam tranquillo, et tam clara luce locavit.'

<sup>b</sup> *Inde cum improbis*] Quod videlicet præceptis philosophicis addictus non 'nisi communi bonorum omnium studio' ad magistratum accesserit Boëthius, eidem fuerunt 'cum improbis graves inexorabilesque discordiæ:' hinc enim diversæ Boëthii et improborum cogitationes: hinc 'pro tuendo jure spreto potentiorum semper offensio:' quæ est 'conscientiæ libertas:' conscientia enim hic nihil est aliud, quam mens veri bonique, ut conscia, sic convicta: tanta est autem hujus conscientiæ libertas, ut ab omnibus hominum injuriis sit tuta. Hinc plurima fuerunt Boëthii in suos

cives beneficia, de quibus seorsum dicendum est.

<sup>c</sup> *Quoties ego Conigastum*] Primum Boëthii in suos cives meritum. 'Conigastus,' sive, ut scribit Cassiodorus, 'Cunigastus,' vir fuit potens apud Regem Theodoricum, quod vel ex eo patet, quod, referente Cassiodoro l. VIII. Ep. 28. Athalaricus Rex ad eum scripserit, eundemque illustrem appellarit. Hic autem Conigastus ea, qua apud Theodoricum pollebat, auctoritate abusus, in imbecillis cujusque fortunas faciebat impetum, quem Boëthius pro sua virtute sæpius repressit magister officiorum 'obvius:' hujus quippe Magistratus erat Præfectos provinciarum judicare, et, querelis provincialium acceptis, de iis ad principem, cujus in aula versabatur, referre.

<sup>d</sup> *Quoties Trigullam* [*Triguillam*] Secundum Boëthii meritum, primo tanto majus, quanto Triguilla, Conigasto non impar improbitate, eodem erat Conigasto potentior: Triguilla enim erat regiæ Theodorici domus Præfectus.

quos infinitis calumniis impunita Barbarorum<sup>d</sup> semper avaritia<sup>e</sup> vexabat, objecta periculis auctoritate protexi! Nunquam me ab jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus<sup>e</sup> pessumdari, non aliter, quam qui patie-

<sup>d</sup> Gothorum.    <sup>e</sup> Tributis iniquis.

## NOTÆ

<sup>e</sup> *Impunita Barbarorum semper avaritia*] Tertium Boëthii meritum prioribus eo majus, quod plus sit turbæ, quam unius improbi malis consiliis resistere. ‘Barbarus’ autem antiquitus ille cuilibet genti dicebatur, qui, quod extraneus, vulgarem loquendi modum non tam pronuntiare quam murmurando confundere videbatur: hinc nonnulli conjiciunt vocem hanc, ‘barbarus,’ esse de numero eorum vocabulorum quæ, quod rem a se significatam æmulari videantur, *πεποιημένα* sive ‘factitia’ vocari solent, ut ‘balare,’ ‘boare,’ ‘hinnire:’ alii ejus originem inferunt ex Arabico *barbar*, murmuro. Hinc Græcis quicumque Græci non erant, ‘barbari’ dicebantur: sicut Latinis, quicumque non erant Latini. Unde Horatius Epod. ix. ‘Sonante mistum tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis Barbarum?’ Quod autem extranei illi, utpote moribus dissimiles, in cives suam crudelitatem exercere consueverant, fieri potuit usu, ut ‘barbarus’ idem esset quod ‘crudelis:’ hic autem ‘barbari’ et extranei et crudeles sunt: siquidem intelliguntur Gothi, quorum ‘impunita avaritia’ cives ‘semper vexabat,’ nisi hæc Boëthii curis reprimeretur: cives autem illi dicuntur ‘Provinciales,’ quia alienis vivebant legibus, ac insuper vestigales erant sive stipendiarii. Nimirum cum provincia proprie sit regio a populo Romano, ut distans, sic armis devicta, aut quomodocumque in

potestatem adducta, quam magistratui suo administrandam subjecerat; (Provincia enim sic dicitur quasi regio procul vincenda aut potius victa;) propterea Romanis alii erant ‘Socii,’ alii ‘Provinciales:’ ‘Socii’ suis, ‘Provinciales’ alienis vivebant legibus: unde Cicero Verr. vi. et in Maniliana hos merito distinguit: ‘Bellum,’ inquit, ‘grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis.’ Atque hos ‘Provinciales’ Boëthius tanta animi magnitudine protexit, ut nemini ullam passus fuerit inferri injuriam: ‘Nunquam me,’ inquit, ‘ab jure ad injuriam quisquam detraxit;’ aut si non obstante ejus diligentia, contigerit, ‘Provincialium fortunas tum privatis rapinis,’ (ut a Conigasto et Trigulla,) ‘tum publicis vectigalibus,’ (ut ab ipso Theodorico, qui apud Casiodorum Var. v. Ep. 39. ‘ad suum commodum amplius festinat exigere,) pessumdari, non aliter, quam qui patiebantur, indoluerit:’ velut Job, qui cap. 29. ‘pater fuit pauperum; et causam quam nesciebat, diligentissime investigabat: conterebar molas iniqui, et de dentibus illius auferere prædam.’ Denique vectigal sic dictum quod e vectura pendatur, tributum erat quod Provinciales Romanis solvebant pro commercio, pro agris, pro sylvis, nec non etiam pro sale: unde quatuor erant vectigalium genera; nempe portorium, decumæ, scriptura, et salinarum redditus.



bantur, indolui. Cum acerbæ famis tempore gravis atque inexplicabilis indicta coëmtio<sup>f</sup> profligatura inopia Campaniam provinciam videretur, certamen adversum præfectum prætorii<sup>g</sup> communis commodi ratione suscepti, rege<sup>h</sup> cognoscente contendi, et ne coëmtio

<sup>f</sup> Vulgo, *monopole*.

<sup>g</sup> Vulgo, *Capitaine des Gardes*.

<sup>h</sup> *Theodorico*.

#### NOTÆ

<sup>f</sup> *Indicta coëmtio*] Quartum Boëthii meritum prædictis idcirco majus, quod Boëthio tunc pugnandum fuit, non solum adversus quosdam privatos, verum etiam ‘adversus præfectum prætorii,’ et adversus ipsum principem; sine cujus auctoritate hæc ‘coëmtio’ non fiebat. ‘Coëmtio’ autem Romanis certa erat connubii forma, qua uterque conjux alterius bona ita emebat, ut alter alterius hæres fieret: ‘Jurisconsultorum ingenio,’ inquit Cicero pro Mur. ‘senes ad coëmtiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt.’ Hinc ‘coëmtio’ dicitur etiam illud commercium, quo Provinciales etiam inviti, urbi vel exercitui annonam parvo nullove pretio suppeditare coguntur. Sic, auctore Suida, ‘onus illud, quod Justinianus Bithyniæ, Phrygiæ, et Thraciæ incolis frumenti Byzantium perferendi conditione durissima imposuit, coëmtio.’ Græcis *συρωνή* vocatum fuit. Ex quo rursus fieri potuit ut commercium illud, quo omnibus speciebus ab uno coëmtis omnes species non nisi ab uno vendi possunt, ‘coëmtio’ diceretur, vulgo *monopolium*. Constat hic non intelligi ‘coëmtionem’ conjugum: sed non æque constat, inquit Sitzmannus, ‘utrum Provinciales a fisco species annonarias emere cogentur, an eas fisco vendere forensibus pretiis compellerentur.’ Verum cum ‘coëmtio’ hæc ‘indicta’ fuerit ‘acerbæ famis tempore;’ cum dicatur ‘gravis atque inexplicabilis;’ cum ‘profligatura in-

pia Campaniam provinciam videretur;’ cum ‘commune commodum’ hac læderetur; propterea arbitramur hæc ‘coëmtione’ utrumque significari, et Provinciales prædictas species fisco vendere minori pretio, et ab ipso easdem majori pretio emere cogendos: hinc Boëthius ‘adversus præfectum prætorii certamen suscepit, Rege’ Theodorico ‘cognoscente contendit, et ne coëmtio exigeretur, evicit.’ Sed quid ‘Campania?’ quid ‘præfectus prætorii?’ Campania regio Italiæ fertilissima: hanc post Plinium describit Florus l. i. c. 16. ‘Omnium,’ inquit, ‘non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari: hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, et tepentes fontibus Baiæ: Lucrinus, et Avernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata.’ Præfectus autem prætorii, ut ait Rosinus, ‘dicitur, qui militibus iis præerat, quos Imperatores in sui custodiam allegerant.’ Nimirum apud Romanos, Regibus exactis, iidem qui, quod consulerent Senatam, Consules, quod

exigeretur evici. Paullinum consularem<sup>g</sup> virum,<sup>i</sup> cujus opes Palatini<sup>10</sup> canes<sup>k</sup> jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus<sup>l</sup> traxi. Ne Albinum consularem virum præjudicatæ<sup>m</sup> accusationis poena corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas videor exacervasse<sup>n</sup> discordias? Sed esse apud ceteros<sup>o</sup> tutior debui, qui mihi amore justitiæ nihil

<sup>i</sup> Qui alias Consul fuit.      <sup>k</sup> Aulici, canibus impudentiores.      <sup>l</sup> Virorum cupidius optantium.      <sup>m</sup> Falsæ.      <sup>o</sup> Eos præsertim, quibus opem tuleram.



10 Thuan. primus, et uterque Vict. *Palatinæ*.—11 Ms. Rittersh. *exacuisse dis-*

## NOTÆ

judicarent, Judices sunt appellati, Prætores quoque sunt dicti, quod populo præirent: sed crescente populi Romani imperio, magistratus ita multiplicati sunt, ut qui in urbe præessent, Consules, qui vero in exercitu, Prætores dicerentur: 'a Prætore' autem est 'Prætorium.'

<sup>g</sup> *Paulinum consularem*] Quintum Boëthii meritum omnibus prædictis tanto præferendum, quanto apud Romanos Socii præstabant Provincialibus: non enim hic de Provincialibus tantum, sed de Sociis, immo et de consularibus viris 'Paulino' et 'Albino,' quos 'Palatini canes' et 'Cyprianus delator' impugnabant, bene meritus est Boëthius. Primum quidem 'Paulinus,' qui, quod ex Deciorum familia fuerit, vocatus est Decius, Consul fuit anno Christi 498. unde nunc appellatur 'consularis:' consularis enim vir est, qui aliquando Consul fuit, apud Tullium. Deinde 'Albinus,' qui, quod ex eadem Deciorum familia fuerit, etiam dictus est Decius, Consul fuit anno Christi 493. quare nunc quoque dicitur 'vir consularis:' hunc 'Albinum' oderat 'Cyprianus' frater Opilionis, de quo statim dicitur: quamobrem ipsum accusavit, dictusque propterea 'dela-

tor:' deferre quippe in foro, accusare est. At 'Paulinum' insectabantur quidam aulici, qui nunc vocantur 'Palatini canes:' 'Palatini' quidem, quod palatium sive domum principis habitent, aut saltem frequentent: domus autem principis ex eo dicta fuit palatium, quod ab Octavii Augusti temporibus Imperatores omnes Romani habitarent in monte Palatino. 'Canes' vero vocantur, sive quia præfecti custodiæ, instar canum, ad fores assistunt: sive quia canibus impudentiores, eos a quibus læsi non sunt, mordent, eorumque 'opes,' si non reipsa, saltem 'spe atque ambitione devorant hiantes.' Postremo utrumque hunc consularem virum Boëthius a tantis periculis liberavit, in quo præsertim præcepta philosophica executus est: quamobrem merito nunc suas exaggerat discordias hac interrogatione: 'Satisne in me magnas videor exacervasse discordias?' ubi non legendum, ut plures legunt, *exacervasse*: quandoquidem verbum hoc (quod sciam) Latinum non est: sed potius *exacerbasse*, ut legunt Valdericus, Bernartius, Sitzmannus, qui ait, in manuscriptis Rittershusii legi *exacuisse*: quod verbum idem est quod *exacerbasse*.



apud aulicos, quo magis essem tutior,<sup>h</sup> servavi.<sup>12</sup> Quibus autem deferentibus<sup>i</sup> percussi sumus?<sup>p</sup><sup>13</sup> quorum<sup>q</sup> Basilius<sup>14</sup><sup>k</sup> olim regio ministerio depulsus, in delationem nostri nominis, alieni æris<sup>r</sup> necessitate compulsus est. Opilio-

<sup>p</sup> *Exsulavimus.*

<sup>q</sup> *Viris scilicet iniquis, inter quos.*

<sup>r</sup> *Vulgo, accablé de*

*debtes.*



*cordias.* Vid. Not. inf.—12 Mss. etiam edd. Delph. Hack. *reservavi*: Ed. Norimb. *observavi*.—13 ‘Ita rectissime veteres: excusi perverse *percussi*.’ Bernart. Edd. Florent. Norimb. Delph. Hack. nostram lect. exhibent. Vid. inf.—14 ‘Ita omnes libri. Solus Flor. una voce auctor, *Basilius unus*.’ Vallin. Ed. Norimb. *Quorum unus Basilius olim a Regis depulsus ministerio*.—15 Mss.

#### NOTÆ

<sup>h</sup> *Magis essem tutior*] Pleonasmus, quo usus est Plautus cum dixit: ‘magis majores nugas agere, hoc magis est dulcius:’ Valerius Maximus; ‘magis invidia quam pecunia locupletior:’ Cicero; ‘se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse maluit:’ et auctor *Culicis* apud Virgilium; ‘Quis magis optato queat esse beator ævo:’ nisi tamen ‘magis’ construatur cum ‘optato’ potius, quam cum ‘beator.’ Ex his omnibus constat, quanta diligentia Boëthius executus fuerit præcepta philosophica.

<sup>i</sup> *Quibus autem deferentibus*] v. Boëthius injustas refert sui exilii causas. Exilii quidem sui meminit his verbis, ‘percussi sumus:’ neque enim legendum, ut quidam recentiores legunt, *percussi*; sed potius, ut veteres, *percussi*: sic autem Cornelius Tacitus *Annal.* l. xiv. n. 57. ‘Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere.’ At injustas memorat ejusdem exilii causas; primum quidem ex parte accusantium, quos nunc vocat ‘deferentes:’ ‘defero’ quippe in foro idem est quod ‘accuso,’ in causa capitali, iudice Tullio: deinde ex parte criminis, quod aut non allegatur, aut allegatum nullatenus probatur: sicut deinceps probabitur.

<sup>k</sup> *Quorum Basilius*] Primum igitur delator sive accusator in causa capitali, ipsius Ciceronis iudicio, verus esse debet: quamobrem si aliquo præiudicio actus videatur, omnino audiendus non est: hinc Tullius pro Mur. ‘Nolo,’ inquit, ‘accusator in iudicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam:’ cum igitur iudicium ex ipsa perturbatione ante captum sit præiudicium veritati maxime contrarium, quicumque non nisi quadam perturbatione actus videbitur deferre sive accusare, ille, utpote falsus delator accusatorve, ita rejici debet, ut quæ inde sequeretur pœna, hæc iniqua habenda esset. Atqui delatores Boëthii ita se habuerunt. Hi enim tres duntaxat numerantur, nimirum, Basilius, Opilio, et Gaudentius; quorum Basilius alieni æris necessitate, Opilio et Gaudentius fraudibus, ob quas ‘in exilium ire jussi sacrum sese ædium defensione’ tuebantur, Boëthium detulerunt. Basilius apud Cassiodorum modo laudatur, modo vituperatur. Laudatur quidem l. ii. *Variar.* et Epistola decima, in qua de ejus uxore Agapita, quæ dicitur ‘spectabilis fœmina,’ agitur; et Epistola undecima, in qua legitur: ‘Ba-

nem<sup>1</sup> vero, atque Gaudentium,<sup>m</sup> cum ob injurias, atque multiplices fraudes<sup>15</sup> ire in exilium regia censura<sup>s</sup> decrevisset, cumque illi parere nolentes sacrarum sese ædium<sup>t</sup> defensione<sup>n</sup> tuerentur, compertumque id Regi<sup>u</sup> foret,<sup>o</sup> edix-

<sup>s</sup> Edictum principis.    <sup>t</sup> Templis velut asyils.    <sup>u</sup> Theodorico.

et edd. Norimb. Delph. Hack. *innumeras multiplicesque fraudes.* Nostram

#### NOTÆ

silius vir spectabilis datis precibus intimavit, Agapitam conjugem suam de propriis penatibus a quibusdam, vitio sollicitationis, abductam. Et certe in his versata rebus firmum docetur perdidisse consilium. Quid enim facere potuit probum, quæ nullis culpis extantibus reliquit maritum? Vituperatur vero Variar. l. iv. tum Epist. 22. ubi ipse Theodoricus dicit ‘Basilium et Prætextatum artis sinistrae jam diu contagione pollutos,’ tum Ep. 23. ubi idem princeps ‘Præfectum urbis declarasse Basilium atque Prætextatum magicis artibus involutos’ scribit. Si autem Basilius hic idem fuerit, qui nunc a Boëthio nominatur, potuit propter ‘magiæ’ crimen ‘regio ministerio depelli:’ unde ‘alieni æris necessitas,’ qua Boëthium injuria detulit.

<sup>1</sup> *Opilionem*] Fuit Opilio pater, et Opilio filius. Prior, ut ait Sirmondus, comes sacrarum Largitionum fuerat sub Odoacre, quod indicare videtur Theodoricus apud Cassiodorum Variar. l. v. Ep. 41. ‘Gloriatur,’ inquit, Cyprianus ‘etiam non extrema luce natalium: nam pater huic, sicut meministis, Opilio fuit, vir quidem abjectis temporibus ad excubias tamen Palatinas electus. Qui multo amplius crescere potuit, nisi fides sub avidissima remunerationis sterilitate jacuisset.’ Posterior vero, frater hujus Cypriani, non secus ac pater fraterque, ad idem sacrarum Largitionum culmen evectus

est; sed post mortem Boëthii, nimirum sub Athalarico, anno Christi 528. Unde idem Athalaricus apud Cassiodorum Var. l. viii. Ep. 16. quæ iuscribitur ‘Opilioni comiti sacrarum,’ sic loquitur: ‘secure tibi credimus quod toties tuo generi commissum fuisse gaudemus. Pater his fascibus præfuit, sed et frater eadem resplenduit claritate:’ quod non obstat quin hic Opilio filius, a Theodorico, ‘ob innumeras multiplicesque fraudes, ad exilium’ damnatus fuerit, una cum Gaudentio.

<sup>m</sup> *Gaudentium*] Gaudentius homo vix notus nisi suis fraudibus, suaque hac iniqua Boëthii delatione.

<sup>n</sup> *Sacrarum sese ædium defensione*] Ut quædam apud Ethnicos, sic omnia apud Christianos templa semper fuerunt asyla; loca scilicet adeo sacra, ut nemo, qui ad ea confugisset, inde ad supplicium trahi posset: *ἀσυλον* quippe dicitur quasi ‘ubi spoliare nefas.’ Nonnulla, inquam, templa apud Ethnicos asyla fuerunt: nam Virgilius canit II. *Æn.* vs. 761. ‘Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo, Custodes lecti Phœnix et durus Ulysses Prædam asservabant.’ Similiter *Æn.* viii. vs. 342. ‘Hinc lucum ingentem quem Romulus acer asylum Retulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal.’ At omnia apud Christianos templa asyla semper fuerunt: ut constat ex codice Theod. l. ix. Tit. 47. ‘de his qui ad Ecclesias confugiunt:’ et Concilio Toletano



it,<sup>v</sup> ut nisi intra<sup>16</sup> præscriptum diem Ravenna urbe<sup>p</sup> decederent,<sup>17</sup> notis<sup>18</sup> insigniti<sup>w</sup> frontibus<sup>a</sup> pellerentur. Quid huic severitati posse astrui videtur? Atqui eodem die<sup>19</sup> deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est. Quid igitur? nostræne artes ita meruerunt? an illos accusatores justos fecit præmissa damnatio? Itane nihil fortunam puduit, si minus accusatæ innocentiae, at accusanti-

<sup>v</sup> Statuit.      <sup>w</sup> Stigmatici.

lect. habet codex Flor.—16 *Ut nisi infra* vulgg. ‘Ms. Rittersh. *ut nisi intra*. Proclivis prolapsio fuit a *t* ad *f*.’ Sitzm. Edd. Delph. et Hack. *ut ni intra*. Uterque codex Vict. *uti ni*.—17 ‘Ms. Rittersh. *Ravenna urbe discenderent*: forte legendum *discederent*.’ Sitz.—18 Ms. Erfurt. et edd. Norimb. Florent. Delph. Hack. *notas*. Ms. Rittersh. *notis*.—19 Cod. Vict. *primus: eo die*.

#### NOTÆ

VI. Can. 12. Hinc Cassiodorus Var. l. II. Ep. 11. et lib. III. Ep. 47. eorum meminit, qui ‘conscii facti sui, intra Ecclesiæ septa refugientes, declinare se crediderunt præscriptam legibus ultionem:’ non secus ac ‘Opilio atque Gaudentius,’ de quibus nunc agitur.

° *Id Regi foret*] Theodorico Regi Italiæ: postquam enim hic Odoacrem Italorum Regem vicisset interfecissetque, Italiæ Rex factus est, anno Christi 409.

<sup>p</sup> *Ravenna urbe*] Ravenna urbs est Italiæ in ora littoris Adriatici, quæ exundante mari non mediocrem accipit cœni palustris partem: unde Silius l. VIII. ‘Lenta paludosæ proscindunt stagna Ravennæ.’ Hinc orti feruntur plures illustres viri, ut Cassiodorus Senator, Sancti Apollinaris, Vitalis, Gervasius, et Protasius, nec non Petrus ille Ravennas in sacra Theologia celeberrimus. In hac autem urbe regni sui sedem Theodoricus post Odoacrem constituit, eandemque successores quoque Reges Gothi incoluerunt: sed in eadem urbe Opilio et Gaudentius manere sic constituerant, ut hinc nota-

rum, quas Threicias vocat Cic. pœna excedere jussi fuerint.

<sup>a</sup> *Notis [notas] insigniti frontibus*] Supplicium hoc primum quidem fuit servorum; deinde quorumlibet reorum, infamium, viliumque. Supplicium fuit servorum: cum enim Domini in servos, tanquam in homines quos occidere potuissent, servatos jus vitæ necisque habere se putarent, propterea in eosdem servos quod placuisset supplicium exercere se posse arbitrabantur. Unde Juvenalis l. V. Sat. XIV. vs. 21. ‘Tum felix, quoties aliquis, tortore vocato, Uritur ardenti duo propter lintea ferro.’ Et Martialis l. II. Epig. 29. ‘Et numerosa linunt stellantem splenia frontem: Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.’ At supplicium idem reorum postea infamium, viliumque fuit; Seneca enim l. III. de Ira cap. 3. ‘Varia,’ inquit, ‘vincalorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, et bestiarum immanium caveæ:’ inter hos Cujacius Observ. l. VII. cap. 13. recenset ‘calumniatores.’ Hi porro dicuntur ‘notas insigniti:’ sicut Ho-

um vilitatis? <sup>x</sup> <sup>20</sup> At, cujus criminis arguimur, <sup>y</sup> <sup>9</sup> summam quæris? Senatum dicimur salvum esse voluisse.<sup>r</sup>

<sup>x</sup> *Infamiæ.*      <sup>y</sup> *Accusamur.*

//////////

Cod. Vict. secundus in eo die.—20 ‘Thuan. primus, et uterque Vict. vilitas.

#### NOTÆ

ratio, ‘Quodlibet indutus;’ et Virgil. ‘Flores inscripti nomina Regum,’ more Græcorum intelligendo κατὰ, ‘secundum,’ ‘per,’ &c. Ex his autem omnibus patet delatores Boëthii injustos audiendos non fuisse: unde addit: ‘quid huic severitati posse astrui videtur?’ quasi dicat: cum in ejusmodi homines tam severe actum fuerit, cognitis eorundem vitiis, iisdem deferentibus fides non debuit adhiberi, et tamen ‘quo die nos detulerunt,’ inquit Boëthius, ‘eodem nostri nominis delatio,’ veluti justissima, ‘suscepta est.’ ‘Nostræ artes ita meruerunt?’ non certe cum veritatem virtutemque semper colere studuerimus. ‘An illos accusatores justos fecit præmissa damnatio?’ Nulatenus: immo vero damnati, suo crimine id saltem meruerunt, ut ipsis, etiam verum dicentibus, fides nulla adhiberetur: quare si fortuna cæca non foret, ‘hanc pudisset, si minus accusatæ innocentia, at accusantium vilitatis.’ Injusta ergo hæc exilii causa ex parte accusantium.

<sup>9</sup> *At, cujus criminis arguimur]* Deinde injusta est prædicti exilii causa ex parte criminis; quippe quod aut allegatum non est, aut non probatum: ‘Summa’ enim sive numerus criminum quæ Boëthio objiciebantur, in his versatur: 1. quod ‘Senatum voluerit esse salvum:’ 2. quod ejusdem ‘Senatus delatorem impediverit.’ 3. quod ‘Ad restituendam Rempubli- cam Romanam literas composuerit.’ 4. quod ‘Sacrilégio conscientiam polluerit.’ Sed hæc omnia aut crimina

non sunt, aut a Boëthio aliena: sicut deinceps demonstrabitur.

<sup>r</sup> *Senatum dicimur salvum esse voluisse]* Primum Boëthii crimen. Senatus apud Romanos erat consilium constans ex senioribus: unde Tullius in Catone: ‘consilium, et ratio, et sententia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri Senatum appellarent. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes:’ quare Ovid. v. Fast. vs. 57. ‘Magna fuit quondam capitis reverentia cani, Inque suo pretio ruga senilis erat. Martis opus juvenes, animosaque bella gerebant, Et pro Diis aderant in statione suis. Viribus ille senex, nec habendis utilis armis, Consilio patriæ sæpe ferebat opem. Nec nisi post annos patuit tunc Curia seros, Nomen et ætatis mite Senatus habet. Jura dabat populo senior, finitaque certis Legibus est ætas, unde petatur honor.’ Scribit autem Plutarchus, Romulum ex optimatibus centum creasse Senatores, eorumque collegium ex ætate Senatum appellasse: quod, forma saltem continuata, usque ad ipsa Boëthii tempora perseveravit: primumque Boëthii crimen dicitur, quod voluerit amplissimum hunc Ordinem esse salvum, tum scilicet, cum innocentem Senatum ‘majestatis crimine’ accusatum defendit ac liberavit: quod non negat Boëthius a se factum: ‘Volui,’ inquit, ‘nec unquam velle desistam:’ sed negat esse crimen: ‘an optasse illius Ordinis salutem ne-



Modum desideras? delatorem, ne documenta deferret, quibus Senatum majestatis<sup>1</sup> reum<sup>2</sup> faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, o magistra,<sup>z</sup> censes? inficiabimur<sup>a</sup> crimen, ne tibi pudori simus? at volui, nec unquam velle desinam.<sup>2</sup> Fatebimur? sed impediendi delatoris opera<sup>b</sup> cessabit. An optasse illius ordinis<sup>c</sup> salutem nefas vocabo? ille quidem suis de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat. Sed sibi semper mentiens imprudentia rerum,<sup>3</sup> merita non potest immutare: nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse

<sup>z</sup> *Philosophia.*

<sup>a</sup> *Negabimusne.*

<sup>b</sup> *Cura objecta.*

<sup>c</sup> *Senatus.*

Flor. *utilitatis: male.* Vallin.—1 *Quibus Senatum læsæ majestatis vulg.* ‘Ms. Rittersh. omittit dictionem *læsæ*: non dubito quin elegantius.’ Sitzm. Nos- tram lect. exhibent Delph. et Hack.—2 *Velle desistam* edd. eædem.—3 Hunc locum ita distinguendum ex ed. Florentina monet Sitzmannus: *mentiens imprudentia, rerum.* Sic etiam apparet in edd. Delph. et Hack.—

#### NOTÆ

fas vocabo?’ quanquam enim ipse Senatus ‘suis de’ Boëthio ‘decretis effecerit,’ ut qui perturbatione judicaret, is ‘nefas’ putaret ‘optasse illius Ordinis salutem:’ Boëthius tamen, ratus aliorum in se peccatum sibi non dare peccandi licentiam, ‘nefas’ putavit sibi, ‘vel occuluisse veritatem,’ silendo bona quæ in Senatu noverat, ‘vel concessisse mendacium,’ loquendo mala, quæ de Senatu fangebantur. Optime Socrates apud Platonem l. vi. de Repub. ‘oportet odisse mendacium, diligere veritatem.’

<sup>2</sup> *Delatorem, ne documenta deferret, quibus Senatum majestatis reum, &c.]* Secundum Boëthii crimen, quod tamen enim primo ita conjunctum est, ut si illud crimen non fuerit, quemadmodum crimen non fuisse dictum est, hoc etiam crimen non possit: quare si ‘fatebimur,’ inquit Boëthius, ‘nos voluisse Senatum esse salvum; impediendi delatoris opera cessabit.’ Sed, ut hoc percipiatur, dicendum quid majestas, et quid majestatis crimen?

Majestas est supremus honos, quo populus tenetur afficere principem, velut spirantem Dei imaginem: ‘subjecti estote,’ inquit S. Petrus Epist. 1. cap. 2. ‘omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti; sive dncibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum: quia sic est voluntas Dei . . . Deum timete: Regem honorificate.’ Quod autem honos, ejus majestas est quædam pars sive species, sit honorantis, reverentia vero, circa quam eadem majestas versatur, honorati principis; propterea Poëtæ finxerunt Majestatem filiam esse Honoris et Reverentiæ: audi Ovidium l. v. Fast. vs. 23. ‘Donec Honor placidoque decens Reverentia vultu Corpora legitimis imponere toris. Hiuc sata Majestas, quæ mundum temperat omnem: Quaque die partu est edita, magna fuit. Nec mora, consedit medio sublimis Olympo, Aurea, purpureo conspicienda sinu.’ Crimen ergo majes-

mendacium.<sup>4</sup> Verum id quo modo<sup>5</sup> sit, tuo, sapientium-que judicio, æstimandum relinquo. Cujus rei seriem, atque veritatem, ne latere posteros queat, stylo<sup>d</sup> etiam, memoriæque mandavi. Nam de compositis falso literis,<sup>t</sup> quibus libertatem arguor sperasse Romanam, quid attinet dicere? Quarum fraus aperta patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum, quod in omnibus negotiis maximas vires habet, uti licuisset. Nam quæ sperari reliqua libertas potest? Atque utinam posset ulla! respondiſsem Canni verbo: qui cum a C. Cæsare Germanici filio<sup>u</sup> conscius

<sup>d</sup> Calamo.

4 Thuan. primus: *consensisse mendacio.*—5 Ms. Erfurt. *Verum id quoquo modo:*

#### NOTÆ

tatis illud dicitur, quod est adversus honorem principibus debitum: quare cum forma imperii Romani aliquando fuerit ‘populistatus,’ ideo crimen majestatis apud Jurisconsultos est, quod adversus populum Romanum, vel securitatem ejus committitur: et Rei majestatis d. l. i. ff. ad le. jul. maj. dicuntur qui ejusmodi crimen committunt: quanquam enim honor sit genus majestatis, sermone tamen communi, ut loquitur Vives, honor et majestas ita distinguuntur, ut majestas dicatur persona ipsa quam supremo honore afficimus: sicut Cicero II. de Nat. D. ‘sustinendi,’ inquit, ‘muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in majestatem Deorum:’ sicut etiam nos Galli loquendo de Rege dicimus; *Sa Majesté*. Senatus porro Romanus temporibus Boëthii accusatus fuit, quod adversus Theodoricum Italiæ Regem, honoremque illi debitum, aliquid molitus fuerit: sed hunc innocentem defendit liberavitque Boëthius, quod crimini eidem vertitur: ‘delatorem,’ inquit, ‘ne documenta deferret, quibus Senatum majestatis reum faceret, impedisse criminamur.’

<sup>t</sup> *De compositis falso literis*] Tertium Boëthii crimen in hoc versatur, quod feratur composuisse literas, quibus Romanam libertatem sperasset: sed literas istas non a Boëthio, sed ab ejus inimicis scriptas probasset vel ipsa delatorum confessio, si eidem Boëthio data fuisset delatorum interrogandorum facultas.

<sup>u</sup> *C. Cæsare Germanici filio*] ‘Germanicus,’ ex Suetonio in Caligula, ‘Drusi et minoris Antoniae filius, omnes corporis animique virtutes habuit, et quantas nemini cuiquam contigisse satis constat. A Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio antequam per leges liceret, et post eam consulatum statim gessit. Habuit in matrimonio Agrippinam, ex qua novem liberos tulit, inter quos fuit Caius Cæsar, qui, quia manipulario habitu inter milites educabatur, Caligulæ nomen castrensi loco traxit.’ Hic autem ‘non minore livore ac malignitate, quam superbia sævitiaeque pæne adversus omnis ævi homines grassatus est:’ sed eundem ‘bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri: una vero alteraque conspiratione detecta,



contra se factæ conjurationis fuisse diceretur; Si ego, inquit, scissem, tu nescisses. Qua in re<sup>v</sup> non ita sensus nostros mœror hebetavit, ut impios scelerata contra virtutem querar molitos: sed quæ speraverint effecisse, vehementer admiror. Nam deteriora velle, nostri fuerit fortasse defectus:<sup>w</sup> posse vero contra<sup>6</sup> innocentiam, quæ sceleratus quisque conceperit, inspectante Deo,<sup>x</sup> monstri simile est:<sup>e</sup> unde haud injuria<sup>f</sup> tuorum quidam familiarium<sup>g y</sup> quæsiuit: Siquidem Deus, inquit, est, unde mala?<sup>h</sup> bona vero unde, si non est?<sup>i</sup> Sed fas fuerit<sup>z</sup> nefarios homines,<sup>a</sup> qui bonorum omnium, totiusque Senatus sanguinem petunt,

<sup>e</sup> Et veluti paradoxum. <sup>f</sup> Non immerito. <sup>g</sup> O Philosophia. <sup>h</sup> Quippe quæ a Deo esse non possunt. <sup>i</sup> Cum bona sine Deo esse nequeant.

//////////

quod etiam Delphi. Hack.—6 Thuan. primus, et uterque Vict. posse contra.—

#### NOTÆ

aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicaverunt perfeceruntque.’

<sup>v</sup> *Qua in re*] Accusatione sive nominis delatione in Boëthium facta.

<sup>w</sup> *Nostri . . . defectus*] Cur bonum meliusve velimus, causa quærenda extra nos, quippe qui II. Corinth. 3. ‘non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.’ At cur malum deteriusve velimus, causa est in nobis, quorum utpote infirmorum est posse peccare.

<sup>x</sup> *Inspectante Deo*] Quod Deus sit summe bonus, admiratione videtur dignum, probos ab improbis, Deo inspectante, opprimi: unde id ‘monstri simile’ videtur, quasi præter ordinarium naturæ ordinem.

<sup>y</sup> *Tuorum quidam familiarium*] Plato quidem X. de Leg. et post illum Seneca hoc argumentum tractavit. Quisquis autem fuerit auctor hujus dilemmatis: ‘Si Deus est, unde mala? at si non est, unde bona?’ melior videtur conditio ejus, qui ex bonis ait,

quam illius qui ex malis negat Deum existere: quoniam quot bona, tot sunt Dei existentis argumenta: nullo autem malo conjici potest Deum non existere.

<sup>z</sup> *Fas fuerit*] Id est, liceat: ‘fas’ enim, inquit Festus, dicitur a ‘fando’: quasi fatum a Diis, vel saltem a Deorum ministris, Sacerdotibus: sicut ‘jus’ a ‘jubeo’ quasi jussum a Magistratu: unde Virgil. Geor. I. vs. 268. ‘Quippe etiam festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt.’ Cum igitur nihil magis licitum sit, quam quod a Deo jussum dictumque fuerit, idcirco ‘fas fuerit’ idem quod liceat.

<sup>a</sup> *Nefarios homines*] Improbos. Nefandum, inquit Asconius Pedianus in III. contra Verrem, est ‘non fandum’: nefarium, quod sacra polluit farre pio solita celebrari: ergo nefarii sacrilegi. At putaverim ‘nefarium’ ab eadem esse origine, a qua ‘nefandum,’ quod vir improbus dignus non sit, qui fando celebretur: sic dicitur detestabilis, quem testari nefas.

nos etiam, quos propugnare bonis Senatuique<sup>b</sup> viderant, perditum ire<sup>c</sup> voluisse. Sed num idem de patribus<sup>d</sup> quoque merebatur? Meministi, ut opinor,<sup>e</sup> quoniam me diciturum quid, facturumve præsens ipsa semper<sup>7</sup> dirigebas: meministi, inquam, Veronæ<sup>e</sup> cum Rex<sup>m</sup> avidus communis exitii, majestatis crimen in Albinum<sup>g</sup> delatum ad cunctum Senatus ordinem transferre moliretur, universi innocentiam Senatus quanta mei periculi securitate<sup>n</sup><sup>8</sup> defenderim. Scis me hæc et vera proferre, et in nulla unquam mei

<sup>b</sup> Senatoribus ipsis.    <sup>c</sup> O Philosophia.    <sup>m</sup> Theodoricus.    <sup>n</sup> Contemptu.

7 Semper ipsa Delph. Hack.—8 Quanta mei securitate periculi edd. eædem.—

## NOTÆ

<sup>b</sup> Propugnare bonis Senatuique] Id est, pro bonis et pro Senatu. Sic Terentius: ‘mihi peccat, si quid peccat:’ sic vulgatum illud, ‘tibi militat æther.’

<sup>c</sup> Perditum ire] Non perditos ire: quoniam, ut grammatice loquar, supina sunt nomina substantiva, quare nec genus mutant pro diverso genere alterius nominis substantivi: ait enim Tullius ‘madefactum iri Græciam sanguine:’ nec etiam numerum; cum Livius dicat, ‘latrocinia iri sublatum:’ sed nemo hæc nescit.

<sup>d</sup> De patribus] Senatoribus: Senatores enim dicuntur patres et ætate et officio, ut docet Sallust. initio Belli Catilinarii: ‘hi,’ inquit, ‘vel ætate vel curæ similitudine, Patres appellabantur.’ Ætate quidem, quod instar patrum sint natu grandes: sic quippe ab ætate senili dicti sunt Senatores, ut jam monuimus. Officio vero, quod sicut patres filios suos, ita illi Rempublicam curent: hos enim, inquit Festus, ‘initio Urbis conditæ Romulus centum delegit, ut agrorum partes attribuerent tenuioribus, proinde ac liberis, ac pecunias dividerent.’ Vide, ut crescat injuria Boëthio illata: nam magna est inju-

ria, innocentem Boëthium odio haberi ab improbis, major eundem ab his revera opprimi; maxima, ab iis qui et ætate et officio tenebantur ipsum tueri: sed incomprehensa et ineffabilis, ab iisdem, de quibus ipse Boëthius dictis factisque optime meritus fuit.

<sup>e</sup> Veronæ] Verona est civitas Venetiæ quæ a Gallis condita, duce Brenno, a quo Brenona primum, deinde Verona, auctore Justino l. xx. dicta est. Ex hac urbe præstantes viri orti sunt; ut Catullus, Julius Scaliger, et, ut quibusdam placet, Plinius.

<sup>f</sup> Cum Rex] Theodoricus, qui erat Rex Italiæ.

<sup>g</sup> Majestatis crimen in Albinum] De crimine majestatis dictum est in hac prosa Annotatione<sup>g</sup>, de Albino vero Annot. <sup>g</sup>, sicut et de Senatu Annot. <sup>r</sup>

<sup>h</sup> Quanta mei periculi securitate] Securitas, inquiunt Philosophi, est recta placidaque mentis, mala impendentia non curantis, constitutio: ut enim a ‘cura’ dicitur ‘curiosus’ qui ‘cura præter modum utitur,’ teste Varrone v. de L.L. sic a cura est securus, qui est sine cura: hinc securitas hic est periculi incuria sive



laude<sup>9</sup> jactasse. Minuit enim quodammodo se probantis conscientiae secretum,<sup>i</sup> quoties ostentando quis factum recipit<sup>10</sup> famae pretium. Sed innocentiam nostram quis exceperit eventus,<sup>o k</sup> vides. Pro verae virtutis praemiis falsi

<sup>o</sup> *Quisnam fuerit exitus et finis nostrae integritatis.*

9 Ms. Erfurt. et ed. Flor. *nullam umquam mei laudem.*—10 Ms. Erfurt *recepit.*

#### NOTÆ

contentus. Sic Virg. *Æn.* vii. vs. 302. ‘Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis Profuit? optato conduntur Tibridis alveo, Securi pelagi atque mei.’

<sup>i</sup> *Se probantis conscientiae secretum*] Conscientia generatim nihil aliud videtur, quam mens cum sui tum suae cogitationis sciens: unde Tullius iii. de Off. ‘Cum jurato,’ inquit, ‘dicenda sententia sit, meminerit Deum se habere testem, id est, ut ego arbitrator, mentem suam:’ unde etiam ut clara distinctaque cognitione, sic conscientia convincimur: quare Quintil. Inst. Orat. l. v. ‘conscientia,’ ait, ‘mille testes: sensus interprete non eget.’ Hinc autem conscientia duplicis generis est, nempe bona et mala: ‘Conscientiae in utramque partem magna vis est,’ ait Cic. pro Mil. ‘ut neque timeant qui nihil commiserunt, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.’ Conscientia bona, recte factorum convincimur: unde recordatio jucundissima, quae nunc dicitur ‘conscientiae se probantis secretum,’ quod ut laude sui communicatur, sic minuitur, utpote minus secretum: propterea statuunt Stoici ‘ne te quaesiveris extra:’ et Macrobius in Somn. Scip. l. ii. c. 10. ‘Virtutis,’ inquit, ‘fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria.’ Sed divine magis Spiritus Sanctus, cum Proverb. xxvii. ‘laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua,’ tum etiam

Matthaei vi. ‘cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus.’ Conscientia vero mala, malefactorum convincimur: unde recordatio tristis: ‘suum’ enim ‘quemque scelus agit amentiaque afficit,’ inquit Tullius pro Sext. Ros. ‘suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent.’

<sup>k</sup> *Exceperit eventus*] Interceperit exitus: nam ‘excipere’ inter plures alias significationes idem est atque ‘incautum comprehendere:’ ut apud Ciceronem ad Att. ‘admoniti sumus,’ inquit, ‘ut caverimus ne exciperemur a Cæsare, quod is in eadem loca, quae nos petebamus, celerius etiam, quam nos possemus, eo quo intenderrat venturus esset.’ Et apud Virgil. *Æn.* x. vs. 386. ‘Nam Pallas audentem, Dum furit, incautum, crudeli morte sodalis, Excipit: atque ensem tumido in pulmone recondit.’ Eventus autem Ciceroni i. de Inv. est alicujus exitus negotii: unde ii. de Orat. ‘Consilia,’ inquit, ‘primum; deinde acta; postea eventus:’ propterea quicquid sive boni sive mali casu accidit, id eventus solet dici: quare idem Orator: ‘qui sciunt,’ ait, ‘quid aliis acciderit, facile, ex aliorum eventibus, suis rationibus possunt providere:’ Virgil. *Æn.* x. vs. 159. ‘Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat Eventus belli varios.’ Et Ovid. ii. de Ponto: ‘Nam timor eventus deterioris abest.’

sceleris pœnas subimus. Et cujus unquam facinoris<sup>p 1</sup> manifesta confessio ita iudices habuit in severitate concordēs,<sup>m</sup> ut non aliquos<sup>n q</sup> vel ipse humani error ingenii, vel fortunæ conditio cunctis mortalibus incerta summitteret? Si inflammare<sup>o</sup> sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio jugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur, præsentem tamen sententia confessum, convictumve punisset.<sup>p</sup> Nunc quingentis fere passuum millibus<sup>q</sup> procul

<sup>p</sup> *Gravioris alicujus sceleris.*      <sup>q</sup> *Ut ne unus quidem iudex a communi reliquorum sententia, aut humano errore, aut misericordia discederet.*

## NOTÆ

<sup>1</sup> *Facinoris*] Grandioris alicujus criminis: ‘facinus’ enim a verbo ‘facio’ deducitur: quamobrem est insigne aliquod factum, sive bonum sive malum: in bonam quidem partem accipitur a Sallustio in Bello Jugur. ‘Multa,’ inquit, ‘et præclara rei militaris facinora fecerat:’ in malam vero a Tullio III. Offic. ‘ab hoc,’ ait, ‘nulla fraus, nullum facinus aberit:’ atque hoc ultimo modo nunc accipitur.

<sup>m</sup> *In severitate concordēs*] ‘Severitas’ proprie iudicis est, quatenus hic nihil de supplicio, aut levitate aut affectu animi, remittit: propterea severitati et facilitas et misericordia opponuntur: propterea etiam, qui in sua sententia permanet, is perseverare dicitur. At ‘concordēs’ ii habentur, qui inter se consentientes unius videntur esse animi: quod enim, iudice Tullio I. Tusc. quibusdam ‘cor ipsum animus videatur, ex hoc excordes, vecordes, concordēsque dicuntur.’ Sic Virg. Ecl. IV. vs. 46. ‘Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fuis Concordēs stabili fatorum Numine Parcæ.’

<sup>n</sup> *Ut non aliquos*] Voluit Auctor hic notare et facilitatem et misericordiam, quibus severitas iudicis mutari potest. Facilitas quidem notatur ‘humani errore ingenii,’ quod innata

sua infirmitate, errantis instar, modo huc, modo illuc inclinatur: error enim proprie eorum est, qui viæ ignari extra institutum iter deflectunt: unde Virgil. v. Æn. vs. 590. ‘Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi Falleret indeprencus et irremeabilis error.’ Misericordia vero notatur ‘fortunæ conditione cunctis mortalibus incerta:’ nam misericordia est affectio hominis adversas alterius res, seu casus, quibus propter maximam fortunæ inconstantiam ipse obnoxius sit, dolentis.

<sup>o</sup> *Si inflammare, &c.*] In enumerandis sceleribus hæc crescit oratio: nam grave scelus, ‘inflammare sacras ædes;’ gravius, sacerdotes ‘impio jugulare gladio;’ gravissimum, ‘bonis omnibus necem struxisse.’

<sup>p</sup> *Præsentem tamen sententia confessum, convictumve punisset*] Homo iudex sententiam non fert, nisi auctoritate Dei, cujus vices agit: quamobrem ille sententiam Deo dignam ferat necesse est: sicut ergo Deus neminem nisi convictum damnat: sic homo pariter neminem nisi convictum damnare debet. Convincitur autem reus vel sua confessione, vel aliis testimoniis, quibus satisfacere nequit; quod cum non possit fieri, nisi reo præsentem, propterea reus in primis citandus, deinde interro-



moti, atque indefensi<sup>r</sup> ob studium propensius in Senatum, morti, proscriptionique<sup>r</sup> damnatur. O meritos, 'de simili crimine neminem posse convinci!<sup>s</sup> cujus dignitatem reatus ipsi etiam qui detulere viderunt: quam uti alicujus scele- ris admistione fuscarent, ob ambitum dignitatis sacrilegio<sup>t</sup>

<sup>r</sup> *Ab iis iudicibus, a quibus damnatur.*      <sup>s</sup> *O nostri iudices: nullus vestrum potest convinci simili crimine; quod nimirum ipsis etiam delatoribus nullum ita videtur, illud ut ficto sacrilegii scelere larvatum proponere studuerint.*

## NOTÆ

gandus, audiendusque, quod tamen Boëthio negatur: usque adeo injusta est ea, qua afficitur, pœna.

<sup>q</sup> *Quingentis fere passuum millibus]* Tantum ab urbe in qua damnatus est Boëthius distabat Ticinum, ubi idem Boëthius inclusus detinebatur. Est autem Ticinum Insubriæ civitas, quam recentiores *Papiam* vocant, a Ticino fluvio præterlabente nomen habens.

<sup>r</sup> *Morti, proscriptionique]* Proscriptio duplicis generis etiam apud Ciceronem. Alia est proscriptio 'rerum,' quatenus hæ, inscriptis quibusdam tabulis, venales significantur. Sic Tullius pro Flacco dixit 'prædiorum proscriptiones.' Alia proscriptio 'personarum,' quatenus hæ scriptura in exilium ita relegantur, ut hic tuta non sit earum salus: sic idem Tull. pro Rosc. 'cavete,' inquit, 'per Deos immortales, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instantata esse videatur.' Cum autem hic Boëthius 'mortis proscriptionisque' meminerit, idcirco locutus videtur de ultimo hoc proscriptionis genere. Ex quo patet Ennodium in Panegyrico Regis Theodorici, oratorie magis hæc, quam vere dixisse: 'Nullus incommoda proscriptionis ingemiscit.'

<sup>s</sup> *O meritos, de simili crimine neminem posse convinci]* Quasi dicat: O Senatores hujus in nos latæ sententiæ conscios, (vos enim jam nostra com-

pellatoratio,) o meritos neminem vestrum posse convinci simili crimine; quod nimirum 'propensius' habuerit 'studium in Senatum:' quo nihil elegantius esse possit ad exaggerandam hinc magnanimitatem Boëthii, inde omnium Senatorum ignaviam.

<sup>t</sup> *Ob ambitum dignitatis sacrilegio]* Quartum Boëthii crimen est 'sacrilegium:' sed in quo versetur hoc 'sacrilegium,' non ita manifestum est. Gallicus Boëthii interpres *de la Boucherie* id vitii in hoc versari arbitratur, quod Boëthius suffragia ad magistratum consequendum necessaria dolo sibi conciliaverit, quod Latini 'crimen ambitus,' a circumeundo supplicandoque, Græci *δημοκοπίαν* vocant; quodque latis legibus puniebatur. Alii vero, ut Thomas et Ascensius, id vitium putant fuisse, quod vulgo dicimus 'sortilegium,' quo nomine videtur uti ipse Plinius l. xxviii. c. 4. ad significandas quasdam magicas superstitiones: unde forte pro *sacrilegio* legendum, *sortilegio*: quæ quidem opinio his rationibus confirmari potest. 1. enim ipsis Boëthii temporibus, qui arte quadam, ut præstabat Boëthius, ceteris præstare videbantur, hi non rarò artis magicæ accusabantur: testis Cassiodorus l. iv. Var. Ep. 22. et 23. ubi Basili et Prætextati hujus criminis accusatorum causa quinque Senatorum iudicio committitur, 'ut nec op-

me conscientiam polluisse mentiti sunt. Atqui et tu ‘ insita nobis,<sup>u</sup> omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellebas, et sub tuis oculis sacrilegio locum esse fas non erat. Instillabas enim auribus, cogitationibusque quotidie meis Pythagoricum illud, ἔπρου Θεῶν.<sup>u</sup> Nec conveniebat vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo

<sup>o</sup> *O Philosophia.*      <sup>u</sup> *Sequere Deum.*

## NOTÆ

primantur innoxii, nec leges evadant criminosi.’ 2. quibus argumentis se Boëthius de ejusmodi crimine purgat, hæc tantam non habent pro ‘ democopia,’ quantam pro ‘ sortilegio’ virtutem; ut statim videbitur. 3. non tam ‘ ambitus,’ quam ‘ sortilegii’ crimen in Philosophiam refundi potest: quandoquidem prius etiam ignarorum; posterius non nisi doctorum dicebatur esse. Atqui ‘ hoc ipso,’ inquit Boëthius postea, ‘ videbimur affines fuisse maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus.’ Verum, inquis, crimen ‘ ambitus’ recte dicitur ‘ sacrilegium:’ quod hoc violentur leges, et sacramentum, sine quo ad Magistratus antiqui non pervenire solebant. Crimen vero ‘ magiæ’ non ita bene dicitur ‘ sacrilegium.’ At, inquam, primum si legendum fuerit pro *sacrilegio*, *sortilegium*, ut forte legendum; hæc difficultas nulla est. Deinde ‘ Sortilegii’ non minus, quam ‘ ambitus’ crimine violantur leges et sacramentum, quo nimirum aquis lustralibus initiati malos Genios ejuravimus: hinc Cassiodorus prædicta Epist. xxii. ‘ versari,’ inquit, ‘ non licet in magicis artibus, temporibus Christianis.’ Postremo sacrilegus, unde sacrilegium, dicitur quasi sacra legens sive furans: legere enim etiam furari est: unde Virg. Ecl. ix. vs. 21. ‘ Vel quæ sublegi tacitus tibi

carmina nuper.’ Sed qui prædictæ superstitioni vacat, is cultum Deo debitum furatur. Nunc videnda argumenta, quibus illud crimen Boëthius purgat.

<sup>u</sup> *Tu insita nobis*] Primum argumentum, quo Boëthius se a prædicto purgat crimine, desumitur ex parte ipsius Philosophiæ, quæ menti humanæ insita hanc ita sejungit a rebus caducis, ut eandem conjungat cum rebus perpetuis, non iis quidem vilissimis, sed earum uni et primæ, nimirum Deo, cujus similitudinem habet. Est quidem Philosophia menti humanæ, id est ‘ nobis insita;’ quia tota versatur in cogitatione, cognitione scilicet clara et distincta, et judicio quod hac cognitione fundatur: cogitatio autem optime dicitur qualitas mentis humanæ, sive ‘ nobis insita.’ Eadem Philosophia mentem humanam sejungit a rebus caducis, hoc est, ‘ omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellit:’ quoniam omnibus moderatur mentis affectibus, adeoque huic præsertim rerum caducarum cupiditati, quæ et ‘ homines reddit cæcos’ apud Ciceronem, et ‘ radix omnium malorum est’ apud Apostolum i. Tim. 6. Ipsa Philosophia mentem humanam conjungit cum rebus perpetuis: ut videlicet parte illa, cum qua mens humana, instinctu Philosophiæ, societatem init, æternum perseverante,



faceres. Præterea penetrale<sup>v 11 v</sup> innocens domus, honestissimorum cœtus<sup>w</sup> amicorum, socer Symmachus<sup>12</sup> sanctus, et æque actu ipso<sup>13</sup> reverendus, ab omni nos hujus

<sup>v</sup> *Locus interior secretiorque.*      <sup>w</sup> *Societas.*

//////////

—11 *Penetral* Delph. Hack.—12 *Socer etiam Sym.* edd. eædem.—13 *Actu ipsa* Delph. Hack. Deest *ipsa* in cod. Vict. primo. ‘Mire heic variant exemplaria: si liceat ita legerem et distinguerem: *et æque, ac tu ipsa,*

#### NOTÆ

æternus esse possit amor, æternaque idcirco illa, quæ illius amoris comes est individua, voluptas. At Philosophia non sinit mentem humanam sic adhærere rebus perpetuis creatis, quas malos Genios vocamus, ut sub ejus ‘oculis sacrilegio locus’ sit: ‘instillat enim auribus cogitationibusque quotidie nostris Pythagoricum illud *ἔπου Θεῶν*:’ sequere Deum: quod etiam habetur Deuteron. XIII. ‘Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis.’ Denique cum Philosophia hominem ‘faciat Deo consimilem;’ non quidem corpore, quemadmodum expressit Virgilius, ‘os humerosque Deo similis;’ Deus quippe est corporis expers; sed mente; efficiens scilicet ut mens nostra instar Dei cogitans nec erroribus nec vitiis indulgeat; propterea eadem Philosophia mentem nostram ita conjungit cum Deo tanquam cum primo veritatis virtutisque magistro, ut ‘non conveniat vilissimorum nos spirituum præsidia captare.’ Vilissimi autem illi spiritus sunt mali Genii, quorum ope homines quidam perditii mira præstare creduntur, non solum a Christianis, docente sæpius sacro textu, sed etiam ab ipsis Paganis. Unde Virg. Ecl. VIII. vs. 69. ‘Carmina vel cælo possunt deducere Lunam: Carminibus Circe socios mutavit Ulyssæi: Frigi-

us in pratis cantando rumpitur anguis.’ Horat. Epod. Od. 17. ‘An quæ movere cereas imagines, Ut ipse nosti curiosus, et polo Deripere Lunam vocibus possim meis, Possim crematos excitare mortuos Desideri- que temperare poculum,’ &c. Ovid. et alii.

<sup>v</sup> *Præterea penetrale*] Alternum argumentum, quo Boëthius se purgat a prædicto crimine, accipitur ex virtute præstanti domesticorum, amicorum, et affinium, cum quibus idem Boëthius antiquam habuit necessitudinem. Cum enim virtus et vitium ita sint contraria ut nulla esse possit virtutis vitiique societas; si arcta fuerit inter quendam virum, et probos domesticos, amicos, affinesque societas, certe vir ille non debet esse suspectus illius præsertim criminis quod illis familiaribus nec ignotum esse potuit nec irreprehensum. Cum ergo crimen ‘sortilegii,’ utpote quod ut gravius, sic et frequentius et manifestius est crimine ‘ambitus,’ non possit non cognosci et non reprehendi a sanctissimis familiaribus, si Boëthius arcissimam habuerit familiaritatem cum probis domesticis, amicis, et affinibus; is certe reus esse nequit criminis ‘sortilegii.’ habuit autem Boëthius hanc familiaritatem: 1. quidem cum probis domesticis: nam ut dicitur Prosa 3. lib. II. ‘felicissimus’ fuit ‘cum conjugis pudore tum masculæ prolis op-

criminis suspitione defendunt. Sed o nefas! illi vero de te <sup>z</sup> tanti criminis fidem capiunt,<sup>w</sup> atque hoc ipso affines fuisse videmur maleficio,<sup>14</sup> quod tuis imbuti disciplinis,<sup>x</sup> tuis instituti moribus sumus.<sup>15</sup> Ita non est satis nihil mihi profuisse tuam reverentiam, nisi ultro tu mea potius offensione

<sup>z</sup> Tu, o Philosophia, nostræ es criminationis occasio.

reverendus.' Sitzm.—14 Mss. quos sequuntur edd. Delph. et Hack. atque hoc ipso videbimur affines fuisse maleficio.—15 'Vetus, quem sequor: tuis

## NOTÆ

portunitate,' ita ut ' duos pariter Consules liberos suos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate viderit: ' hinc nunc dicitur ' penetral innocens domus: ' penetral quippe est locus interior, dictus a penu: ' penus' autem, inquit Festus, ' vocatur locus intimus in æde Vestæ, tegetibus septus: ' unde Virgil. I. Georg. vs. 379. ' Sæpins et tectis penetralibus extulit ova Augustum formica terens iter.' 2. cum probis amicis: affuit enim semper illi ' honestissimorum cœtus amicorum.' 3. cum probis affnibus: nam socer ejus ' Symmachus sanctus, et æque ac ipsa Philosophia reverendus fuit.' Quantus autem fuerit ille socer Symmachus colligi potest tum ex Cassiodoro, qui ait Var. l. iv. Ep. 6. Theodoricum Regem ad ipsum ut virum patricium scripsisse, ' petenti non concedatur licentia recedendi de urbe,' et Ep. 22. eundem Regem voluisse ut idem Symmachus cum quatuor aliis Senatoribus de causa prædictorum Basili et Prætextati iudicium ferret; et Ep. 51. eundem Regem Symmacho iterum scribentem dixisse ' Symmachum Romam decorasse domum pulchritudine; ' tum etiam ex Prisciano Cæsariensi l. de Ponderibus et Mensuris, et Ennodio, quibus dicitur ille ' Symmachus omni virtutis luce fulgere, et ceteris tan-

quam virtutum exemplar proponi posse.' Propterea Philosophia infra l. II. Pro. 4. ' Viget,' inquit, incolumis pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer.'

<sup>w</sup> De te tanti criminis fidem capiunt] Id est, propter te, o Philosophia, tantum illud crimen de me credunt: sic enim Seneca: ' majora monstra veris vix capiunt fidem: ' sic ipse Virgil. Æn. v. vs. 604. ' Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.'

<sup>x</sup> Quod tuis imbuti disciplinis] Solent nimirum ii, qui aut præcipitatione aut præiudicio iudicant, temerarium de iis quæ ipsi ignorant proferre iudicium: quemadmodum S. Judas in sua Epist. his expressit verbis: ' quæcumque ignorant, blasphemant.' Sic ignara plebecula insolitos motus eorum, quos aut Sortiarios aut lycanthropos vocat, qui sæpius perturbati cerebri aut læsæ imaginationis sunt, malis Geniis refert acceptos. Sic nonnulli existimarunt artem conficiendi auri a Dæmonibus esse, ut ait Delrio Disquis. Mag. l. I. Sic Galenus II. de Diff. Feb. c. 17. et cap. 10. de Simpl. Med. Fac. de semetipso locutus ait se propter singularem suam eruditionem positum fuisse in numero eorum, qui malorum Geniorum artibus adjuti morbos depellant. Sic ergo Boëthius, qui, ut loquitur Theodoricus Rex apud Cassiodorum



lacereris. At vero hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod existimatio plurimorum<sup>y</sup> non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum; eaque tantum judicat esse provisiva<sup>z</sup> quæ felicitas commendaverit. Quo fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. Qui nunc populorum rumores, quam dissonæ,<sup>z</sup> multiplicesque sententiæ,<sup>a</sup> piget reminisci. Hoc tantum dixerim: ultimam esse adversæ fortunæ sarcinam,<sup>b</sup> quod dum miseris aliquod crimen affingitur,<sup>16</sup> quæ perferunt, meruisse creduntur.<sup>a</sup> Et ego quidem bonis omnibus pulsus, dignitatibus exutus, existimatione fœdatus, ob beneficium supplicium tuli.<sup>17</sup> Videre

<sup>y</sup> Plures fortunæ veluti assentientes, non ut judicandum, sed ut a fortuna judicari videtur, judicant de merito. <sup>z</sup> De Boëthio. <sup>a</sup> Aliis damnantibus, defendentibus aliis de plebe viris. <sup>b</sup> Onus.

*institutionibus eruditi sumus.* Bernart.—16 Thuan. primus, Flor. et Vict. secundus: affigitur. ‘Aliquod crimen affigitur] Ms. Rittersh. affligitur, male. Malim, si quid mutandum sit, legere affingitur.’ Sitz.—17 *Et ego, siquidem bonis omnibus pulsus . . . . ob beneficium pertuli supplicium* Ed. Norimb. *Et ego*

## NOTÆ

l. i. Var. Ep. 45. ‘multa eruditione saginatus fuit, ut artes, quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaverit;’ propter summam suam eruditionem visus est huic affinis fuisse maleficio. Quare cum nemo dici possit ex eo esse affinis crimini ambitus, quod sit eruditissimus, sicut de crimine sortilegii dicitur, inde concluditur Boëthius non ambitus, sed ‘sortilegii’ crimine accusatus fuisse; sed inmerito: sicut ex prædictis demonstratur: hinc tamen non desinit ipsa Boëthii existimatio apud plurimos minui.

<sup>y</sup> Quod existimatio plurimorum, &c.] Scilicet plurimi judicando, non cognitione clara et distincta, quæ in nobis est prima veri iudicii regula, sed præcipitatione et præiudicio feruntur: sic quod amore divitias, odio paupertatem prosequantur, de divitibus bonam, de pauperibus vero malam habent existimationem: sic amici

Job, quod hunc viderent calamitatibus oppressum, eundem judicarunt improbum: ‘quo fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices:’ hinc vulgus, quæ felicitas commendaverit, ea tantum judicat esse prudentis.

<sup>z</sup> *Esse provisiva*] Ab homine: solet quippe vulgus ab eventu prudentiam hominis ita inferre, ut cujus videt exitum infelicem, hunc male adeoque imprudenter incepisse negotium concludat: id quidem sibi objicit Ovidius, sed idipsum statim refutat: ‘Exitus acta probat: careat successibus opto Quisquis ab eventu facta notanda putat.’

<sup>a</sup> *Quæ perferunt, meruisse creduntur*] Quod nimirum prædicti homines viderint quosdam propter sua scelera juste punitos fuisse, idcirco hoc præiudicio ducti, quoscumque vident propter delatum crimen affligi, hos judicant ‘quæ perferunt, meruisse.’ Sed id temeritatis est: cum enim

autem videor nefarias sceleratorum officinas<sup>e b</sup> gaudio lætitiæque fluitantes: <sup>c</sup> perditissimum quemque novis delationum fraudibus imminentem: <sup>d d</sup> jacere bonos, <sup>e</sup> nostri discriminis terrore<sup>f</sup> prostratos: flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis incitari: <sup>18</sup> insontes<sup>e</sup> autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos. Itaque libet exclamare:

<sup>e</sup> *Domos.*    <sup>d</sup> *Intentum.*    <sup>e</sup> *Innocentes.*

//////////

*siquidem* Delph. Hack. *Supplicium pertuli* Vict. primus.—18 In ed. Delph. *invitari.*

#### NOTÆ

homo iudex tam injustitiæ quam justitiæ possit esse particeps, idcirco sustinenda assensio de causis miseriarum, ne præcipitet iudicaturus.

<sup>b</sup> *Sceleratorum officinas*] Officina, sic dicta quasi ‘opificina,’ quædam est domus pars, in qua opus fit: unde differt ab ‘apotheca,’ in qua servatur, et a taberna, in qua venditur opus jam factum. Domus igitur vel etiam mentes impiorum hominum, in quibus causa adversus Boëthium per summam malitiam ficta est, non abs re vocantur ‘officinæ.’

<sup>c</sup> *Gaudio lætitiæque fluitantes*] Sicut enim vas præ liquoris copia effluere sive exundare dicitur, sic mens præ gaudii copia fluitare dici potest: nam ‘animus,’ inquit Terentius, ‘luxuria et lascivia diffluit;’ quodque latius atque uberius excrescit, id effluere dicitur Virgilio II. Geor. vs. 367. ‘Inde, ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde: Ante reformidant ferrum; tum denique dnra Exerce imperia, et ramos compesce fluentes.’

<sup>d</sup> *Perditissimum... fraudibus imminentem*] Impunitas enim perditorum similium hominum fraudes parit.

<sup>e</sup> *Jacere bonos*] Quia, ut dicitur Lucæ XIII. ‘si in viridi ligno hæc fa-

ciunt, in arido quid fiet?’ si tantus, tantaque virtute præditus, Boëthius tam male excipitur, quid sperare possint ceteri virtutum cultores?

<sup>f</sup> *Discriminis terrore*] Discrimen idem est quod periculum: sicut enim crinis est a Græco κρῖνειν, quod proprie est dirimere, sic discrimen est a διακρῖνειν, quod etiam dirimere est sive separare: unde capillos a se invicem distinctos vocamus discriminatos. Claudian. de Nupt. Hon. ‘Hæc morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat.’ Atqui quo periculo aliquis jactatur, hoc a ceterorum hominum cœtu videtur sejungi. Ceterum Boëthius paucis hic resumit suas calamitates, earum causam, et quæ ex his consequuntur mala. Calamitates sunt 1. quod ‘bonis omnibus sit pulsus.’ 2. quod ‘dignitatibus exutus.’ 3. quod ‘existimatione fœdatus.’ Causa calamitatum est multiplex ejusdem Boëthii, in Senatum præcipue, ‘beneficium,’ pro quo ‘supplicium tulit.’ Mala quæ ex his consequuntur, sunt primum quod sontes ‘impunitate’ non modo ‘ad male deferendum,’ sed etiam ‘ad audendum,’ immo ‘ad efficiendum quodlibet facinus’ ferantur: insontes vero ‘et severitate et defensione’ priventur. ‘Itaque libet exclamare:’



## METRUM V.

O STELLIFERI conditor orbis,<sup>g</sup>  
 Qui perpetuo nixus solio<sup>h</sup>  
 Rapido cœlum turbine<sup>i</sup> versas,  
 Legemque pati sidera cogis;<sup>k</sup>

*O Deus creator cœli stellati, qui considens in solio sempiterno, convertis ipsum cœlum vertigine celeri, et adigis astra subire tuum imperium, ita ut Luna modo*

## NOTÆ

<sup>g</sup> *Stelliferi conditor orbis]* Cœli: Cœlum enim, etiam iudice Tullio, duplicis est generis. Alterum aërium, in quo nubes, imbres, ventique coguntur. Alterum stelliferum, quod a domiciliis nostris altissimum, omnia cingit et coercet, extrema ora et determinatio mundi. De hoc autem secundo cœli genere ideo nunc loquitur Boëthius, quod dicturus sit de legibus, quæ cum in inferioribus corporibus, tum etiam in astris observantur, quas quidem leges Deus ipse statuit a primo momento, quo hæc corpora condidit: propterea Deus nunc cogitatur, ut conditor.

<sup>h</sup> *Qui perpetuo nixus solio]* Solium generatim est sedes in qua plures simul considerare nequeunt: 'Solia,' enim, inquit Festus, 'appellantur sedilia in quibus non plures singulis possunt sedere:' quasi solium dicatur quod solum unum capit. Speciatim vero solium est sedes regia, vulgo *un Trône*: sic accipitur a Virgil. sæpius; ut *Æneid.* VII. vs. 169. 'Imperat et Solio medius consedit avito.' Deus autem nunc spectatur, quatenus est Rex: unde versu 27. dicitur 'merito rector cohibere modo;' et vers. 46. 'Rapidos, rector, comprime fluctus.' In hoc autem regnum Dei differt a ceteris, quod hæc mutationi sint obnoxia, illud vero æternum sit et immutabile: quare nunc dicitur 'per-

petuum;' cui favet illa vocis interpretatio, qua solium dicitur sedes solida; ut terra, quod solida sit, appellatur solum.

<sup>i</sup> *Rapido cœlum turbine]* Turbo, Gallice *un tourbillon*, a turbando dicitur, quod, facto quodam circuitu, materia sic turbetur, ut summa imis, anteriora posterioribus, dextra sinistris succedant. Sic ventus quidam, qui Lucretio vocatur 'versabundus,' quique corpora obvia circumagit, vocatur 'turbo:' unde Virgil. *Æn.* II. vs. 416. 'Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt.' Sic trochus, vulgatum puerorum ludibrium, appellatur 'turbo' Virg. Sic fusi pensilis circuitio Catullo dicitur 'turbo.' Sive autem cœlum credatur solidum, sive liquidum, ibi perennis est materiæ motæ circuitio, adeoque 'turbo.'

<sup>k</sup> *Legemque pati sidera cogis]* Ut corpus primum non movetur, nisi ab ipso Deo, a quo conditum est; sic idem corpus non movetur nisi secundum eas, quas ipse Deus statuit immotasque servat motus leges: optime enim Ovidius, 'Nil ita sublime est supraque pericula tendit, Non sit ut inferius suppositumque Deo.' Sic corpus quod movetur, ab aliquo alio moveatur necesse est: sic corpus imotum, non movet, &c. ejusmodi de quibus in Philos. Hinc Sapiencia æterna Proverb. VIII. 'Quando' Deus,

Ut nunc pleno lucida cornu,<sup>1</sup> 5  
 Totis fratris obvia<sup>19</sup> flammis,  
 Condat stellas Luna minores;  
 Nunc obscuro pallida cornu,  
 Phœbo propior, lumina perdat.  
 Et qui primæ tempore noctis<sup>m</sup> 10

*integro orbe illuminata, cunctisque ignibus fratris sui Solis opposita occultet parva sidera; modo obducto orbe pallens amittat lucem vicinior Soli. Ut etiam Hesper-*

19 Delph. Hack. *fratris et obvia.*

## NOTÆ

inquit, 'præparabat cœlos, aderam: quando certa lege et gyro vallabat abyssos: quando æthæra firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos,' &c. Cum igitur sidera corpora sint, hæc non solum a Deo sunt, sed legibus ab ipso Deo constitutis servatisque moventur: adeoque Deus 'cogit sidera legem pati:' propterea Deus nunc dicitur regere alternas Lunæ, Veneris, Dierum, Tempestatumque annuarum vices: sicut deinceps explicandum.

<sup>1</sup> *Ut nunc pleno lucida cornu*] I. quidem agitur de Luna, cujus vices in hoc versantur, quod modo sit plena, modo curvata in cornua. Plena est Luna, sive 'pleno lucida cornu,' cum Soli, interjecta terra, e diametro opposita lumen solare media sui parte ad nos remittit: hoc est, 'totis fratris obvia flammis:' poëtis enim Diana, quæ alio nomine dicitur Luna, et Apollo, qui alio quoque nomine dicitur Sol, sunt soror fraterque, ab Jove ex Latona eodem partu progeniti. Tunc autem 'Luna condit stellas minores;' quia minus lumen obscuratur offunditurque majori lumine: quamvis autem stellæ, maximam partem, magnitudine Lunam superent, stellæ tamen, utpote magis dissitæ, minus lu-

minis quam Luna ad nos diffundunt: hinc 'Luna,' ut ait Varro iv. de L. L. dicitur quasi 'lucina,' quod sola noctu lucet: hinc etiam Luna vocatur majus sidus, et stellæ, minora sidera, non solum in Sacro Textu, sed etiam vulgo, et apud Latinos auctores. Horat. Carm. l. i. Od. 12. 'Crescit, occulto velut arbor ævo, Fama Marcelli: micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores.' Eadem vero Luna curvatur in cornua, sive 'obscuro' est 'pallida cornu,' cum a prædicto plenilunii loco recedens, ad Solem ita accedit, ut hinc decrescendo ad interlunium, inde crescendo ad plenilunium redeat: propterea 'Phœbo propior lumina perdit:' non omnino, siquidem semper media Lunæ pars a Sole illuminatur, sed quæ nos respicit: unde melius homo quam Luna diceretur lumen solare perdere.

<sup>m</sup> *Et qui primæ tempore noctis*] II. agitur de Venere, cujus vices in eo consistunt, quod modo subsequatur Solem occidentem, 'Hesperus;' modo eundem Solem orientem antegredia- tur, 'Lucifer:' sed ad clariorem hujus sideris intelligentiam sua ad Grammaticos, Historicos, Poëtas, et Philosophos de hac stella referenda est doctrina. Grammaticis Hesperus, Hesperugo; Vesper, Vesperugo; Lucifer φωσφόρος; stella tam serotina quam



Agit argentes Hesperus ortus,  
Solitas iterum mutat habenas,  
Phœbi pallens Lucifer ortu.  
Tu frondifluæ frigore brumæ<sup>n</sup>

*rus, qui ortus primo noctis spatio ducere videtur agmen stellarum frigidarum, idem Lucifer mutet rursus fræna consueta in ortu Solis pallidus. Tu contrahis diem in*

#### NOTÆ

matutina, idem sunt Veneris sidus: nam Cicero II. de Nat. D. 'Infima est,' inquit, 'quinque errantium, terræque proxima stella Veneris, quæ *φωσφόρος*, Latine Lucifer, dicitur, cum antegreditur Solem, cum subsequitur autem, Hesperus:' unde Martialis Epig. l. VIII. Ep. 21. 'Phosphore, redde diem.' Et Virgil. Ecl. x. vs. 77. 'Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.' Historicis Hesperus, Atlantis peritissimi Astronomi frater, Astronomiæ pariter studiosissimus, qui cum altissimum montem, eum forte quem a fratre Atlantem nominaverunt, conscendisset, ut inde sidera diligentius contemplaretur, seu morte, seu morbo, seu quodam alio casu impeditus, in patriam nunquam rediit: unde plebecula, superstitioni dedita, ipsum inter astra in cælo collocatum fuisse existimavit, ipsique propterea divinos honores exhibuit: hinc duæ Hesperia: altera Hispania, altera Italia. Prior Hesperia dicitur a sidere cognomine, quod regnum hoc Græcis, instar hujus sideris, sit occidentale: de hac loquitur Horatius I. Carm. Od. 36. 'Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.' Posterior Hesperia vocatur a prædicto Hespero Atlantis fratre, qui a germano pulsus, Italiam tenuit, eique nomen sive a se sive a sua patria desumptum imposuit. De hac Virg. Æn. I. vs. 534. 'Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.' Poëtis Hesperus in stellam conversus, quæ quibusdam Venus; aliis Auroræ filius. Cum autem iis-

dem Poëtis Sol quadrigis, Luna bigis vehatur, Hesperus uno seorsum equo nititur, sed hunc ita alternat, ut mane album, sero fuscum ascendat: propterea Hesperus nunc dicitur 'solitas iterum mutare habenas.' Philosophis denique Hesperus sive Venus est planeta, qui per cælum liquidum, ut paleæ per aquas abripi solent, raptus modo supra, modo infra Solem, sic movetur, ut emendicato Solis lumine relucens, easdem fere, quas Luna, luminis vicissitudines subeat. Fatentur autem hanc stellam modo antegredi orientem, modo subsequi occidentem Solem: sed id diverso modo explicant, pro diverso Mundi systemate, de quo dicere non vacat. Constat ergo apud omnes Hesperum subsequi occidentem Solem: unde nunc merito dicitur 'primæ tempore noctis agere argentes ortus;' sive ducere nocturna sidera, quibus regnantibus terra frigescit. Constat pariter Luciferum, qui idem sidus est quod Hesperus, antegredi orientem Solem: unde nunc optime dicitur 'solitas iterum mutare habenas' in 'ortu Phœbi' sive Solis. 'Pallet' tamen propter majus Solis orientis lumen.

<sup>n</sup> Tu frondifluæ frigore brumæ] III. agitur de diebus, quorum præcipuæ vices in hoc versantur, quod hyeme breviores, æstate longiores sint. Nimirum dies hic est mora Solis supra nostrum horizontem ab Ortum ad Occasum progredientis: quare nox huic diei opposita est mora ejusdem Solis

Stringis lucem breviora mora :

15

Tu, cum fervida venerit æstas,

Agiles noctis dividis horas.

Tua vis varium temperat annum,°

*minus spatium frigore brumæ detondentis frondes : tu distinguis horas noctis promptas tum, cum æstas calida accessit. Virtus tua sic moderatur annum diversum, ut,*

#### NOTÆ

infra nostrum horizontem ab Occasu in Ortum regredientis. Cum igitur Sol non æquali semper intervallo a duobus polis distans circum-eat, sed nonnunquam ad Austrum magis, aliquando magis ad Aquilonem accedat, secutus orbem, qui Zodiacus dicitur ; propterea dies modo brevior est, modo longior. Brevior est Sole accedente ad Austrum, quod fit ab Æquinotio autumnali ad Solstitium hybernum, scilicet a vigesimo tertio Septembris ad vigesimum secundum Decembris : quod tempus vulgo appellatur ‘bruma,’ a brevitate dierum, ut ait Vossius post Varronem et Festum ; quæ propter recessum Solis et frigida est, et arbores frondibus exiit : hinc dicitur, ‘Tu frondifluæ frigore brumæ Stringis lucem breviora mora.’ Longior autem est Sole accedente ad Aquilonem, quod fit ab Æquinotio verno ad Solstitium æstivum, videlicet a vigesimo primo Martii ad vigesimum secundum Junii ; quo tempore incipit æstas calida, adeoque noctes brevissimæ sunt : propterea nunc dicitur, ‘Tu, cum fervida venerit æstas, Agiles noctis dividis horas.’ Sic Ovidius Trist. l. v. El. 11. ‘Nec mihi Solstitium quicquam de noctibus aufert, Efficit angustos nec mihi bruma dies.’ Hic duo observari poterunt. Primum quidem vocem hanc, ‘frondifluæ,’ quamvis non ita fuerit in usu apud antiquos auctores, aptissimam tamen esse ad significandum id quod pluribus expressit Virgil. Æneid. vi. vs. 309.

‘Quam multa in sylvis autumnii frigore primo Lapsa cadunt folia.’ Deinde horas, ex quibus sive dies sive nox brevior componitur, vocari ‘agiles’ sive ‘promptas :’ quia horæ duplicis sunt generis ; aliæ æquales, aliæ inæquales inter se. Æquales dicuntur illæ, quæ sive hyeme sive æstate sexaginta semper, ut aiunt, minutis æqualibus constant : qua ratione dicimus Solem per viginti quatuor horas ab uno cæli puncto ad idem regressum totam circuivisse terram. Inæquales vero dicuntur, quæ cum sint duodecima tantum sive diei sive noctis pars, crescentibus decrescentibusque sive diebus sive noctibus crescere debent et decrescere.

° *Tua vis varium temperat annum]*  
 iv. agitur de ipsis anni tempestatibus, quarum vices in hoc versantur, quod ut Ver reddit frondes, quas Autumnus abstulerat, sic Æstas maturet, quas Hyems vidit seri, segetes : duæ priores tempestates significantur ventis, qui tunc temporis regnare solent ; Autumnus quidem Borea, Ver vero Zephyro : duæ autem aliæ tempestates signis exhibentur cœlestibus ; Hyems Arcturo, Æstas Seirio. Boreas ἀπὸ τῆς βοῆς dictus, quod sit turbulentus ac sonorus, ventus est (apud eos quidem, qui octo duntaxat ventos agnoscebant, quorum unus a Meridie, alter a Septemtrione ; tres ab Ortū, totidemque ab Occasu flarent) ab Ortū spirans ; sed (apud eos qui duodecim vel plures



Ut, quas Boreæ spiritus aufert,  
 Revehat mitis Zephyrus, frondes : 20  
 Quæque Arcturus semina vidit,  
 Seirius altas urat segetes.

*quæ folia flatus Boreæ tollit, hæc Zephyrus lenis reddat, et quas segetes Arcturus sidus inspexit satas, easdem canicula sidus alterum comburat messes adultas.*

## NOTÆ

ventos posnerunt) Septemtrionalis : quare propter accessum Solis ad Septemtrionem per Æstatem, quam excipit Autumnus, ventus ille per Autumnum flare consuevit, adeo ut illi referri possit acceptum, quod arbores frondibus exuantur, quodque tunc orientur procellæ: unde Virg. 1. Geor. vs. 311. 'Quid tempestates autumnii et sidera dicam?' Zephyrus, sic dictus quasi ζωηφόρος, sive τὸ ζῆν φέρων 'vitam ferens;' quod eo plantæ redivivæ germinant pullulentque, unde Plinio dicitur 'genitalis Mundi spiritus;' est ventus ab Occasu Æquinoctiali flans. 'Hic,' inquit Plinius 1. XVIII. c. 34. 'Ver inchoat aperitque terras, tenni frigore saluber. Hic vites putandi, frugesque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi jus dabit, afflatuque nutritium exercebit:' propterea Latinis vocatur Favonius, a favendo, quia faveat genituræ. Lucretius 1. III. 'Viget genitabilis antra Favonî.' Et Catullus Carm. de Nupt. Pelei et Thet. 'Quos propter fluminis undas Aura parit flores tepidi fœcunda Favonî.' Arcturus, quasi ἄρκτου οὐρά, 'ursæ cauda,' est stella in signo Bootis prope caudam Majoris Ursæ. Observant autem sidus illud ortu suo comitari Solem orientem a mense Octobri, quo tempore terra semina suo sinu infusa fovere solet: propterea nunc dicitur: 'quæque Arcturus semina vidit.' Sic Virgilius 1. Georg. vs. 67. 'At, si non fuerit tellus fœcunda, sub ipsum Arc-

turum tenni sat erit suspendere sulco.' Et versu 204. 'Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis Hædornumque dies servandi.' Seirius denique, sive, ut alii scribunt, Sirius, sic dictus a σείρω 'exsicco,' unde et Sol, teste Snida, σείρ vocatur, est stella fulgentissima in ore Majoris Canis, quæ ortu suo Solem orientem comitatur a mense Julio, quo tempore seges matura arescere videtur. Quod autem stella hæc in ore Majoris Canis appareat, idcirco vulgo appellatur 'Canicula:' sed quod tunc Sol, cujus orientis comes est, majori suo æstu terras urat, propterea sidus hoc tanti caloribus accusatur, ita ut Seirius a poetis dicatur 'æstifer.' Sic noster Auctor, 'Seirius altas urat segetes.' Sic Virgilius 4. Georg. vs. 425. 'Jam rapidus torrens sitientes Seirius Indos Ardebat cælo, et medium Sol igneus orbem Hanserat; arebant herbæ, et cava flumina siccis Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.' Et Æneid. III. vs. 141. 'Tum steriles exurere Seirius agros: Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.' Optime autem notat Gassendus 'Caniculam' falso accusari ejusmodi æstus: quemadmodum canities falso accusaretur mortis, quam obierunt senes castæ Susannæ delatores. Scilicet tantum abest, ut Canicula causa sit hujus æstus, ut potius apud populos, quibus per nostram æstatem imminet, frigus magis vigeat: quare, ait idem philosophus, meliori jure populi illi 'Caniculam' accusare possent

Nihil antiqua lege solutum <sup>p</sup>  
 Linqvit propriæ stationis opus.  
 Omnia certo fine gubernans, 25  
 Hominum solos respuis actus <sup>q</sup>  
 Merito rector cohibere modo.  
 Nam cur tantas lubrica versat  
 Fortuna vices? Premit insontes  
 Debita sceleri noxia pœna: <sup>r</sup> 30  
 At perversi resident celso  
 Mores <sup>s</sup> solio, sanctaque <sup>t</sup> calcant

*Nihil liberum a veteri lege omittit operam suæ conditionis. Tu moderatus omnia stabili modo, dedignaris tantum continere actiones hominum, ut decet, instar sapientissimi moderatoris: quare enim fortuna instabilis alternat tam magnas varietates? Supplicium crimini debitum vexat innocentes. Sed mores improbi sedent in*

## NOTÆ

sui frigoris, quam nos nostri caloris: si virtus de cœlo lapsa, quam barbari 'influentiam' vocant, id effecti, ut vulgo præstare creditur, reipsa præstaret.

<sup>p</sup> *Nihil antiqua lege solutum*] Prædicta corpora, ad quorum exemplum de ceteris judicandum est, certis ita continentur legibus, ut quo modo legimus sese habuisse apud Majores nostros, eodem hæc nunc videamus se habere: Deus quippe 'omnia' hæc 'certo fine gubernat:' sive ut dicitur Sap. VIII. 'attingit a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.'

<sup>q</sup> *Hominum solos respuis actus*] Quasi dicat: Cum cetera divina providentia ita administrantur, ut suæ singulis vicibus respondeant vices, unus tamen homo ita videtur a Deo derelictus, ut res humanæ temere ac fortuito agi videantur, siquidem cum bonis prospera, malis adversa debeantur, contra bonis adversa, malis prospera accidunt: unde nonnulli de divina providentia dubitant: Claudianus lib. I. in Rufinum, vs. 1. 'Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,

Curarent Superi terras, an nullus inesset Rector, et incerto finerent mortalia casu.' &c. Hinc noster auctor: 'Nam cur tantas lubrica versat Fortuna vices?' De fortuna dictum est Metro I.

<sup>r</sup> *Premit insontes Debitas celeri noxia pœna*] Ut supremus omnium moderator Deus infinite justus est, sic sua quibuslibet vitiis, Deo ita statnente, debentur supplicia, quæ quia nocent seu corpori seu menti, propterea vocantur 'pœna noxia.' At pœna hæc insontes premit, quatenus hi nocentium imperio subditi, ab iisdem injusta patiuntur, ita ut eorum virtus pœna vitiis debita veluti involuta lateat. Sic Claudian. loco cit. 'Sed cum res hominum tanta caligine volvi Aspicerem, lætosque diu florere nocentes, Vexarique pios: rursus labefacta cadebat Religio.'

<sup>s</sup> *Perversi . . . Mores*] Modus hic nominatur pro re modificata: non enim tam mores perversi, quam qui moribus perversis afficiuntur homines in celso solio resident, ornati nimirum primis dignitatibus.



Injusta vice<sup>u</sup> colla nocentes.  
 Latet obscuris condita virtus  
 Clara tenebris,<sup>v</sup> justusque tulit  
 Crimen iniqui.<sup>w</sup>  
 Nil perjuriam,<sup>x</sup> nil nocet ipsis  
 Fraus mendacii comta colore.  
 Sed cum libuit viribus uti,<sup>y</sup>

35

*summo tribunali, et sontes iniqua vicissitudine proterunt capita pia. Virtus splendida delitescit abscondita caligine opaca, et pius habet infamiam impio debitam. Perjuria non nocent ipsis nocentibus; fraus velata specie fallaci non nocet iisdem.*

## NOTÆ

<sup>t</sup> *Sanctaque . . . colla*] Similiter pars hic ponitur pro toto: siquidem sanctos potius homines, quam illorum colla calcant nocentes. Sed ut posterior hic, sic ille prior loquendi modus poëtis præsertim usitatissimus est.

<sup>u</sup> *Injusta vice*] Quod injustum videatur probos ab improbis premi: vicem enim dicimus quod alternis facimus patimurve: hinc ‘vicissim,’ et ‘vicarius.’

<sup>v</sup> *Latet obscuris condita virtus Clara tenebris*] Paradoxum videtur ‘virtutem claram obscuris conditam tenebris latere:’ hæc tamen ex eo possunt conciliari; quod virtus obscura fit aliis hominibus; clara vero cum menti ejus qui virtutem colit, tum Deo qui virtutem ipsi menti infudit. Sic ‘virtus,’ ait Tullius pro Sest. ‘in tempestate quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen atque hæret in patria, splendetque per sese semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit.’

<sup>w</sup> *Justusque tulit Crimen iniqui*] Crimen hic non significat culpam, quippe quæ solis inest nocentibus: sed potius infamiam, quæ culpam sequi deberet, ut honos virtutem. Sic Tullius in Verrem ait ‘laudem imperatoriam criminibus avaritiæ obteri.’ Nimirum crimen generatim id omne est,

quo aliquis a ceteris distinguitur separaturve: unde ‘discrimen.’ Cum autem infamia hæc improborum esse deberet, hæc proborum nunc esse dicitur; additurque modos, quibus nocentes ceteros affligere solent, videlicet ‘perjurium,’ ‘fraudem,’ et ‘vim,’ nihil ipsis nocentibus nocere.

<sup>x</sup> *Nil perjuriam*] I. Perjurium est, aut falsum jurare, aut quod ex animi sententia juraveris, id non facere: hinc in perjurio, auctore Tullio, fides jurandumque negligitur: hinc sua est, eodem auctore, II. de Leg. perjurio pœna; divina quidem, exitium; humana vero, dedecus. Nocentibus tamen, inquit Boëthius, ‘nil nocent perjuriam:’ usque adeo ‘injustæ’ sunt ‘vices.’

*Nil nocet ipsis Fraus*] II. Fraus dicitur adulatio dolosa: propterea nunc dicitur ‘mendacii comta colore.’ Scilicet homo vulpeculam imitatus, quod vi obtinere nequit, id mendacibus factis dictisque assequi conatur: quod, inquebant Veteres, odio dignum majore, adeoque suo afficiendum supplicio: nihilominus, ait Boëthius, ordo rerum ita præposterus videtur, ut ipsis fraudulentis ‘fraus nil noceat.’

<sup>y</sup> *Cum libuit viribus uti*] III. Vis, inquit Romanus Orator, pro Cæc. est quæ periculo, aut decedere nos aliunde cogit, aut prohibet accedere:

Quos innumeri metuunt populi, 40  
 Summos gaudent subdere Reges.  
 O jam miseras respice terras,<sup>a</sup>  
 Quisquis rerum fœdera nectis.<sup>a</sup>  
 Operis tanti pars non vilis  
 Homines,<sup>b</sup> quatimur fortunæ salo.<sup>c</sup> 45  
 Rapidos,<sup>†</sup> rector, comprime fluctus,<sup>d</sup>  
 Et, quo cœlum regis immensum,  
 Firma stabiles fœdere terras.<sup>e</sup>

*At ubi placuit ipsis, uti suis viribus, tum gestiunt subdicere sibi principes magnos, quos gentes innumerabiles timent. O Deus, qui moderaris necessitudines rerum, nunc intueri terras calamitosas. Nos homines, portio non abjecta operis tui tam magni, jactamur æstu fortunæ: compesce, moderator, procellas violentas fortunæ, et qua lege gubernas ingens cœlum, eadem confirma firmatas terras.*

† *Rabidos*, et mox *stabili*, Wakefield. ad Lucret. v. 1001.

## NOTÆ

et hoc a ratione eo magis alienum est, quod mutatis rerum vicibus etiam illi, quibus debetur obsequium, vi subiciantur: ut nunc dicitur: 'Quos innumeri metuunt populi, Summos gaudent subdere Reges: 'quamobrem neque id crimen impunitum esse debeat: cum tamen prædictis nocentibus 'nihil' videatur 'nocere.'

<sup>a</sup> *O jam miseras respice terras*] Ad Deum, a quo carmen incepserat, revertitur Poëta, ipsumque rogat, ut 'miseras respiciat terras,' quas nimirum incolunt homines, indigna ferentes.

<sup>a</sup> *Quisquis rerum fœdera nectis*] Prædictas scilicet causarum effectorumque naturalium vicissitudines.

<sup>b</sup> *Operis tanti pars non vilis Homines*] Homo quidem 'pars' est rerum a Deo conditarum: siquidem neque a semetipso, neque a nihilo fieri potuit: sed idem homo pars est 'non vilis: 'quod ea etiam, a quibus cogitari non potest, ipse cogitet.

<sup>c</sup> *Quatimur fortunæ salo*] Ut Poëtis sic Oratoribus 'salum' est mare;

quod nimirum in mari multus sit salis sapor: hinc 'Salacia' et 'Venilia' apud Poëtas usitantur ad significanda ea maris decrementa et incrementa, quibus bis in die detumere et tumere solet Oceanus. 'Salacia' quippe sunt fluctus maris a littore ad salum redeuntis: 'Venilia' autem fluctus ejusdem maris ab alto salo ad littus venientis. Non immerito autem dicitur 'fortunæ salum' cum ab aliis auctoribus, quod sicut a mari sic a fortuna plura sunt bona et mala sed inconstantissime: tum præsertim a nostro auctore; quod hic amarus experiatur fortunæ casus.

<sup>d</sup> *Rapidos, rector, comprime fluctus*] Id est, violentos motus fortunæ, quæ est veluti insanum mare.

<sup>e</sup> *Quo cœlum regis . . . fœdere terras*] Homines sic moderare, ut quemadmodum non solum in cœlo, sed in reliquis operibus tuis, suæ suis respondent vicibus vices, sic apud homines, et virtutibus præmia et vitiis supplicia reddantur.



## PROSA V.

HÆC ubi continuato dolore delatravi,<sup>f 20 f</sup> illa<sup>g</sup> vultu placido,<sup>g</sup> nihilque meis questibus mota: Cum te, inquit,<sup>h</sup> mœstum,<sup>i</sup> lacrymantemque vidissem,<sup>h</sup> illico miserum,<sup>i</sup> exulemque<sup>k</sup> cognovi. Sed quam id longinquum esset exili-

<sup>f</sup> Stulte locutus sum.    <sup>g</sup> Philosophia.    <sup>h</sup> O Boëthi.    <sup>i</sup> Quantum hoc exilium distaret.

//////////

20 *Deblateravi* Delph. Vid. inf. ‘*Deblateravi*: alii legunt, *delatravi*, sive *dilatravi*: sed minus bene.’ *Vallin.*—1 Vict. primus: *inquit, alumne mœstum.*

## NOTÆ

<sup>f</sup> *Delatravi* [*deblateravi*] Alii legunt *delatravi*, sive *dilatravi*: sed vox quam utimur tam apta est ad significandam eam, quam nunc Boëthius habet de prædictis, cogitationem, tamque facile potuit propter similem pronuntiationem in vulgatas voces mutari, ut hæc illam obliterasse videantur: quod attendenti patebit. Nimirum ‘*deblaterare*,’ inquit Festus, ‘est stulte loqui:’ nam *βλάκας* stultos vocant Græci: hinc *Blaterones* sunt ‘homines in verba projecti,’ inquit Agellius l. i. c. 15. ‘importuni locutores, qui nullo rerum pondere in nixi verbis humidis et lapsantibus diffinunt.’ Normani vocant *bavards*; nec ita inepte: qui enim præcipites sic loquuntur, hi infantium instar, saliva effluente buccas et vestes aspergere solent.

<sup>g</sup> *Illa vultu placido*] Philosophia scilicet; quippe quæ omnium rerum moderatrix est. Hinc ‘sapiens’ sive philosophus Ciceroni iv. Tusc. ‘is est, qui moderatione et constantia quietus animo est, sibi que ipse placatus, ut neque tabescat molestiis, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetens ardeat desiderio, nec alacritate futilem gestiens deliquescat.’

<sup>h</sup> *Cum te, inquit, mœstum, lacryman-*

*temque vidissem*] Inquit Philosophia. Lacrymæ quidem seipsas produnt: tristitia autem et lacrymis et oculorum situ noscitur: ‘oculi enim sunt,’ inquit Orator iii. de Or. ‘quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significamus.’

<sup>i</sup> *Miserum . . . cognovi*] Miser, ut Cujacio pluribusque aliis placet, dicitur a *μισῶ* ‘odi,’ quod misera conditio omnibus sit exosa. Miseram autem illam Boëthii conditionem Philosophia cognovisse potuit ex lacrymis et tristitia prædictis: hæc enim sunt miseræ comites.

<sup>k</sup> *Exulemque*] *Exsul*, sive, ut Veteres legebant, *exsol*, ille dicitur, qui ex solo deturbatus abest: hinc aiunt scribendum *exsul*, non *exul*: sed id tanti non est, cum litera *x* ex literis *c* et *s* componatur. Cognovit autem Philosophia hoc Boëthii exilium, non ex tristitia et lacrymis tantum: his quippe non exilium potius, quam quælibet alia miseria significatur: sed ex ipso, in quo Boëthius lacrymabatur, loco: qui utpote Boëthio conjunctus potuit et ab auctore reticere, et a lectore facile intelligi. Verum cum exilium dicatur patriæ privatio, cumque hominis patria alia

um,<sup>i</sup> nisi tua prodidisset oratio, nesciebam. Sed tu procul<sup>2</sup> a patria non quidem pulsus es, sed aberrasti. At si te pulsum existimari mavis, te potius ipse pepulisti.<sup>3</sup> Nam id quidem de te nunquam cuiquam fas fuisset.<sup>k</sup> Si enim cujus oriundus sis patriæ reminiscaris,<sup>l</sup> non, uti Atheniensium<sup>m</sup> quondam, multitudinis imperio regitur:<sup>l</sup> ἀλλὰ εἷς βασιλεύς ἐστίν, εἷς κοίρανος,<sup>m</sup> 4 qui frequentia civium, non de-

<sup>k</sup> Nemo potuisset te pellere. <sup>l</sup> Tua patria non regitur imperio multitudinis; sicut olim Athenæ regebantur: sed hujus. <sup>m</sup> Unus est Dominus, unus Rex.

—2 ‘Sed tu quam procul] Ejice particulam quam, suadente Ms. Rittersh.’ Sitzm.—3 Ms. Rittersh. te ipse repulisti.—4 Sed εἷς κοίρανος ἐστίν, εἷς βασιλεύς

## NOTÆ

dicatur corporis, alia mentis, propterea exilium non solum de corporibus a natali solo expulsis, sed etiam de mentibus a cælo sive potius a Deo remotis intelligi potest: unde quamvis Boëthius in prædictis suis Carminibus de priori duntaxat exilio locutus fuerit, Philosophia tamen, occasione accepta, de posteriori exilio loquitur, simulataque sua ignorantia innuit ‘exilium non adeo longinquum esse,’ quod nimirum mens hominis, quaecumque is incolat terrarum regionem, nec longiori propterea, nec breviori intervallo a cælesti patria distet: bene quippe Anaxagoras querenti, nullane patriæ ipsi esset cura, Mihi, inquit, patriæ cura et quidem summa est: digitum in cælum intendens. Optime S. Paulus II. Cor. 5. monet ‘nos habere domum æternam in cælis:’ quod apud Christianos est vulgatissimum. Propterea ab hac patria nemo pellitur: ‘tu procul a patria non quidem pulsus es:’ nam hoc est discrimen inter patriam corporis et patriam mentis, quod etiam inviti possimus a patria corporis expelli: a patria vero mentis, nimirum a cælo sive potius ab ipso Deo non nisi volentes recedamus: huc enim

Delph. et Var. Clas.

tendimus, hic commoramur affectibus mentis, quorum sumus domini. A patria tamen cælesti aberramus aliquando: ‘sed aberrasti:’ quatenus libere voluntas nostra deficit a divina voluntate, quæ ut est prima rerum omnium causa, sic prima est actuum humanorum regula: quamobrem ‘si te pulsum existimari mavis, te potius ipse pepulisti,’ tua scilicet voluntate, tuo consensu, cujus ita dominus es, ut ‘id de te nunquam cuiquam fas fuisset.’ Tanta quippe est mentis humanæ libertas, ipsa ut nec errore nec vitio, quibus a cælesti patria arcemur, nisi eadem libere voluerit, contaminari possit.

<sup>l</sup> Cujus oriundus sis patriæ reminiscaris] Inceptus de patria cælesti sermo continuatur: hujus autem patriæ reminisci duntaxat Boëthium oportet: quia Boëthius sive a Deo, sive suo Marte, sive etiam magistrorum adminiculis instructus, multis ab hinc annis noverat cælum suam esse patriam: sed notio hæc affectibus forte obscurata: hinc illud non tam scire primum, quam reminisci debebat.

<sup>m</sup> Non, uti Atheniensium] Triplex est patriæ regendæ modus, sive

Boëth.

I



pulsione lætatur: cujus agi frænis,<sup>n</sup> atque obtemperare justitiæ,<sup>o</sup> summa libertas est.<sup>n</sup> An ignoras illam tuæ civitatis<sup>p</sup> antiquissimam legem<sup>o</sup> qua sancitum est, ei jus exu-

<sup>n</sup> *Habenis, id est, imperio.*

<sup>o</sup> *Legibus.*

<sup>p</sup> *Romæ et cæli.*

## NOTÆ

triplex imperii forma, videlicet Principatus, Status optimatum, et Status populi: nam ‘cunctas nationes et urbes,’ ait Cornel. Tacit. Ann. iv. 33. ‘populus, aut primores, aut singuli regunt.’ Athenienses quidem ab Optimatibus primum, a Populo deinde leges acceperunt, unde non solum ‘depulsione civium bene meritorum lætati,’ sed mori eos aliquando coëgisse feruntur. At cælestis nostra patria neque Populo, neque Optimatibus, sed uno duntaxat Principe regitur: ut enim ait Homerus Iliad. β. εἰς κοίρανος ἔστω, Εἰς βασιλεὺς, ‘Hærus unicus esto, unicus et princeps.’ Scilicet ut solus Deus est mentis humanæ conditor, sic solus Deus est ejusdem mentis moderator; propterea Deus i. Timoth. 6. et alibi dicitur ‘rex regum et dominus dominantium.’ Rex autem ille supremus ‘lætatur frequentia civium:’ propterea enim humanum genus condidit, perditumque Unigeniti filii morte reparavit: hinc Christus Joan. 10. ‘Alias,’ inquit, ‘oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.’ Idem Rex supremus ‘non lætatur depulsione civium:’ nam i. Timoth. 2. ‘Salvator noster Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.’ ‘Vivo ego, dicit Dominus Deus,’ Ezechielis 33. ‘nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini, domus Israel?’ Hujus denique summi Re-

gis voluntate regi, ‘summa libertas est:’ sed id longiori quadam interpretatione videtur indigere.

<sup>n</sup> *Cujus agi frænis, atque obtemperare justitiæ, summa libertas est]* Libertas, inquit Tullius i. de Off. et Parad. v. ‘est potestas vivendi ut velis;’ non solum extrinsecus, inquam, motibus scilicet corporis; sed etiam intrinsecus, nimirum cogitationibus mentis. Duobus autem modis homo potest velle, adeoque vivere. Primum quidem sequendo divinam voluntatem, quæ ut prima causa, sic prima est nostræ voluntatis regula: et hæc est summa libertas, quæ est in nobis, dum volumus esse felices, quæ fuit in Christo, cum æterni Patris mandata viator implevit, quæ erit in omnibus beatis Deum æterna felicique necessitate amaturis. Deinde deflectendo a divina voluntate sive peccando: et hæc est infima libertas, quam optaremus felici quadam necessitate Dei semper amandi permutari. Quoniam autem divinam voluntatem sequi possumus et vitando malum et faciendo bonum, juxta illud Psal. 36. ‘declina a malo, et fac bonum;’ hinc summa libertas hominis est non solum in hoc quod declinet a malo, sive Dei ‘frænis agatur;’ sed in hoc etiam, quod faciat bonum sive ‘divinæ justitiæ obtemperet,’ servans nimirum legem Dei honesta imperantis et prohibentis contraria. ‘Lex Domini,’ Psal. 18. ‘immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis; justitiæ Domini rectæ.’

<sup>o</sup> *Tuæ civitatis antiquissimam legem]*

lare non esse quisquis in ea sedem fundare maluerit? Nam qui vallo<sup>q</sup> ejus, ac munimine<sup>s</sup> continetur,<sup>p</sup> nullus metus est, ne exul esse mereatur. At quisquis inhabitare eam velle desierit,<sup>6</sup> pariter desinit etiam mereri.<sup>q</sup> Itaque<sup>r</sup> non tam me loci hujus,<sup>7</sup> quam tua facies movet.<sup>s</sup> Nec bi-

<sup>q</sup> *Præsidio.*      <sup>r</sup> *Ticini, ubi te dicis exulare.*



Delphi. et Hack.—5 Ms. Rittersh. pro *munimine* legit *munitione*.—6 Idem Ms.

### NOTÆ

Philosophia duplici significatione hujus vocis ‘civitas’ utens, id notat quod et Romæ et cælo, unde oriundus Boëthius, possit convenire. Scilicet antiquissimæ Romæ leges neminem exilii damnabant: unde Tullius pro Cæcina: ‘Exilium,’ inquit, ‘non supplicium est, sed perfugium, portusque supplicii: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eo solnm vertunt; hoc est, sedem et locum mutant: itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exilio esse mulctatum.’ At cœlestis patriæ leges multo minus quemque exilii damnant: quicumque enim intra regni cœlestis limites voluerit permanere, summo illius Regi obsecuturus, hic nunquam exulabit: siquidem nemo ab illo regno nisi voluntaria rerum caducarum contrariarumque affectione arcetur. Porro de civitate cœlesti passim loquitur S. Augustinus in libro quem inscripsit ‘De Civitate Dei.’

<sup>p</sup> *Qui vallo ejus, ac munimine continetur*] Vallum est murus e terra, ad fossæ oram aggestus, crebris sudibus sive palis munitus. Munimen vero generatim illud omne castrorum præsidium, quo hosti aditus præcludatur: hæc autem nunc accipiuntur non solum proprie, quatenus intelliguntur de patria corporis; sed etiam quadam loquendi translatione, quatenus

de cœlesti mentis patria intelligi possunt. Cum autem Boëthius Christianissimus fuerit, is nominato civitatis cœlestis vallo Christum cruci affixum, munimine vero gratiam quam Christus sua morte nobis promeruit, potuit intelligere: quicumque enim hoc præsidio munitur, huic ‘non est metuendum, ne patriæ cœlestis exul esse mereatur.’ Hac fere ratione locutus S. Paulus ad Ephes. c. 6. ‘Confortamini,’ inquit, ‘in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.’

<sup>q</sup> *Quisquis inhabitare eam velle desierit, pariter desinit etiam mereri*] Non enim patriam cœlestem inhabitamus meremurque, nisi bona voluntate: ‘totum habet,’ inquit S. Aug. l. l. Homil. Homil. 8. ‘qui bonam voluntatem habet. Ipsa est quæ potest sufficere, si cetera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quicquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit: cetera omnia nihil prosunt, si sola caritas desit.’

<sup>r</sup> *Itaque*] Facta mentione duplicis patriæ, duplicisque propterea exilii, positoque horum omnium discrimine, Philosophia iis omnibus, de quibus Boëthius Prosa IV. hujus lib. conquestus fuerat, responsura, optimas quasdam infert conclusiones.

<sup>s</sup> *Non tam me loci hujus, quam tua facies movet*] 1. Boëthius quæsierat:



bibliothecæ potius<sup>t</sup> comtos ebore ac vitro parietes, quam tuæ mentis sedem requiro. In qua non libros, sed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum<sup>s</sup> sententias collocavi. Et tu quidem de tuis in commune bonum meritis<sup>u</sup> vera quidem, sed pro multitudine gestorum tibi,<sup>t</sup> pauca dixisti. De objectorum tibi vel honestate, vel falsitate,<sup>u</sup> v cunctis nota memorasti. De sceleribus fraudibusque delatorum<sup>w</sup> recte tu quidem strictim<sup>v</sup> attingendum putasti, quod ea melius uberiusque recognoscentis<sup>w</sup> omnia

<sup>s</sup> *Philosophicorum.*    <sup>t</sup> *A te.*    <sup>u</sup> *Eorum quæ vitio vertebantur.*    <sup>v</sup> *Compressius.*    <sup>w</sup> *Considerantis.*

## NOTÆ

‘ nihilne te ipsa loci facies movet?’ respondet Philosophia: ‘ non tam,’ inquit, ‘ quam tua facies,’ in qua, velut in speculo, mentis tuæ dejectio videtur: quod tanta Philosophiæ non sit cura terrenæ, quanta cœlestis patriæ; nec tanta corporis, quanta mentis a natali solo exulantis.

<sup>t</sup> *Nec bibliothecæ potius]* II. Boëthius quæsierat: ‘ hæccine est bibliotheca quam certissimam tibi sedem nostris in Laribus ipsa delegeras? reponit Philosophia: ‘ non tam,’ ait, ‘ bibliothecæ, quam mentis tuæ ornamenta, sententias scilicet philosophicas, requiro.’ Consueverant autem olim potentes ornare suas domos auro, ebore, aut saltem vitro, eo scilicet fine quo nunc plures magnificas habere ædes, sumptuosa parare convivia, numerosa satellitum turba comitari student, ut in ceteris hominibus admirationem, honorem, timorem, et ceteras ejusmodi cogitationes excitent. Sic Virg. *Æn.* 1. 729. ‘ Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant Atria: dependent lychni laquearibus aureis Incensi: et noctem flammis funalia vincunt.’ Sic Horatius *Carm.* 1. II. Od. 18. seipsum a potentibus secernit, ‘ Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar,’ &c.

<sup>u</sup> *De tuis in commune bonum meritis]* III. Boëthius dixerat, nullum se ad magistratum nisi commune bonorum omnium studium impulisse. ‘ Tu mihi,’ inquit, ‘ et qui te sapientium mentibus inseruit Deus, conscii, nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium detulisse:’ respondens Philosophia id non fatetur modo, sed etiam exaggerat: ‘ de tuis,’ ait, ‘ in commune bonum meritis vera quidem, sed pro multitudine gestorum tibi, pauca dixisti.’

<sup>v</sup> *De objectorum tibi vel honestate, vel falsitate]* IV. Boëthius addiderat, sibi objecta fuisse cum honesta, tum falsa: honesta quidem, ut quod innocentem Senatam majestatis crimine postulatum defenderit ac liberaverit: ‘ Senatam,’ inquit, ‘ dicimur salvum esse voluisse:’ falsa vero, ut quod magicis artibus studeret: ‘ ob ambitum,’ ait, ‘ dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse mentiti sunt:’ quibus respondens Philosophia asserit neminem latere illa et honesta et falsa: ‘ cunctis,’ inquit, ‘ nota memorasti.’

<sup>w</sup> *De sceleribus, fraudibusque delatorum]* V. Boëthius dixerat, se iniuste delatum a Basilio, Opilione, et Gaudentio, quorum primus ‘ in delatio-

vulgi ore celebrentur. Increpuisti<sup>x</sup> etiam vehementer injusti factum Senatus.<sup>x</sup> De nostra etiam criminatione<sup>y</sup> doluisti, læsæque opinionis<sup>z</sup> 7 damna flevisti.<sup>z</sup> Postremus adversus fortunam dolor<sup>a</sup> incanduit,<sup>a</sup> conquestusque es non æqua meritis præmia pensari. In extremo<sup>b</sup> Musæ sævientis, uti quæ cælum, terras quoque pax regeret, vota posuisti. Sed quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt, uti nunc mentis es, nondum te validiora remedia contingunt.<sup>c</sup>

<sup>x</sup> Redarguisti.      <sup>y</sup> Accusatione nostri.      <sup>z</sup> Existimationis.      <sup>a</sup> Efferbuit.  
<sup>b</sup> Denique.      <sup>c</sup> Commovent.

destiterit.—7 Ed. Delph. *doluisti. Læsæ quoque.* Ed. Hack. *doluisti, læsæ quoque.*

## NOTÆ

nem alieni æris necessitate compulsus est:’ duo alii ‘ob innumeras fraudes ad exilium damnati sacrarum sese ædium defensione tuebantur:’ respondet Philosophia, ‘recte hæc strictim attingi, quod ea melius uberiusque recognoscentis omnia vulgi ore celebrentur.’ Scilicet cum loquamur non solum verbis, sed et nutu, et gestu, et ceteris ejusmodi vocis humanæ adjunctis, ipsum etiam vulgi silentium aliquando eloquens plura significat, quam multa loquacitas; quæ tamen his de rebus vulgo non defuit.

<sup>x</sup> *Injusti factum Senatus*] VI. Boëthius meminerat, Senatum usque adeo ingrati animi fuisse, ut sua in ipsum Boëthium decreta emiserit. ‘Suis,’ inquit, ‘de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat:’ respondet Philosophia probatque, Boëthium ‘increpuisse etiam vehementer injusti factum Senatus.’

<sup>y</sup> *De nostra etiam criminatione*] VII. Boëthius conquestus fuerat, quod cujus maleficii ipse accusaretur, idem in ipsam Philosophiam refunderetur: ‘de te,’ inquit, ‘tanti criminis fidem capiunt, atque hoc ipso videbimur

affines fuisse maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus:’ Philosophia autem, veluti memor hujus Boëthii in seipsam affectus, questum probat: ‘de nostra,’ ait, ‘etiam criminatione doluisti.’

<sup>z</sup> *Læsæque opinionis damna flevisti*] VIII. Boëthius subjunxerat, se immerito bonam apud multos existimationem amisisse: ‘quod,’ inquit, ‘existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum.’ Et hoc immerito fieri annuit Philosophia.

<sup>a</sup> *Postremus adversus fortunam dolor*] IX. Boëthius præsertim conquestus fuerat de injustitia fortunæ, ‘non æqua meritis præmia’ rependentis: ‘videre,’ inquit, ‘videor nefarias sceleratorum officinas gaudio lætitiæque fluitantes; insontes autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos.’ Hinc idem Boëthius Deum compositis versibus rogavit, ut qua pace cælum regit, eadem terras regere dignaretur: Musa autem hæc nunc dicitur ‘sævians,’ quod ne ipsi quidem Deo videatur parcere, dicens Metro v. hujus libri, ‘Omnia certo



Itaque lenioribus<sup>8</sup> paulisper utemur,<sup>b</sup> ut quæ in tumorem perturbationibus influentibus induruerunt, ad acrioris vim medicaminis recipiendam, tactu blandiore mollescant.



—8 Thuan. primus : *Itaque levioribus.*

#### NOTÆ

fine gubernans, Hominum solos respuis actus Merito rector colibere modo.' Quibus querelis deinceps respondebit Philosophia : sed antea ipsius Boëthii mens quibusdam præjudiciis exuatur necesse est. Præjudicia autem illa nascuntur ex affectibus, v. g. dolore, ira, mœrore, et ceteris, quibus idcirco remedium aliquod adhibendum est : ' quoniam,' inquit Philosophia, ' plurimum tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt, uti nunc mentis es, nondum te validiora remedia contingunt.'

<sup>b</sup> *Lenioribus paulisper utemur*] Egregia comparatio ex corporibus desumpta : quemadmodum enim corporis tumor ex eo accidit, quod humoribus alicubi quiescentibus corpus illic du-

rescendo infletur, eoque magis quo major humorum copia illuc affluens motum quiete permutaverit ; sic tumor mentis ex eo contingit, quod perturbationibus illic insitis mens veluti durescendo infletur, eoque magis quo major perturbationum copia eodem affluerit ibidem permansura. Quare sicut tumor corporis non prius aufertur, quam hoc in mollitiem quandam, blandioribus remediis, redacto, prædicti humores majori corporum subeuntium motu abripiantur ; ita mens tanto perturbationum agmine non prius liberatur, quam, ipsa crescentibus paulatim argumentis veluti mollita, prædictæ affectiones majori cogitationum sanctarum virtute procul pellantur : hoc et illud prudentis est medici.

---

#### METRUM VI.

CUM Phœbi radiis grave  
Cancris sidus<sup>c</sup> inæstuat ;

*Quando signum cœleste Cancris inardescit perniciosum lumine solari, tunc qui*

#### NOTÆ

<sup>c</sup> *Cancris sidus*] 1. Exemplo messis probatur suum cuilibet rei tempus convenire : ut negatis segetibus ad glandes confugas. Cancer igitur hic est unum e duodecim signis Zodiaci, quæ exprimi solent his versibus : ' Sunt aries, taurus, gemini, cancer,

leo, virgo ; Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces : ' quæque Sol, annum cursum conficiens, unum quolibet mense, percurrere dicitur. Cancer autem in ea est cœli parte, quam ubi Sol versus Septentrionem profectus attingit exeunte

Tum qui larga negantibus  
Sulcis semina credidit,<sup>d</sup>  
Elusus<sup>9</sup> Cereris fide,<sup>e</sup>

5

*mandavit terris sterilibus sementem copiosam, deceptus promisso Cereris, Numinis*

9 Vict. primus : *illusus*.—10 Edd. Delph. et Hack. *pergat*.

## NOTÆ

Junio, tum nobis diem æstatis longissimum ita efficit, ut non ulterius versus Septemtrionem progrediens, ad Meridiem deflectere incipiat: hinc circulus, quem Astronomi ponunt per primum hujus signi gradum transire, vocatur Tropicus Cancrī, ubi Solstitium æstivum: unde Manil. l. III. ‘Cancrī cum sidere Phœbus Solstitium fuit, et summo versatur Olympo.’ Atqui hoc ‘Cancrī sidus’ nunc dicitur ‘inæstuare,’ quod terræ tunc maximo ignis cœlestis motu sive æstu commoveantur: sic Horat. Epod. Od. XI. ‘Quod si meis inæstuat præcordiis Libera bilis.’ Dicitur etiam ‘grave radiis Phœbi:’ quod, Sole illud ingresso, vix ferri possit, cum corpore propter nimium æstum, tum etiam mente propter eam, quam urendo segetes statim perhibebitur afferre, sterilitatem. Silius l. I. ‘Æstifero Libye torquetur subdita Cancro.’ Grave enim generatim illud habetur quod geri vix potest, sive corpore, sive etiam mente: exempla sunt cuique obvia.

<sup>d</sup> *Sulcis semina credidit*] Sulcus, *un seillon*, iudicio Varronis, dicitur a sustollo, quod aratri vomer terram sustollat: sicut arvum et arationes ab arando; et porca, *le rayon sur lequel on sème*, quod terra porrecta sive jacta utrinque. Quicquid autem sit de interpretationibus nominum istorum, Poëtis agricola qui serit dicitur semina, sive anni spem, sulcis vel terræ credere: adeo ut, si semina, injuria temporum, ante messem evanuerint,

dici possit ‘*elusus Cereris fide*’ sive promisso. Sic Virg. Geor. I. vs. 221. ‘Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur, Gnosiaque ardentis decedat stella coronæ; Debita quam sulcis committas semina, quamque Invitæ properes anni spem credere terræ. Multi ante occasum Maiæ cœpere: sed illos Expectata seges vanis elusit avenis.’ Sic Tibullus l. II. Eleg. ult. ‘Spes sulcis credit aratis Semina quæ magno fœnore reddat ager.’ Sic ergo propter nimium ‘Cancrī inæstuantis’ ardorem, ‘qui larga negantibus sulcis semina credidit,’ hic

<sup>e</sup> *Elusus Cereris fide*] Ceres Poëtis est Saturni et Opis filia, ex qua Jupiter Proserpinam suscepisse fertur: sed hanc Cereris filiam Pluto postea rapuit: unde Ceres accensis in Ætna monte tædis totum orbem peragravit filiam quæsitura: in laborioso autem illo itinere Triptoleum, Eleusii Regis filium, serendorum seminum rationem docuit: hic vero orbem pariter peragrans, eandem artem ceteris hominibus communicavit. Philosophis autem, si Tullio II. de Nat. D. credamus, Ceres nihil est aliud quam ipsa terra, sic dicta vel a ‘gerendo,’ quasi ‘Geres,’ immutata litera, a gerendis frugibus; vel a ‘creando,’ quasi frugum creatrix. Qui porro id voluerit attentius considerare, is causam inveniet, cur terra dicatur Saturni et Opis filia, et cur Jove fœcundata genuerit Proserpinam, a Plutone postea raptam. Sed hæc nostri non sunt instituti.



Quernas pergit <sup>1o</sup> ad arbores.<sup>f</sup>  
 Nunquam purpureum nemus <sup>s</sup>  
 Lecturus violas petas,  
 Cum sævis Aquilonibus  
 Stridens campus inhorruit :

10

*frugum, is tendat ad quercus glandiferas. Nunquam adeus sylvam pulchram ad colligendas violas, ubi ager turbatus fuerit crepitans Aquilonibus crudelibus. Ne-*

## NOTÆ

<sup>f</sup> *Quernas pergit [pergat] ad arbores]* Hoc est, ad quercus glandiferas, tanquam ad primas hominum altrices, confugiat. Quercus arbor cuique nota. Hæc ante inventas fruges populis quibusdam dicitur victum suppeditasse: unde Virgil. I. Geor. vs. 159. 'Concussa que famem in sylvis solabere quercu.' Quare cum glans, hujus arboris fructus, non nisi post segetum messem adolescat, hæc diversis temporibus ita astricta sunt, ut si te seges expectata fefellit, a quernis arboribus olim glandiferis fruges sperare possis. Sic ergo exemplo messis probatur, sua esse singulis rebus tempora, divinitus præscripta.

<sup>s</sup> *Nunquam purpureum nemus]* II. Exemplo florum probatur etiam, suum cuique rei convenire tempus: significatur enim, flores qui sponte nasci consueverunt, quique nunc nominatis 'violis' intelliguntur, non esse quærendos tempore hyemali, quo sæviunt Aquilones, per purpureum nemus: quare aliquid dicendum de purpureo nemore, de violis, et de Aquilonibus. Purpureum dicitur a purpura. Est vero purpura conchæ genus, cuius liquore olim vestes tingebantur. Quod autem jam a longo tempore Veterum purpura desierit, propterea inducta hujus vocis ambiguitate, purpureus vocatur nunc quidem 'nigror,' ut apud Ciceronem mare nigricans, purpureum; apud Ovidium uvæ nigræ, purpureæ; et

apud Homerum mors atra dicitur purpurea: nunc 'candor,' sicut Horatio olores purpurei, et Ovidio nix vocatur purpurea: nunc 'rubor,' ut omnibus Poëtis genæ purpureæ, et sanguis purpureus: nunc 'color cæruleus,' ut apud Virgilium 'violæ sublucescunt purpura nigræ:' nunc color quilibet, quique ex illo nasci solet decor: 'pulchritudo' enim, judice Tullio IV. Tusc. 'est quædam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate.' Sic Virgil. Ecl. IX. vs. 40. 'Hic ver purpureum, varios hic flumina circum Fundit humus flores: hic candida populus antro Imminet, et lentæ texunt umbracula vites.' Atque hoc ultimo modo credimus, nemus nunc vocari 'purpureum.' Violarum duo sunt genera, ut colligitur ex Plinio l. XXI. cap. 6. Aliæ natura, aliæ arte nascuntur: posteriores in hortis, priores etiam in sylvis: de iis autem agitur, quæ, ut ait idem Plinius, 'sponte apricis et macris locis proveniunt purpureæ latiore folio.' Aquilo denique est ventus, qui teste Plinio l. II. c. 47. inter Septemtrionem et Ortum Solstitialem e regione Cauri flat. Ventus autem ille frequens est hyeme: quare hyems Plinio dicitur 'Aquilonia,' et Poëtis, 'rigidis Aquilonibus horrens:' unde 'sævis Aquilonibus' nunc significatur, violas in sylvis non esse quærendas hyeme: usque adeo exemplo florum probatur, suum cuique rei convenire tempus.

Nec quæras avida manu <sup>h</sup>  
 Vernos stringere palmites,  
 Uvis si libeat frui ;  
 Autumno potius sua  
 Bacchus munera contulit.  
 Signat tempora propriis  
 Aptans officiis Deus ; <sup>i</sup>  
 Nec quas ipse coërcuit,  
 Misceri patitur vices.


*que tentes verno tempore vincire aut putare vites manu veluti cupida, si possis potiri racemis: nam Bacchus dedit sua hæc dona Autumno potius, quam Verno tempore. Deus notat momenta omnia, sua singulis muneribus accommodans, neque sinit*

## NOTE

<sup>h</sup> *Nec quæras avida manu]* III. Exemplo vindemiæ probatur, sua singulis rebus tempora convenire: cum enim vindemia Autumno fiat, frustra hoc tempore ‘quæras vernos stringere palmites:’ quibus verbis distincta Veris et Autumni officia proponuntur. Primum quidem veruo tempore alii palmites amputantur, alii vinciuntur tantum: quod utrumque dum præstat agricola, stringere dicitur: stringit enim et frondes quas colligit, ut I. Georg. vs. 305. ‘Sed tamen et quernas glandes tunc stringere tempus, Et lauri baccas, oleamque cruenta que myrta.’ Et ramos quos ligat, ut ibid. vs. 317. ‘Agricola et fragili jam stringeret hordea culmo.’ Atque idipsum dicitur fieri ‘avidam manu:’ cum enim homo aliquid valde appetit quadam sui corporis parte exequi, tum translata quadam significatione, pars illa dici solet ‘avidam.’ Sic aures Ciceroni dicuntur avidæ: ‘Demosthenes,’ inquit de Orat. ‘non semper implet aures meas: ita sunt avidæ et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant.’ Sic manus ipsæ Horatio dicuntur avidæ. Carni. I. IV. Od. 7. ‘Cuncta manus avidas

fugient hæredis, amico Quæ dederis animo.’ Quicumque autem vernos palmites stringit, hic ita appetit stringere, ut videatur timere, ne desinat stringere. Deinde Autumnus sic uvis colligendis accommodatur, his ut ille a Poëtis soleat describi: quod vulgatissimum est: Lucret. I. I. ‘Præterea cur Vere rosam, frumenta Calore, Viteis Autumno fundi sudante videmus, Si non certa suo quia tempore semina rerum. Cum confluerunt, patefit quodcumque creatur.’ Hinc ‘Autumno sua Bacchus munera contulisse’ dicitur, potius quam Verno tempore: quod enim Bacchus inventor vini habeatur, munus Bacchi est vinum, vinum autem non Vere, sed Autumno compressis uvis effluere consuevit: usque adeo messe, floribus, et vindemia constat, sua singulis rebus præscripta esse divinitus tempora.

<sup>i</sup> *Signat tempora propriis Aptans officiis Deus]* Deus enim est prima causa non solum rerum ceterarum, sed modorum etiam omnium quibus res illæ recte se habent, adeo ut nihil eorum contingat, nisi secundum leges divina voluntate statutas: propterea Ecclesiastæ III. ‘omnia tempus habent,





Sic quod præcipiti via<sup>k</sup>  
 Certum deserit ordinem,  
 Lætos non habet exitus.

20

*ordinem, quem ipse instituit, turbari. Propterea quicquid inconsiderata ratione linquit ordinem præscriptum, id non obtinet jucundos eventus.*

## NOTÆ

et suis spatiis transeunt universa sub cælo. Tempus nascendi et tempus moriendi. Tempus plantandi et tempus evellendi quod plantatum est,' &c. Hinc 'quas vices Deus coërcuit' sua nimirum constantissima voluntate, has non patitur misceri sive turbari. Sic Phædrus l. I. Fab. 2. loquitur: 'Athenæ cum florent æquis legibus, Procax libertas civitatem miscuit.' Hinc Philosophi erudere potuerunt quædam principia quibus innitantur demonstrationes quas de materia Philosophiæ subjecta conficiant.

<sup>k</sup> *Sic quod præcipiti via, &c.]* Præcipitatio alia est corporis; alia mentis. Præcipitatio corporis, inquit S. Thomas 2. 2. q. 53. a 3. in hoc versatur, quod corpus 'a superiori in ima pervenit secundum impetum quendam proprii motus, vel alicujus im-

pellentis non ordinate descendendo per gradus.' Præcipitatio vero mentis est inconsideratum de ignoto iudicium: interior quippe veri oertique iudicii regula, est evidentia: sine qua si sententiam ferat, aut erabit, aut errandi periculum subibit Philosophus: adeoque 'præcipiti via certum deserens ordinem lætos non habebit exitus.' Hic porro agitur non de priori sed posteriori duntaxat præcipitatione: quærit enim Philosophia remedia, quibus hæc mederi possit menti Boëthii laboranti: laborat autem errore, qui sanari non potest, nisi veritate contraria. Cum igitur primum veritatis inveniendæ impedimentum, adeoque prima erroris causa sit præcipitatio, optime monet Philosophia non esse præcipitandum; sed a levioribus primum remediis incipiendum.

---



---

 PROSA VI.

PRIMUM igitur paterisne me pauculis rogationibus<sup>d 1</sup> statum tuæ mentis attingere, atque tentare; ut qui modus

<sup>d</sup> *Quibusdam quæstiunculis.*

## NOTÆ

<sup>1</sup> *Rogationibus]* I. Philosophia interrogat Boëthium: quia homo interrogatus (nisi hic fuerit præceps et amentissimus, quemadmodum loquitur Cicero) animo attendit ad eam,

quam habet de materia proposita, notionem, suamque, cujus ipse conscius est, hac de re sententiam profert: unde auditor potest quædam alia conficere. Sic 'Socrates, qui parens

sit tuæ curationis intelligam? <sup>e</sup> Tu vero arbitrato, inquam, tuo quæ voles, ut responsurum rogato. <sup>f</sup> Tum illa, <sup>g</sup> Hunc-cine, inquit, mundum temerariis <sup>m</sup> agi, fortuitisque casibus putas? an ullum credis ei inesse regimen <sup>11</sup> rationis? <sup>h</sup> Atqui, inquam, <sup>i</sup> nullo existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi suo conditorem <sup>12</sup> præsidere Deum scio: nec unquam fuerit dies, qui me ab hac sententiæ veritate depellat. Ita est, inquit. <sup>k</sup> Nam id etiam paulo ante cecinisti, <sup>l</sup> hominesque tantum divinæ exsortes curæ esse <sup>13</sup> deplorasti. Nam de ceteris, quin ratione regerentur, nihil movebare. Papæ autem vehementer admiror, cur, in tam salubri sententia locatus, <sup>m</sup> æ-

<sup>e</sup> Inquit Philosophia. <sup>f</sup> Quære quod placuerit, inquit Boëthius, tibi respondebo. <sup>g</sup> Tunc Philosophia ait. <sup>h</sup> Mentis ratione præditæ. <sup>i</sup> Ipse Boëthius. <sup>k</sup> Philosophia. <sup>l</sup> Lib. I. Met. 5. v. 25. <sup>m</sup> Sana opinione versatus.

11 *Regimen inesse* edd. eædem.—12 *Vict. primus: Creatorem*.—13 ‘Dele-

## NOTÆ

Philosophiæ jure dici potest, ut loquitur Tullius II. de Fin. ‘percontando, atque interrogando, elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea quæ ii respondissent, si quid videretur, diceret; qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit: instituitque, ut ii qui se audire vellent, non de se quærent, sed ipsi dicerent quid sentirent, quod cum dixissent, ille contra.’ Hac arte nunc Philosophia ‘statum mentis’ Boëthii ‘attingit et tentat,’ ipsum videlicet revocando ad primas, quas in se experiri possit, notiones; quarum beneficio et ab errore veteri liberari et in novam veritatem introduci queat: ‘qui modus est curationis:’ sed huic arti consentit ipse Boëthius: ‘arbitrato,’ inquit, ‘tuo quæ voles, ut responsurum rogato.’

<sup>m</sup> *Hunc-cine, inquit, mundum temerariis*] II. Philosophia cogit Boëthium fateri, se Deum partim cognoscere,

visio saltem ordine, quo hic mundus regitur. Scilicet quemadmodum amici alias cogniti recordamur, audita ejus voce, vel visa ejus scriptura: non quod vox vel scriptura hujus amici notionem inferat; sed potius quod adjuncta hæc veterem amici ideam veluti sopitam excitando renovent: ita Dei naturali lumine jam cogniti reminiscimur viso hoc mundo spectatoque ordine, quo universa etiam corpora reguntur: hinc ‘nullo existimaverim,’ inquit Boëthius, ‘modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur: verum operi suo conditorem præsidere Deum scio:’ hinc quod evidens ejusmodi notio optima sit veritatis sive judicii veri certique norma, propterea ‘nec unquam fuerit dies,’ addit Boëthius, ‘qui me ab hac sententiæ veritate depellat:’ hinc paulo ante, Metro scil. v. vs. 25. cecinit Boëthius: ‘Omnia certo fine gubernans Hominum solos respuis actus Merito rector colibere modo.’



grotes! Verum altius perscrutemur; <sup>n</sup> nescio quid abesse conjecto.<sup>n</sup> Sed dic mihi, quoniam a Deo <sup>14</sup> mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur advertis? Vix, inquam, rogationis tuæ sententiam nosco, nedum ad inquisita respondere queam.<sup>o</sup> Num me, inquit,<sup>p</sup> fefellit <sup>q</sup> abesse aliquid, per quod, velut hiante valli robore,<sup>r</sup> in animum tuum perturbationum morbus <sup>s</sup> irrepserit? Sed dic mihi, meministine, quis sit rerum finis? quove totius natu-

<sup>n</sup> Penitus inspiciamus. <sup>o</sup> Tantum abest ut tuæ quæstioni respondere possim, ut quæstionem vix intelligam, inquit Boëthius. <sup>p</sup> Philosophia. <sup>q</sup> Nonne recte iudicavi. <sup>r</sup> Rimas agente. <sup>s</sup> Error.



atur τὸ esse, adminiculante Ms. Erfurtensi.' Sitzm.—14 Vict. uterque: Deo

#### NOTÆ

Hinc Philosophia, prolata hominis mira subito accipientis interjectione, vehementer admiratur, cur positus ejusmodi principiis Boëthius in erroris tenebras præcipitet, aut instar languentis in veram sententiam ire dubitet de Deo rebus, etiam humanis, providente: 'Papæ,' hæc est interjectio hominis mira subito accipientis, 'vehementer admiror, cur, in tam salubri sententia locatus,' de Deo res ceteras regente, 'ægrotas,' aut negando, aut saltem dubitando circa ipsum Deum res humanas summa sua providentia administrantem. Nimirum cum duæ aut plures sententiæ arcta quadam necessitudine conjunguntur cum priori quadam sententia, quæ propterea habere possit rationem principii, mirum est, hominem præstanti ingenio præditum, cujusmodi erat Boëthius, concessa priori illa sententia, posteriores in dubium revocare. 'Qui enim convenit,' inquit Tullius II. de Nat. D. 'signum aut tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem, cumque procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atque arte moveatur: aut cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplare,

intelligere declarari horas, arte non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes, et earum artifices, et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare? Quod si in Scythiam, aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole et Luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus et noctibus: quis in illa barbarie dubitet quin ea sphaera sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur et fiunt omnia, casu ipse sit effectus, an necessitate aliqua, an ratione, an mente divina: et Archimedes arbitramur plus valuisse in imitandis sphaeræ conversionibus, quam naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata solertius,' &c. 'Quid tam furiosum est,' ait Salvianus I. IV. de Gubern. Dei, 'quam ut aliquis, cum Deum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? et cum factorum esse fateatur, dicat negligere quæ fecit?'

<sup>n</sup> Nescio quid abesse conjecto] III. Philosophia cogit eundem Boëthium

ræ tendat intentio? Audieram, inquam, sed memoriam mœror hebetavit. At qui<sup>u</sup> scis, unde cuncta processe- rint?<sup>v</sup> Novi, inquam,<sup>w</sup> Deumque esse respondi. Et qui fieri potest, ut principio cognito, quis sit rerum finis, igno- res?<sup>x</sup> Verum hi perturbationum mores sunt, ea valentia<sup>y</sup> est,<sup>15</sup> ut movere quidem loco hominem possint; convel- lere autem, sibique totum extirpare non possint. Sed hoc quoque respondeas velim; hominemne te esse meministi?<sup>o</sup>

<sup>t</sup> Ego Boëthius.    <sup>u</sup> Quomodo.    <sup>v</sup> Inquit Philosophia.    <sup>w</sup> Ego Boëthius.  
<sup>x</sup> Inquit Philosophia.    <sup>y</sup> Virtus.

sine præp.—15 ‘Verum hi perturbationum mores, et ea valentia est] Phœnicis Belgii, clarissimi virorum J. Lipsii, amici et cognati nostri scriptus codex, ad alium sensum præit: *Verum his perturbationum morbis ea valentia est: quidni recte?* Bernart. Mss. Rittersh. Vict. secundus edd. Delph. et Hack. nostram lect. exhibent, quam etiam optimam censet Vallin. citans ut emen-

## NOTÆ

fateri, se Deum partim ignorare. Nimirum mens nostra Deum inter et corpus nostrum media, et a Deo et a corpore nostro quibusdam cogitationibus informatur. A Deo quidem accipit primam notionem veritatis, primumque felicitatis appetitum, ita ut Deus primus sit mentis humanæ magister et moderator. A corpore vero accipit cum sensum, tum perturbationes; quibus mens ipsa ita aliquando occæcatur, hæc ut illis in errores et vitia, quæ voluntarii sunt mentis humanæ morbi, deducatur. Propterea ‘hi perturbationum,’ ut nunc dicitur, ‘mores sunt, ea valentia est, ut movere quidem loco hominem possint,’ obscurando prædictas cogitationes, ‘convellere autem, sibique totum’ hominem ‘extirpare non possint,’ extinguendo omnino prædictas cogitationes: quamdiu enim mens humana a Deo, a quo primum condita informataque fuit, conservabitur, tamdiu naturali et lumine et appetitu afficietur. Hiuc Boëthius ‘a Deo mundum regi,’ ut etiam dicitur, ‘non ambigit,’ vigente adhuc

illo lumine; non ‘advertit vero quibus gubernaculis’ mundus ‘regatur,’ perturbationibus tenebras inducentibus: idem ‘scit, unde cuncta processerint, Deumque esse respondit:’ affulgente prædicto naturali lumine: ‘non meminit quis sit rerum finis, quove totius naturæ tendat intentio,’ perturbatione, præsertim vero ‘mœrore memoriam hebetante.’ Propterea ‘nescio quid abest,’ clara scilicet et distincta cognitio Dei, quatenus Deus ultimus est ut ceterarum sic humanarum rerum finis, cuius quidem finis maximum est in moribus momentum: quod quicquid est virtutis aut vitii in nobis, illud a bono vel malo fine cuius gratia agimus oriatur: atque ‘per hoc quod abest, veluti hiantem valli robore,’ ut etiam dicitur, ‘in animum’ Boëthii ‘perturbationum morbus irrepsit:’ ille enim animi morbus nihil est aliud, quam error et vitium, quæ ex his tenebris sive ignorantia nascuntur. De hoc nomine, ‘valentia,’ dictum est Prosa I. Not. c.

<sup>o</sup> *Hominemne te esse meministi*] IV. Philosophia addit Boëthium semet-



Quidni, inquam,<sup>z</sup> meminerim? Quid igitur homo sit, poterisne proferre?<sup>a</sup> Hoccine interrogas?<sup>b</sup> an esse nesciam rationale animal, atque mortale? Scio, et id me esse confiteor. Et illa:<sup>c</sup> Nihilne te aliud esse novisti? Nihil.<sup>d</sup> Jam scio morbi tui, inquit,<sup>e</sup><sup>16</sup> aliam vel maximam causam; quid ipse sis, nosse desisti.<sup>p</sup> Quare plenissime vel ægritu-

<sup>z</sup> Ego Boëthius.    <sup>a</sup> Inquit Philosophia.    <sup>b</sup> Inquam ego Boëthius.    <sup>c</sup> Ait.  
<sup>d</sup> Inquam ego Boëthius.    <sup>e</sup> Philosophia.

datio pro: *Verum hi perturbationibus mores sunt, ea.*—16 Edd. Delph. Hack.

#### NOTÆ

ipsum partim cognoscere, ipsumque ad hanc sui ipsius memoriam revocat, quod homo in primis de semetipso convinci debeat: hinc præceptum Apollinis, quo monet, 'ut se quisque noscat.' Verum id ultro præstat Boëthius, non dubitans se 'esse rationale animal atque mortale: quæ quidem hominis definitio et veterum et recentiorum Philosophorum est: nihilominus ut animadverti potest, sic a nostro Auctore videtur rejici. Animadverti quidem potest illa hominis definitio, non solum quod obscurissima sit, ut attendenti patet: sed etiam quia si bestię cogitare dicantur, quemadmodum dicuntur ab ipsis hujus definitionis patronis, quippe qui putant bestias non 'inadæquate' solum sed 'adæquate,' uti loquantur, sentire adeoque cognoscere, ejusmodi definitio etiam bestiis conveniet. Canis enim v. g. fatentibus istis Philosophis, est 'animal mortale: si vero, ut volunt, idem canis sentiendo cognoscat, negari non potest, quin rationis sit particeps, proindeque vocandus 'rationalis: siquidem ratiocinari quidam est cognoscendi modus, et quidem minus perfectus, quam clare et distincte percipere: propterea enim Deus, qui clare et distincte percipit, negatur ratiocinari: quamobrem cognitio canina, utpote quæ divinæ si-

miliior erit, humana erit perfectior, si, propugnandæ prædictæ definitionis causa, dicatur canis cognoscere quidem, nec tamen ratiocinari. At vero eadem hominis definitio a nostro Auctore videtur rejici; aut potius ab ipsa Philosophia, quæ Boëthium nunc alloquitur: postquam enim Philosophia a Boëthio quæsivisset, 'Nihilne te aliud esse novisti?' et Boëthius respondisset, 'Nihil: Jam scio,' inquit, 'morbi tui aliam vel maximam causam; quid ipse sis, nosse desisti.' Igitur,

<sup>p</sup> *Quid ipse sis, nosse desisti]* v. Philosophia cogit Boëthium fateri, se semetipsum partim ignorare: nam, ut eleganter ait Tullius i. Tusc. 'est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat: non enim credo id præcipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Cum igitur, Nosce te, dicit; hoc dicit, Nosce animum tuum: nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te: hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo

dinis tuæ rationem, vel aditum reconciliandæ sospitatis<sup>f</sup> inveni.<sup>q</sup> Nam quoniam tui oblivione confunderis,<sup>r</sup> et exulem, et exspoliatum<sup>17</sup> propriis bonis esse doluisti. Quoniam vero, quis sit rerum finis, ignoras,<sup>s</sup> nequam homines, atque nefarios, potentes, felicesque arbitraris. Quoniam vero, quibus gubernaculis mundus regatur, oblitus es, has fortunarum vices<sup>g</sup> existimas sine rectore fluitare. Magnæ non ad morbum modo, verum ad interitum quoque causæ. Sed sospitatis<sup>h</sup> auctori grates,<sup>i</sup> quod te nondum totum na-

<sup>f</sup> Salutis.      <sup>g</sup> Fortunæ prosperæ et adversæ.      <sup>h</sup> Salutis.      <sup>i</sup> Habendæ sunt.



Scio, inquit, morbi tui.—17 Et exulem te, et exspoliatum Mss. Rittersh. et edd.

#### NOTÆ

sit, hoc est, seipsum posse cognoscere.’ Atqui Boëthius, quod quibusdam præjudiciis occupatus sese a bestiarum conditione non satis secernebat, animum sive mentem suam non satis videbatur cognoscere: hinc in varios lapsus est errores, quos Philosophia hic suscipit enumerandos.

<sup>q</sup> *Plenissime vel ægritudinis tuæ rationem, vel aditum reconciliandæ sospitatis inveni]* VI. Philosophia ex eo, quod Boëthius Deum et semetipsum partim cognoverit partimque ignoraverit, colligit, primum quidem causas ægritudinis Boëthii, deinde modum recuperandæ sanitatis ejusdem. Causæ morbi sunt ignoratio; modus vero recuperandæ salutis, notio cum Dei, tum sui ipsius: sicut jam dicendum.

<sup>r</sup> *Quoniam tui oblivione confunderis]* Primum enim quod Boëthius suam mentem partim ignorans, hujus suæ mentis veluti oblitus fuerit, propterea se ‘et exulem et exspoliatum propriis bonis esse doluit,’ Prosa IV. qui enim mentem suam optime novit, hic et mentis patriam, cælum, a quo nemo exulat nisi volens, et ejus-

dem mentis bona, scientiam et virtutem, hostibus inaccessa esse cognoscit.

<sup>s</sup> *Quoniam vero, quis sit rerum finis, ignoras]* Deinde quod idem Boëthius Deum partim ignorans, Deum non cogitet ultimum rerum omnium finem; idcirco ‘nequam homines atque nefarios, potentes felicesque arbitratur:’ qui enim sui finis memor, Deum justum cogitat, hic prosperam impiorum fortunam miseriam æternam potius, quam ullius felicitatis argumentum esse non dubitet. Ignorato autem ultimo rerum omnium fine, ignorentur necesse est modi, quibus Deus res omnes ad suos fines destinat: qui vero modos illos ignorat, hic perspicua negans quod obscura animo non comprehendat, ipsum Mundi rectorem negat: propterea nunc additur: ‘quoniam vero, quibus gubernaculis Mundus regatur, oblitus es, has fortunarum vices existimas sine rectore fluitare.’ Verum illa cum mentis humanæ, tum etiam Dei ignoratio principium est erroris et vitii: non secus ac clara distinctaque mentis humanæ et Dei cognitio principium veritatis et virtutis: unde



tura<sup>k</sup> destituit. Habemus maximum tuæ fomitem<sup>l</sup> salutis,<sup>t</sup> veram de mundi gubernatione sententiam, quod eam non casuum temeritati, sed divinæ rationi subditam credis. Nihil igitur pertimescas. Jam tibi ex hac minima scintillula vitalis calor<sup>u</sup> illuxerit.<sup>m</sup> Sed quoniam firmioribus remediis nondum tempus est uti, et<sup>18</sup> eam mentium constat esse naturam,<sup>v</sup> ut quoties abjecerint veras,<sup>19</sup> falsis opinionibus<sup>20</sup> induantur,<sup>n</sup> ex quibus orta perturbationum caligo

<sup>k</sup> Auctor naturæ Deus.

<sup>l</sup> Rudimentum.

<sup>m</sup> Exorietur.

<sup>n</sup> Imbuantur.

Flor. Delph. et Hack.—18 *Nondum tempus est, et* Delph. Hack.—19 Vict. primus: *vera*.—20 ‘Manuscripti: *Falsis opinionibus: belle.*’ Bernart.—1 Quid si *imbuantur*, quærit Sitzm. Vid. inf.

#### NOTÆ

tenebræ illæ nunc dicuntur ‘magnæ, non ad morbum modo,’ videlicet errorem, ‘verum ad interitum,’ nimium vitium, ‘quoque causæ.’

<sup>t</sup> *Habemus maximum tuæ fomitem salutis*] Postremo quod Boëthius mentem suam præsertimque Deum supremum Mundi moderatorem agnoscat, ideo modum recuperandæ salutis sive ut minus Latine dicitur, ‘sospitatis’ obtinet: quod optime explicatur exemplo fomitis: nam fomes est materia ignescere sic apta, ut una ejus parte ignita, ceteræ facillime ignescant: sicut expressit Virgil. i. *Æn.* vs. 178. ‘Ac primum silicis scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.’ Cum igitur mens humana aliqua notione sive lumine affecta, facillime possit pervenire non solum ad perfectiorem scientiam, quæ nihil est aliud quam lumen naturale paulo longius diffusum, verum etiam ad veritatem virtutemque excolendam, in quo tota ejusdem mentis humanæ salus versatur, idcirco

‘vera de mundi gubernatione sententia’ naturali lumine fundata ‘maximus est salutis humanæ fomes.’

<sup>u</sup> *Ex hac minima scintillula vitalis calor*] ‘Ex hoc minimo’ mentis tuæ ‘lumine’ veritas virtusque, quæ prima sunt æternæ vitæ semina.

<sup>v</sup> *Eam mentium constat esse naturam, &c.*] Modus enim sive corporis, sive etiam mentis non nisi contrario modo fugatus obliteratur: quamobrem ut vera opinio a mente nostra non recedit, nisi falsa accedente; sic falsa opinione recedente, vera mentem subit. Ea autem est inter perturbationes et falsas opiniones necessitudo, ut sicut falsæ opiniones ex perturbationibus, ita perturbationes ex falsis opinionibus oriuntur: propterea nunc dicitur ‘ea mentium natura, ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus induantur,’ aut, ut alii legunt, *imbuantur*: ‘ex quibus orta perturbationum caligo.’ Quocumque autem modo oriuntur perturbationes, his mens humana offunditur: ita ut recte nunc dicatur ‘perturbationum caligo verum mentis intuitum confundere.’

verum illum confundit intuitum,<sup>o</sup> hanc paulisper lenibus<sup>w</sup> mediocribusque fomentis<sup>p</sup> attenuare tentabo, ut dimotis fallacium affectionum tenebris, splendorem veræ lucis possis agnoscere.

<sup>o</sup> *Mentis.*    <sup>p</sup> *Remediis.*

## NOTÆ

<sup>w</sup> *Hanc paulisper lenibus]* Evanescente quidem perturbationum caligine, vera lux menti affulgebit: sed, ut in corporibus, sic in mentibus me-

diocria primum, deinde firmiora remedia adhibenda sunt: sicut jam dictum est.

---



---

 METRUM VII.

NUBIBUS atris<sup>x</sup>  
 Condita nullum  
 Fundere possunt  
 Sidera lumen.

*Astra involuta caligine nigra nequeunt mittere ullam lucem. Si Auster turbu-*

## NOTÆ

Mens nostra, veritatem assecutura, primum ab aliquo veluti Sole informetur necesse est, quod ipsa sui luminis origo esse nequeat: deinde hujus informationis eadem sit proxime conscia, quod auctor hujus informationis non informet nisi monendo: postremo ipsa informationis evidentia convicta, quo auctor hujus luminis ducit, eo proprio nutu feratur consentiens; quod in hoc consensu versetur ipsius veritatis forma. Atqui perturbationes hæc omnia impediunt: sicut triplici exemplo deinceps demonstrabitur: quamobrem recte concludit Philosophia, veritatis assequendæ causa, mentem exuendam esse ejusmodi perturbationibus.

<sup>x</sup> *Nubibus atris]* I. Igitur, sicut ‘nubes atræ’ cælum inter et terras interjectæ impediunt, quominus sidera

suos radios ad terras usque emittant; quod nimirum nubes illæ corpora sint opaca, quorum est lumen remittere; ita perturbationes Deum inter et mentem humanam veluti interjectæ impediunt, quominus Pater ille luminum, Deus, suos radios ad mentem usque humanam emittat; quod prædictæ perturbationes, cum opaca quædam corpora, lucem cœlestem remittant. Huc referri potest quod dicitur Sap. ix. ‘Etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur... Mitte illam de cœlis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te... Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? cogitationes

*Delph. et Var. Clas.*

*Boëth.*

K



Si mare volvens<sup>y</sup> 5  
 Turbidus Auster  
 Misceat æstum,  
 Vitrea dudum,  
 Parque serenis  
 Unda diebus, 10  
 Mox resoluto  
 Sordida cœno,  
 Visibus obstat.  
 Quique vagatur<sup>z</sup>  
 Montibus altis 15  
 Defluus amnis,  
 Sæpe resistit  
 Rupe soluti  
 Objice saxi.

*lentus, versans aquora, turbet fluctum, aqua prius perspicua, et similis luci claræ, statim disperso luto impura, impedit aspectum. Et qui fluvius discurret e locis sub-*

## NOTÆ

enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ: corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.'

<sup>y</sup> *Si mare volvens*] II. Sicut aqua marina, prius instar vitri pellucida, cœno postea ventis resoluta ita sordescit, ut lumini sit impervia, proindeque immista corpora occultet; non aliter mens humana, cœlesti prius lumini penetrabilis, commotis postmodum perturbationibus ita obscuratur, ut nullo se lumine videat perfundi, et familiaria proinde ignoret. Neque vero abs re et aqua marina ceteris aquis, et 'Auster' reliquis ventis, hic præfertur: nam aqua marina, utpote quæ salsa rectam luminis trajectionem magis quam dulcis aqua juvat, ceteris paribus, est quacumque alia aqua pellucidior. 'Auster' vero ventus a Meridie flans, quod calidior sit, aquam marinam, commoto cœno,

magis videtur perturbare.

<sup>z</sup> *Quique vagatur*] III. Quemadmodum flumen e montibus altis præcipitans opposita montis soluti rupe sistitur, ita mens humana, magno quodam naturæ impetu ad assensionem veritatis propensa, opposita perturbatione retardatur. Hic autem Grammaticis observari possunt hæ voces, 'amnis,' 'defluus,' 'obex,' et 'saxum.' I. enim 'amnis,' teste Varro IV. de L. L. est flumen, quod circuit aliquid: quasi dicatur ex ἀμφι et νέω, vel potius ex 'am' circum et 'no,' hoc est 'nato:' quam forte ob causam Oceanus, quod orbem ambiat universum, Poëtis vocatur 'amnis.' Sic Tibull. I. III. El. 4. 'Jam nox, æthereum nigris emensa quadrigis Mundum, cœruleo laverat amne rotas.' 2. 'defluus' idem quod 'labens:' antiquiorem tamen auctorem, qui hac voce, 'defluus,' nsus fuerit, invenire non potui: hanc ex-

Tu quoque si vis<sup>a</sup> 20  
 Lumine claro  
 Cernere verum,  
 Tramite recto  
 Carpere callem;  
 Gaudia pelle,<sup>b</sup> 25  
 Pelle timorem,  
 Spemque fugato,  
 Nec dolor adsit.

*limibus fluens, hic non raro sistitur scopulo opposito montis fracti. Similiter si tu cupis intueri veritatem notione evidenti, et tenere judicando iter tritum semita recta, remove lætitiã, remove metum, expelle spem, neque ægritudo pertineat ad*

## NOTÆ

citare potuit Virgil. III. Georg. vs. 446. 'ndisque aries in gurgite villis Mersatur, missusque secundo defluit amni.' 3. 'obex' dicitur ab objiciendo, quia foribus objiciatur: hinc apud poëtas sæpius scribitur 'objice,' et, mutata etiam hac scriptura, prima syllaba producitur, ut apud Virgil. IV. Geor. vs. 422. 'Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.' Et Claudian. I. I. de Raptu Proserpinæ: 'Sive quod obicibus discurrens ventus opertis.' 4. 'saxum' hic montem significat: ut Æneid. II. vs. 307. 'Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.'

<sup>a</sup> *Tu quoque si vis*] Cum ergo prædictæ perturbationes tantum sint impedimentum, ut claræ distinctæque cognitionis, sic etiam veræ sententiæ habendæ; si cupias et evidenti cognitione veritatem percipere, et quo evidentiã illa recta ducere potest judicando sequi, tu mentem præjudiciis sic exue, ut neque gaudio, neque timore, neque spe, neque dolore, neque qualibet alia perturbatione ductus sententiam feras: ut enim his affectionibus, veluti quibusdam nebulis, mens perceptura obscuratur, sic iisdem tanquam frænis recte judicatura cohibetur. Propterea Vir-

gilius, significaturus animum his affectibus obscuratum suæ etiam origiuis oblivisci, canit. Æn. VI. vs. 733. 'Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque; nec auras Respiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.'

<sup>b</sup> *Gaudia pelle*] Perturbatio versatur in quadam commotione mentis a corpore orta: quamobrem cum commotio illa infinitis prope modis fieri possit, definitus esse non potest perturbationum numerus. Hic tamen numerantur quatuor perturbationum genera, quod novum non est: nam Cicero passim docet, perturbationes esse quatuor, nempe 'lætitiã,' 'libidinem,' 'metum,' et 'ægritudinem: ex quibus duas priores ait nasci ex duobus opinatis bonis, lætitiã quidem ex præsentibus, libidinem ex futuris; duas vero posteriores ex duobus malis opinatis, metum quidem futuris, ægritudinem præsentibus. Sic Horatius Epist. I. I. Ep. 6. 'Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatve; quid ad rem?' Ejusdem numeri meminit S. Augustinus, S. Hieronymus, pluresque alii post Virgilium loco mox citato. Et certe quemadmodum quatuor principalibus ventis, reliqui venti, sic quatuor principalibus perturbationibus reli-



Nubila mens est,<sup>c</sup>  
 Vincataque frænis,  
 Hæc ubi regnant.

30

*tuam mentem : cum enim hæ perturbationes dominantur menti, tum eadem mens obscuratur, et detinetur, veluti totidem vinculis.*

## NOTÆ

quæ perturbationes possunt significari; quod non nemo, testimonio Conimbricensium, sic expressit: 'Spes levat arrectos; metus alto a vertice fluctus Dejicit: hinc animum pulsat furibunda voluptas; Inde dolor: fluctus ceu fracti fluctibus altum Clamorem ingeminant: piceis abscondita nimbis Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.'

<sup>c</sup> *Nubila mens est*] Mens enim humana, prædictis perturbationibus commota, aut veritatem non percipit, aut, si illam percipiat, ab assensione veritati perceptæ danda prohibetur: quamobrem, veritatis ejusdem gratia, mens humana ejusmodi perturbationibus, ut reliquis præjudiciis, liberetur necesse est.

ANICII MANLII TORQUATI  
SEVERINI BOETHII  
DE CONSOLATIONE  
PHILOSOPHIÆ

LIBER II.

---

PROSA I.

POSTHÆC paulisper obticuit:<sup>a</sup> atque ubi attentionem meam modesta taciturnitate collegit,<sup>a</sup> sic exorsa est. Si penitus ægritudinis tuæ causas habitumque<sup>b</sup> cognovi, fortunæ prioris affectu desiderioque tabescis ;<sup>c</sup> ea<sup>b</sup> tantum

<sup>a</sup> *Philosophia.*

<sup>b</sup> *Fortuna.*

NOTÆ

<sup>a</sup> *Attentionem meam...collegit]* Quicumque enim voluerit mentem non solum præjudiciis exuere, sed etiam veris informare disciplinis, is animo attendat necesse est: primum quidem ad causas præjudiciorum: deinde ad viam veritatis inveniendæ: hac enim attentione, veluti prece quadam, Auctorem luminis veritatisque Deum rogamus, ut mentem nostram, qua in nos propendet, benevolentia instruat. Hæc autem mentis attentio non auditoris solum, sed ipsius etiam loquentis silentio excitari solet: ‘modesta,’ ut nunc dicitur,

‘taciturnitate.’

<sup>b</sup> *Ægritudinis tuæ causas habitumque]* Hoc est, id a quo sit, idque in quo versetur illa ægritudo, qua mens Boëthii afflicta jacet.

<sup>c</sup> *Fortunæ prioris affectu desiderioque tabescis]* Cum jam constet ex prædictis causam hujus ægritudinis esse perturbationem, superest duntaxat dicendum, quænam sit illa perturbatio. Optime autem profertur fortunæ prioris affectus et desiderium. Boëthius enim videtur, hactenus fortunam prosperam expertus, hanc temere credidisse immutabilem:



animi tui statum, sicuti tu<sup>1</sup> tibi fingis, mutata pervertit. Intellego multiformes illius prodigii fucos;<sup>c d</sup> et eo usque<sup>e</sup> cum iis quos eludere nititur blandissimam familiaritatem exercere,<sup>d</sup> dum<sup>2</sup> intolerabili dolore confundat quos insperata<sup>e</sup> reliquerit: cujus si naturam, mores, ac meritum<sup>f</sup> reminiscare, nec habuisse te in ea pulchrum<sup>f</sup> aliquid, nec amisisse cognosces. Sed, ut arbitror, haud multum tibi hæc in memoriam revocare laboraverim. Solebas enim

<sup>c</sup> Varias hujus monstri præstigias.  
familiariter.

<sup>e</sup> Ex inopinato.

<sup>d</sup> Novi fortunam eo usque blandiri  
<sup>f</sup> Grande.



1 Ed. Norimb. non habet particulam *tu*.—2 ‘Nititur, et blandissimam familiaritatem exercet] Bene Ms. et Edd. Norimb. et Flor. omittunt conjunctionem *et*.’ Sitzm. Cod. Reg. *familiaritatem exercet, dum*. Edd. Delph. et

#### NOTÆ

unde tanto nunc illius desiderio tenetur, ut dissipatis solidioris ejus corporis partibus, ut metallum igne solet, liquefieri et solvi videatur, quod tabescere est.

<sup>d</sup> *Prodigii fucos*] Prodigium, si credamus Ciceroni, id vocatur quod prædicat futurum: ‘prædictiones’ enim, inquit II. de Nat. D. ‘et præensiones rerum futurarum, quid aliud declarant nisi hominibus ea quæ sint ostendi, monstrari, portendi, prædici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur.’ Cum igitur fortuna ita sit inconstans ut prospera adversam, adversa prosperam veluti prædicere videatur, idcirco fortuna potuit hic vocari ‘prodigium.’ Fucus vero herbæ marinæ genus, quo vestes tinguntur: unde Horatius Carm. I. III. Od. 5. ‘Neque amissos colores Lana refert medicata fuco.’ Quod autem mulieres præsertim illius herbæ colore uti soleant ad mentium oris colorem, inde fieri potuit, ut quodcumque mendacium vocaretur ‘fucus:’ sicut simulata apis ‘fucus’ appellatur. Varia autem sunt mendacia fortunæ, quippe quæ,

hominis fallendi causa, instar Protei formas se vertit in omnes: quocirca Philosophia dicere merito potest hic ‘multiformes fortunæ fucos.’

<sup>e</sup> *Et eo usque, &c.*] Locus hic nonnullis ita videtur obscurus, ut gratia hujus intelligendi putaverint addendum esse, *exercet*, aut saltem *exercere*. Sed nihil addendum putamus: sic enim reddi potest: Intellego fortunæ fucos, et familiaritatem cum iis quos eludere nititur, eo usque blandissimam, dum, &c. Blandus autem ille dicitur, qui suavibus sed fallacibus utitur verbis: quo nomine nullum aptius imponi potuit fortunæ, quippe quæ si non verbis, saltem factis non minus fallacibus quam suavibus uti consuevit: ut ‘intolerabili dolore confundat quos insperata reliquerit.’

<sup>f</sup> *Naturam, mores, ac meritum*] Philosophia adhuc loquitur de fortuna, Ethnicorum more, veluti de quodam Numine: unde, quemadmodum de quadam mente diceret, sic de fortuna nunc dicit ‘naturam, mores, et meritum.’ ‘Natura’ hujus falsi Numinis esset res cogitationis parti-

præsentem quoque blandientemque virilibus<sup>g</sup> incessere<sup>h</sup> verbis; eamque de nostro adyto prolatis<sup>i</sup><sup>g</sup> insectabare sentiis. Verum omnis subita mutatio<sup>h</sup> rerum non sine quodam quasi fluctu contingit<sup>3</sup> animorum. Sic factum est, ut tu quoque paulisper a tua tranquillitate discesseris. Sed tempus est,<sup>i</sup> haurire te<sup>k</sup> aliquid ac degustare molle atque jucundum, quod ad interiora<sup>l</sup> transmissum validio-

<sup>g</sup> Generosis.    <sup>h</sup> Reprehendere.    <sup>i</sup> Philosophicis.    <sup>k</sup> Animo.    <sup>l</sup> Mentis.

Hack. familiaritatem, dum. Vid. inf.—3 Reg. contigit.—4 Quæ tum tantum

## NOTÆ

ceps; ‘Mores’ ejusdem, modus cogitandi; ‘Meritum’ denique, bonum vel malum, quod ab hoc numine sit: quem enim fortuna erigit prospera, eundem adversa deprimit.

<sup>g</sup> De nostro adyto prolatis] Id est, philosophicis. Adytum enim est sacer locus, quo nulli, præterquam Sacerdoti, adire fas est: adytum quippe nomen Græcum ab α, quod vocant privativum, et δύω, quod est ingredior, ortum: quamobrem Ethnici locum, ex quo oracula reddebantur, vocabant ἄδυτον: Æn. II. vs. 114. ‘Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat.’ Cum igitur suum dicatur esse Philosophiæ templum, sua oracula; snum etiam erit Philosophiæ ‘adytum,’ ex quo suas sententias proferat: quibus sentiis Boëthius, dum prosperitatem haberet, ceterorum oratorum more, uti ‘solebat ad incessendam præsentem blandientemque fortunam.’

<sup>h</sup> Omnis subita mutatio, &c.] Mens humana tanta necessitudine conjuncta est, primum quidem cum humano corpore, deinde cum rebus externis, his ut mutatis illa mutetur cogitando: sic corpore male affecto mens dolet: sic non sine quadam animi ægritudine avellimur a patria, ab amicis, ab opibus: atque hæc mutatio tanto

magis sentitur, quanto magis subita: nam, ut ait S. Gregor. Homil. 35. ‘minus jacula feriunt quæ prævidentur:’ gravius nocet quodcumque inexpertum accidit.

<sup>i</sup> Tempus est] Continuata ea, quam Philosophia supra adhibuit, comparisone, a corporibus notis ad mentes cognoscendaseadem Philosophia nunc progreditur. Scilicet quemadmodum gustus organa, haustis primum tenuioribus mollioribusque cibus, ipso usu ita disponuntur, ut gravioribus postea sustinendis fiant apta, juxta illud Martialis, Epigram. I. v. Epig. 77. ‘Profecit poto Mithridates sæpe veneno, Toxica ne possent sæva nocere sibi. Tu quoque cavisti cœnando tam male semper, Ne posses unquam, Cinna, perire fame;’ sic mens humana, auditis primum levioribus argumentis, aptior redditur ad percipienda graviora argumenta, quibus ab erroribus suis possit liberari. Propterea Philosophia, firmiora deinceps argumenta propositura, nunc incipit a levioribus, quæ soluta partim, partimque stricta oratione exponit. Leviora autem hæc argumenta dicit esse et ‘suadela’ et ‘rhetoricæ dulcedinis:’ ‘suadela’ quidem; ‘suadela’ enim, sive ‘suada,’ est virtus persuasionis, quæ antiquis dicebatur Dea: hinc



ribus haustibus<sup>m</sup> viam fecerit. Adsit igitur rhetoricæ suadela dulcedinis, quæ tunc tantum<sup>4</sup> recto calle procedit,<sup>n</sup> cum nostra instituta<sup>o</sup> non deserit; cumque hac<sup>p</sup> musica,<sup>q</sup> laris nostri vernula,<sup>r</sup> <sup>s</sup> nunc leviores, nunc graviores modos succinat.<sup>s</sup> Quid est igitur, o homo,<sup>k</sup> quod te in mœstitiam luctumque dejecit? novum credo<sup>t</sup> <sup>1</sup> aliquid inusitatumque vidisti. Tu, si fortunam putas erga te esse mutatam, erras.<sup>6</sup> Hi semper ejus mores; hæc natura est.<sup>7</sup> Servavit circa te

<sup>m</sup> Remediis.    <sup>n</sup> Recte disserit.    <sup>o</sup> Philosophica.    <sup>p</sup> Rhetorica.    <sup>q</sup> Ars componendi canendique carminis.    <sup>r</sup> Mancipium Philosophiæ.    <sup>s</sup> Carmina cantet.    <sup>t</sup> Forte.

Delph. Hack.—5 Mss. et ed. Flor. *vernacula*.—6 ‘Non male: tamen in scriptis suo et probo item sensu: *Tu fortunam putas erga te mutatam? erras.*’ Bernart. Sic etiam longe melius esse censet Sitzm. et exhibent edd. Delph. et Hack. Nostra est lect. ed. Florentinæ.—7 Mss. edd. Delph. Hack. *mores sunt*,

## NOTÆ

Græcis vocatur *πειθῶ*, id est, persuasio: ‘rheticæ’ vero ‘dulcedinis,’ quia rhetores, utpote qui latius loquuntur, ad discrimen dialecticorum, qui compressius, præsertim placere student: nec persuadent, nisi clara distinctaque notione, quam philosophicis præceptis acceptam referimus, utantur: hinc Tullius ait ‘sine Philosophia non posse fieri eum, quem quærimus, eloquentem:’ hinc ipsa Philosophia nunc asserit, suadela ‘tum tantum recto calle procedere, cum’ philosophica ‘instituta non deserit.’ Denique quod Philosophia rhetorica hæc argumenta propositura sit stricta oratione, idcirco ‘Musica Laris’ Philosophici ‘vernula modos succinat, necesse est.’ Musica enim est ars non solum canendi, sed etiam componendi carminis: ‘musica’ quippe non secus ac ‘museum’ dicitur a musis: at musica est Laris Philosophici ‘vernula:’ quoniam ‘vernula’ sive ‘verna’ est mancipium ex mancipio natum: in quo differt a servo, qui non nascitur, sed fit alterius juris: musica

autem dici potest mancipium ex mancipio Philosophiæ natum: si quidem musica orta est a Musis, quæ Philosophiæ, veluti ancillæ quædam, famulantur. De Laribus vide l. i. Pros. 3. Not. <sup>u</sup>.

<sup>k</sup> *O homo*] Modus iste loquendi est superioris, aut ejus saltem qui significat, se nullam cum eo, quem alloquitur, familiaritatem habere. Sic Terentius, ‘pro Juppiter,’ inquit, ‘tu homo adigis me ad insaniam.’ Sic Petrus Lucæ 22. ‘o homo, non sum:’ *mon ami, je n’en suis point.* Hinc autem Philosophia incipit suas ratiunculas rhetorice proponere, quas si ad dialecticam formam revocare conatus fueris, nonnullas animadvertere poteris repetitiones: nec mirum: notum quippe, quod Zeno dixit, Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse, quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compressius: sic loquitur Seneca. Quicquid sit, duas præsertim hic advertimus ejusmodi ratiunculas.

<sup>1</sup> *Novum credo*] Prima rhetoricæ ratiuncula, quæ sic videtur posse con-

propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam. Talis erat cum blandiebatur,<sup>8</sup> cum tibi falsæ illecebris felicitatis alluderet. Deprehendisti cæci numinis ambiguos vultus.<sup>u</sup> Quæ sese adhuc velat aliis,<sup>9</sup> tota tibi prorsus innotuit. Si probas,<sup>v</sup> utere moribus,<sup>w</sup> ne queraris. Si perfidiam perhorrescis,<sup>10</sup> sperne, atque abjice perniciose alludentem.<sup>11</sup> Nam quæ nunc mœroris tibi causa tanti est,<sup>12</sup> hæc eadem tranquillitatis esse debuisset. Reliquit enim te, quam non relicturam nemo unquam poterit esse securus. An vero tu pretiosam æstimas abituram felicitatem? et cara tibi est fortuna præsens, nec manendi fida, et cum discesserit allatura<sup>13</sup> mœrorem? Quod si nec arbitrio<sup>14</sup> retineri potest, et calamitosos fugiens facit; quid

<sup>u</sup> *Fortunæ varias formas.*<sup>v</sup> *Fortunam.*<sup>w</sup> *Ejusdem fortunæ.*

*ista natura.*—8 Mss. Rittersh. *συνδέσµω* auctior: *Talis enim erat, cum bland.*—9 *Aliis velat* Delph. Hack.—10 Ms. Erfurt. edd. Delph. et Hack. *si perfidiam perhorrescis*: non male, censente Sitzmanno. *Perfidiam* legunt Codd. Vict. secundus, Thuan. primus, Reg. et Flor.—11 Mss. Rittersh. et edd. Florent. Delph. et Hack. *abjice perniciosaludentem*. Ms. Erfurt. *perniciose ludentem*.—12 Mss. edd. Delph. Hack. ita transposita habent hæc verba: *Nam quæ nunc tibi est tanti causa mœroris.*—13 Ms. Rittersh. *illatura*.—14 Idem cod. et edd. Florent. Delph.

## NOTÆ

trahi. Cum mens humana, quemadmodum et corpus, veteribus usitatisque non commoveatur; tua mens, o Boëthi, non debuit fortunæ eventu commoveri, nisi hic novus fuerit et inusitatus. Atqui nihil hic novi, nihil inusitati: cum semper et ubique fortuna fuerit in sua mutabilitate constans, ut nunc experiris. Quare tantum abest, ut fortuna hæc debuerit tibi esse tanti causa mœroris, ut potius eadem tranquillitatis causa esse debuisset: ‘reliquit enim te, quam non relicturam nemo unquam poterit esse securus:’ immo quam esse abituram certus esse debet prudens, quippe qui etiam futura prospicit. Hic porro addendum duntaxat, cur Philosophia nunc dicat ‘cæci Numinis ambiguos vultus?’ Fortuna nimirum

Antiquis erat 1. quidem Numen, quod, ignoratis plurium effectorum causis, hæc non nisi a fortuna, quam propterea Numen vocabant, oriri posse arbitrabantur. 2. Numen cæcum, sive quod temere nunc probos malis, nunc improbos bonis afficeret; sive etiam quod eos plerumque efficeret cæcos quos complecteretur. 3. Numen gerens ambiguos vultus, quod saxi instar globosi, cui idcirco insistere fingebatur, volubilis, quos paulo ante benigno vultu erexerat ad gloriam, eosdem severo ad infamiam traderet. Sic Horat. de Gyge cecinit Carm. l. II. Od. 5. ‘Quem si puellarum insereres choro, Mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum, solutis Crinibus, ambiguoque vultu.’



est aliud fugax, quam futuræ quoddam calamitatis indicium? Neque enim quod ante oculos situm est, suffecerit intueri. Rerum exitus prudentia metitur; eademque in alterutro mutabilitas, nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias. Postremo æquo animo<sup>m</sup> toleres oportet,<sup>15</sup> quicquid intra fortunæ aream<sup>x</sup> geritur, cum semel jugo ejus colla summiseris. Quod si manendi, abeundique scribere legem velis ei quam tu dominam sponte elegisti,<sup>16</sup> nonne injurius<sup>y</sup> fueris, et impatientia tua sortem exacerbabis quam permutare non possis? Si ventis vela committeres,<sup>z</sup> non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret,<sup>17</sup> promovereris.<sup>18</sup> Si arvis semina crederes, feraces inter se<sup>19</sup> annos, sterilesque pensares. Fortunæ te regendum

<sup>x</sup> *Regnum.*    <sup>y</sup> *Injuriusus.*    <sup>z</sup> *Navigares.*



Hack. *Quod si ex arbitrio.*—15 Idem cod. *tolerare oportet.*—16 Ms. Rittersh. *quam tu tamen Dom. s. e.* Ms. Erfurt. et ed. Norimb. *quam tu tibi Dom. s. e.* ‘*Quam tu dominam sponte delegisti, ... et impatientia sortem tuam exacerbabis.* Numquid purius in manuss. *tu si dominam sponte legisti.*’ Bernart. *Impatientia tua sortem exacerbabis*] Mss. Rittersh. et edd. Florent. [Delph. et Hack.] non recipiunt *τὸ tua.* Thuan. primus, et Reg. *exacerbabis.*—17 Ms. Rittersh. *impellerent*: sic etiam edd. Delph. et Hack.—18 Thuan. primus, et Vict. primus: *promoveres.*—19 ‘Ed. Norimb. *si arvis semina traderes, fertiles inter se*: quæ lectio non omnino fastidienda: nescio tamen, quomodo magis recepta placet.’ *Sitzm.*

#### NOTÆ

<sup>m</sup> *Postremo æquo animo, &c.*] Altera rhetoricæ ratiuncula, quæ sic videtur posse exprimi. Quicumque sese alterius ‘jugo sponte summisit,’ is mores ejus patienter ferat, necesse est: ‘injurius’ alioqui ‘fuerit’ cum sibi, tum suo principi: principi quidem, si ‘eidem manendi abeundique legem velit scribere:’ sibi vero, si ‘impatientia sortem exacerbabit, quam permutare non possit.’ Sic navigantes et seminatores, quod se suaque elementis commiserint, ad nutum non appellant, metuntque. Cum igitur, o Boëthi, ‘te fortunæ jugo sponte summiseris; cum tu fortunam dominam sponte elegeris; cum fortunæ

te regendum dederis, æquo animo toleres oportet, quicquid intra fortunæ aream geritur; dominæ moribus oportet obtemperes.’ Area autem dicitur locus vacuus: quasi exaruerit nec possit quicquam generare. Sic vicinitas ædium ædibus vacans dicitur ‘area.’ Sic etiam locus frumentis terendis destinatus vocatur ‘area.’ Potuit autem Philosophia propter hujus ultimi loci similitudinem, mundum hunc appellare fortunæ ‘aream’ quod sicut in area frumentum a tritore, sic in mundo homines a fortuna nunc huc nunc illuc, prosperitate vel adversitate, versentur.

dedisti, dominæ moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rotæ<sup>n</sup> impetum retinere conaris? At, omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, fors<sup>a</sup> esse desistit.

<sup>a</sup> *Fortuna.*

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Volventis rotæ*] Fortunæ: Veteres quippe fortunam, non modo cæcam et furenti similem, verum etiam volubili saxo pendentem effinxere; quod fortuna iisdem videretur omnia non solum temere et cæco impetu administrare bonis adversa, malis ho-

minibus prospera, sed instar globi vaga, necessitate quadam naturæ volvi: adeo ut non minoris esset stultitiæ, fortunæ, quam siderum reluctantari conversionibus. Propterea Baptistam Mantuan. 'Fidite virtuti, fortuna fugacior undis Non manet.'

## METRUM I.

HÆC cum superba verterit vices<sup>o</sup> dextra,  
Et æstuantis<sup>2o</sup> more fertur Euripi,<sup>p</sup>

*Ubi hæc fortuna alternaverit vices manu imperiosa, eadem rapitur instar Euripi*

20 'Ms. Erfurt. et ed. Basiliens. [Delph. Hack.] *Exæstuantis*, quæ vox reddenda Boëthio.' Sitz. Vict. uterque, Reg. et Flor. *Et æstuantis*.—1 Mss.

## NOTÆ

<sup>o</sup> *Verterit vices*] Quæ alternis fieri solent, hæc appellamus 'vices:' hinc vicissim idem quod alternis. Fortuna autem propter nativam suam inconstantiam omnia alternis mutat, modo pluribus, modo uni prospera et adversa: quod ita frequens et notum, ut Latini 'fortunam' appellent 'vicem:' ita Cicero passim, 'mihi,' inquit, 'necesse est et meam et aliorum vicem pertimescere: valde et meam et vestram vicem doleo.'

*Superba dextra*] Pars pro toto: fortuna autem Horatio et aliis dicitur superba; quod hominibus altior, hos ad nutum videatur regere. Sic Seneca in Med. vs. 205. 'Scepbris superbas quisquis admovit manus.'

<sup>p</sup> *Et æstuantis* [*Exæstuantis*] *Euripi*] Euripus vox Græca significans fretum. Duplicis est generis: alius arte; alius natura factus. 1. Euripus artificiosus, alveus est magnifico opere aquas in morem fluvii deducens, qui in hoc differt a Nilo pariter artificioso, quod Nilus hic sit major, Euripus vero minor: de utroque loquitur Tullius II. de Leg. 'ductus,' inquit, 'aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant, quis non, cum hæc videat, irriserit?' 2. Euripus naturalis est pars maris inter Aulidem Bœotiae portum, et Eubœam insulam, cujus meminit Strabo l. IX. et Plin. l. II. Hoc mare non instar Oceani æstuat, sed septies sæpiusque, unius diei et noctis spatio,



Dudum tremendos sæva proterit Reges,<sup>q</sup>  
 Humilemque victi sublevat fallax vultum;<sup>r</sup>  
 Non illa miseros audit:<sup>s</sup> haud curat<sup>t</sup> fletus;  
 Ultroque gemitus dura quos fecit, ridet.<sup>t</sup>  
 Sic illa ludit,<sup>u</sup> sic suas probat vires;<sup>v</sup> 5

*exundantis; fortuna crudelis conculcat subito principes metuendos, et statim mendax erigit caput abjectum hominis subacti. Hæc non audit afflictos: non flectitur lacrymis, et ridet sponte questus, quorum ipsa crudelis est causa. Sic fortuna ludit,*

## NOTÆ

tanto impetu recurrit, ut ventos etiam ac plenis velis navigia frustretur: quod nimirum aquæ huc præcipites objicibus insulis undique remittantur: propterea nunc dicitur 'exæstuans.' Atque inde factum est, ut fortuna, cogitatio humana, aut quælibet alia res mutationi valde obnoxia, diceretur instar Euripi inconstans. Philosophia demum eam, quam soluta oratione inceperat, fortunæ inconstantis probationem versibus continuans, ejusdem inconstantiam ostendit etiam in Regibus.

<sup>q</sup> *Proterit Reges*] Fortuna aliquando ipsos etiam Reges et imperatores imperio et potestate exuit. Sic 'Lacedæmonii,' ut ait Ælianus, 'cum Thebanorum domini essent, adeo rursus ab illis fuerunt subacti, ut Thebani non solum Peloponnesum pervenirent, verum etiam Eurotam transirent, et Lacedæmoniorum terram devastarent.' Sic, referente Ammiano Marcellino, Dionysius gentium quondam terror Corinthi literario ludo præfectus fuit.

<sup>r</sup> *Victi sublevat fallax vultum*] Eadem fortuna victos nonnunquam erigit. Sic 'Amyntas Macedo' ex prædicto Æliano, 'cum ab accolis finitimisque Barbaris victus regnum perdidisset, statuebat apud animum suum regionem etiam in universum relinquere, tantum ut vitam salvam et incolumem servare posset. Dum in his anxius ageret, quidam ad eum dictum

Hellogidæ protulit. Itaque occupato illo loco collectisque militibus, recuperavit imperium.' Sic ex eodem auctore, 'Dion Hipparini filius in exilium missus a Dionysio cum bis mille militibus eum rursus expugnavit. Ita effecit, ut in quo statu ipse fuisset antea, in eum jam suæ calamitatis auctorem detruderet.' Atque hæc fortunæ vicissitudo tantum malum videtur, hanc ut inter ceteras calamitates impreceetur Megæra apud Senecam in Thyeste vs. 33. 'Dubia violentæ domus Fortuna reges inter incertos labet. Miser ex potente fiat, ex misero potens, Fluctuque regnum casus assiduo ferat.'

<sup>s</sup> *Non illa miseros audit*] Fortunam quippe insanam esse et cæcam et brutam perhibent Philosophi, ex Cicerone.

<sup>t</sup> *Ultroque gemitus dura quos fecit, ridet*] Durum est te ridere eum præsertim qui ex beato factus est miser; tuam enim misericordiam potius quam risum ille deberet provocare: durius eum, cujus miseræ injustus auctor fueris; tanti enim criminis te potius oporteret pœnitere: sed durissimum id sponte exequi; necessitas enim qua aliquando etiam inviti ridemus, posset ejusmodi risus atrocitatem minuere: cum igitur fortuna ultro rideat miseros, quos ipsa fecit inique, merito nunc vocatur 'dura.'

<sup>u</sup> *Sic illa ludit*] Ludere ille dicitur, qui temere huc illucque discurrit:

Suique magnum<sup>2</sup> monstrat ostentum,<sup>w</sup> si quis  
Visatur una stratus ac felix hora.<sup>x</sup>

*sic probat vires suas; et ostentat ingens miraculum suæ virtutis, quando, hac agente, idem homo videtur miser et beatus eadem hora.*

*aut curat.*—2 Sic, inquit Vallinus, ex conjectura reposuimus: cum id ratio Scæzonis necessario postularet: nec mihi dubium, quin sic scripserit Boëthius.

## NOTÆ

verbum enim a Lydis, qui ex Asia, Tyrrheno duce, in Hetruriam concessere, ibique extraordinarios illos motus, quos postea ludos sive Circenses, sive Theatrales vocaverunt, invexere. Hinc Ludiones sive Ludii, nimirum pueri puberes, elegantibus tunicis induti, galea insuper, ense, et parma armati, qui Circensibus et Theatralibus pompis ordine incedere solebant, veluti pompæ duces, Saliis similes: quorum meminit Ovid. 1. de Art. 'Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco Ludius æquatam ter pede pulsat humum.' Propterea Horatius bellum vocat ludum Martis 1. 1. Carm. Od. 2. 'Heu nimis longo satiate ludo, Quem juvat clamor, galeæque læves, Acer et Mauri peditis cruentum Vultus in hostem.' Quamobrem cum fortuna non solum rideat, ut jam dictum est, sed etiam temere nunc huc, nunc illuc discurrat, instar Martis, prospera modo, modo

adversa, optime perhibetur ludere. Sic fortunæ accessum recessumque idem Horatius vocavit ludum Carm. 1. 11. Od. 1. 'Motum ex Metello consule civicum Bellique causas, et vitia, et modos Ludumque fortunæ gravesque Principum amicitias et arma.' Sicut Virgil. Æn. xi. vs. 426. cecinit: 'Multos alterna revisens Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.'

<sup>v</sup> *Sic suas probat vires*] Continuatur prædicta similitudo: qui enim ludunt, hi suas certando experiuntur vires.

<sup>w</sup> *Ostentum*] Opus tantum ut dignum videatur, quod veluti admirabile digito ostendatur.

<sup>x</sup> *Una stratus ac felix hora*] Maximum sane levis inconstantisque fortunæ argumentum. Putant nonnulli 'horam' hic significare 'diem': sed quo brevius temporis spatium 'hora' notabit, eo magis mentem loquentis Philosophiæ manifestabit.

## PROSA II.

VELLEM autem pauca tecum fortunæ ipsius verbis<sup>y</sup>

## NOTÆ

<sup>y</sup> *Fortunæ ipsius verbis*] 1. Philosophia loquentem fortunam introducit: nam 'in omnibus rebus,' inquit Cicero 1. de Inv. 'similitudo est satietatis ma-

ter: quare Philosophia varietate occurrens satietati, deinceps utitur illo loquendi modo, quem Rhetores vocant 'Conformationem,' quæ tunc



agitare. Tu igitur an jus postulet,<sup>b</sup> animadvertete.<sup>3</sup> Quid tu, o homo,<sup>c</sup> ream me quotidianis<sup>4</sup> agis querelis? Quam tibi fecimus injuriam? Quæ tua tibi detraximus bona? Quovis iudice<sup>b</sup> de opum dignitatumque mecum possessione<sup>c</sup> contende. Et, si cujusquam mortalium<sup>d</sup> proprium quid horum esse monstraveris, ego jam tua<sup>5</sup> fuisse quæ

<sup>b</sup> *Æquum sit.*      <sup>c</sup> *Dicet fortuna.*

3 'Tu igitur an jus postulet animadvertete] Ita in Ed. Pulmanni, et recentiss. Fr. Raphelengii legitur. Mss. item Norimb. et Basil. Edition. rectius animadvertete.' Sitzm. 'Hanc lectionem, ut liquido veram, in contextum recipi: vulgati inepte animadvertete.' Bernart.—4 Edd. Delph. et Hack. cotidi-

#### NOTÆ

est, cum aliqua, quæ non adest persona, confingitur quasi adsit. Et certe cum injustum videatur, quempiam damnari inauditum, non immerito fortuna nunc introducit, suam in Boëthium de ipsa fortuna graviter conquestum causam defensura: at Philosophia vult, se præside, verba fortunæ a Boëthio attentius considerari, ne hic aut præcipitatione aut præiudicio actus sententiam iniquam de ipsa fortuna ferat. Potest autem hic fortunæ sermo sic contrahi. Si iniquum est, inquit, te de eo conqueri Numine, a quo non modo nullam injuriam, sed quodcumque habueris bonum, accepisti, injustæ sunt prorsus et iniquæ illæ, quibus me quotidie afficis, querelæ; siquidem non modo nullam tibi intuli injuriam; opes et dignitates, utpote meas, auferendo: verum etiam quicquid habueris boni, opum videlicet et dignitatum, illud totum mihi, tanquam illarum dominæ, debes: quemadmodum cælo, unde nox, debetur dies; terræ, unde sterilitas, debetur fertilitas; mari, unde tempestates, tranquillitas; Jovi ipsi, unde mala, bona debentur. Sic Cræsum, sic Regem Persarum, absque ulla eorum injuria, excepi. 'Tu igitur an jus postulet, animadvertete.'

<sup>2</sup> *O homo*] Jam monuimus, nos sic compellere eos, cum quibus volumus videri nullam nos habere familiaritatem. Pros. 1. hujus lib.

<sup>a</sup> *Quot. [cotidianis]* Alii scribunt, *quotidianis*: pro diversa scilicet hujus vocis interpretatione: si enim 'quotidianum' dicatur a 'quot' sive singularis 'diebus,' ut placet Cornuto apud Cassiodorum; quemadmodum dicitur 'quot Kalendis, quot mensibus, quot annis' optime scribitur 'quotidianum': si vero dicatur a 'continenti die,' sicut dici putat Marius Victorinus l. 1. scribendum erit 'cotidianum.'

<sup>b</sup> *Quovis iudice*] Cum nemo iudex fuerit in sua causa, bene fortuna ad iudicem provocat: sed ad quemlibet melius, ne ulla sit anteoccupationis suspicio.

<sup>c</sup> *Possessione*] Possessio hic jus est possidendi. Sicut Tull. pro Quin. 'bonorum possessio spectatur,' inquit, 'non in aliqua parte, sed universis quæ teneri et possideri possunt.'

<sup>d</sup> *Si cujusquam mortalium*] Fieri posset, ut quæ Boëthii non sunt bona, hæc quorundam aliorum hominum essent; tamen ne ullus supersit conquerendi locus, fortuna ponit nul-

repetis, sponte concedam. Cum te matris ex<sup>6</sup> utero natura produxit, nudum rebus omnibus,<sup>e</sup> inopemque suscepi, meis opibus fovi, et, quod te nunc impatientem nostri facit, favore prona<sup>d</sup> indulgentius educavi, et omnium<sup>7</sup> quæ mei sunt juris affluentia,<sup>e</sup> et splendore circumdedi. Nunc mihi retrahere manum libet;<sup>f</sup> habe gratiam,<sup>8 f</sup> velut usus alienis.<sup>g</sup> Non habes jus querelæ, tanquam tua prorsus<sup>9</sup> perdideris. Quid ergo ingemiscis?<sup>10</sup> nulla tibi a nobis illata est<sup>11</sup> violentia. Opes, honores, ceteraque talium<sup>12</sup> mei sunt juris.<sup>h</sup> Dominam famulæ cognoscunt; mecum veniunt, me abeunte discedunt. Audacter affirmem, si tua

<sup>d</sup> *Officiosissima.*      <sup>e</sup> *Abundantia.*      <sup>f</sup> *Placet.*

*anis*: sed vid. Not. inf.—5 Lipsii codex: *ego ea tua*.—6 Mss. et edd. Norimb. Florent. non habent voculam *ex*.—7 Vict. uterque: *omniumque*. Thuan. primus, et Reg. *omnium*.—8 Thuan. primus, Reg. et uterque Vict. *habet gratiam*.—9 *Prorsus tua* Delph. et Hack.—10 *Quid igitur ingemiscis* edd. eadem.—11 *Est allata* vulg.—12 *Ceteraque talia* Delph. Hack.—13 Mss. *prohibebor*; sic etiam

## NOTÆ

lius hominis propria esse, quæ deinceps enumerabit bona.

<sup>e</sup> *Nudum rebus omnibus*] II. Fortuna causatur, sua esse bona, quæ Boëthius conqueritur se amisisse. Cum homo ex duplici parte constet, mente nimirum et corpore, propterea bonum hominis, quod vulgo definitur id ‘quod homini est conveniens,’ duplicis est generis: alterum mentis, alterum corporis. Bonum mentis versatur in cogitatione, ea præsertim cujus homo dominus est: atque in ejusmodi bonum fortuna nihil potest. Bonum vero corporis in hoc præsertim consistit, quod homo ex utero suscipiatur; susceptus foveatur; foveatur educetur; educatus opibus et dignitatibus cumuletur: quæ omnia fortunæ esse dicuntur: unde fortuna hic; ‘cum te,’ inquit, ‘matris ex utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi, meis

opibus fovi, indulgentius educavi, et omnium, quæ mei juris sunt, affluentia et splendore circumdedi.’

<sup>f</sup> *Habe gratiam*] Habere, agere, et referre gratiam sæpius sic differunt, ut habere sit cogitationis, agere sit verbi, et referre sit operis boni in eum a quo beneficium accepimus. Propterea Tullius pro Corn. ‘omnibus,’ inquit, ‘amicis salutem meam, si minus ad referendam gratiam satisfacere potui, ad prædicandam certe et habendam satis sum facturus:’ et alibi passim.

<sup>g</sup> *Velut usus alienis*] Bona enim animi, ut jam diximus, nostra sunt; cetera aliena, et ipsis, si placet, fortunæ tantibus subjecta.

<sup>h</sup> *Opes, honores, ceteraque talium mei sunt juris*] Jam fortuna probat, prædicta corporis bona sua esse: id autem probat argumento vulgari: effectum censetur illius causæ, qua



forent, quæ amissa conquereris, nullo modo perdidisses. An ego sola<sup>i</sup> meum jus exercere prohibeor? <sup>13</sup> Licet cælo<sup>k</sup> proferre lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere. Licet anno terræ vultum<sup>l</sup> nunc floribus frugibusque redimire, nunc nimbis frigoribusque confundere. Jus est mari,<sup>m</sup> nunc strato<sup>g</sup> æquore blandiri, nunc procellis, ac fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam nostris moribus alienam inexpleta<sup>h</sup> hominum cupiditas alligabit? <sup>14</sup> Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lego, ne uti,<sup>15</sup> cum ludicri<sup>i</sup> mei ratio poscet, descendere injuriam putes.

<sup>g</sup> Placido.      <sup>h</sup> Insatiabilis.      <sup>i</sup> Ludi.

edd. Delph. et Hack.—14 Vict. uterque *alligavit*.—15 *Uti ne* Delph. Hack.—16 *Perses* edd. eædem.

#### NOTÆ

accedente aut recedente, effectum illud adest aut abest: propterea dies censetur effectus solis, quod præsentem aut absente sole, dies est aut non est: sed illa est, inquit fortuna, inter me et prædicta bona necessitudo: si quidem ‘mecum veniunt, me abeunte discedunt.’ Adde quod hæc bona aut tua sunt, inquit, aut mea: sed tua non esse ex hoc est evidens, quod ‘si tua forent,’ eadem ‘nullo modo perdidisses:’ quandoquidem bonorum, quæ tua sunt, ita dominus es, hæc ut, nisi prius volueris perdere, non perdas: hæc autem bona, quæ amissa conquereris, nunquam voluisti amittere.

<sup>i</sup> *An ego sola*] III. Fortuna probat exemplis, se prædicta corporis bona jure posse dare et auferre: quod deterior esse non debeat fortunæ, quam ceterarum causarum conditio. Exempla autem ista sunt quatuor.

<sup>k</sup> *Licet cælo*] Primum fortunæ exemplum. Cælum sole, quem continet, præsentem ‘diem lucidum’ facit: sed idem cælum, sole absente, ‘noc-

tem’ facit ‘tenebrosam:’ de die gratulantur, de nocte non queruntur homines.

<sup>l</sup> *Licet anno terræ vultum*] Secundum fortunæ exemplum. ‘Terræ vultus,’ juvantibus astris, ‘nunc floribus frugibusque redimitur, nunc nimbis frigoribusque confunditur:’ de floribus frugibusque gratias homines habent: de nimbis et frigoribus querelas non proferunt.

<sup>m</sup> *Jus est mari*] Tertium fortunæ exemplum. ‘Mare nunc strato æquore blanditur: nunc procellis ac fluctibus inhorrescit,’ tranquillitatem homines arbitrantur favorem; sed procellam non putant injuriam: quare ergo, inquit fortuna, ‘nos ad constantiam nostris moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit?’ De ‘ludo’ et de ‘rota’ fortunæ jam dictum est hoc libro. Hic autem fortuna dicitur ‘ludum ludere,’ sicut Terentius dixit ‘gaudere gaudium,’ Cicero ‘servire servitatem,’ vulgus ‘vivere vitam.’

An tu mores ignorabas meos? <sup>k</sup> Nesciebas, Cræsum <sup>n</sup> Regem Lydorum Cyro paulo ante formidabilem, mox deinde miserandum rogi flammis traditum, misso cœlitus imbre defensum? Num te præterit, Paullum Persi <sup>16</sup> Regis <sup>o</sup> a se capti calamitatibus pias impendisse lacrymas? <sup>l</sup> Quid tragœdiarum clamor <sup>p</sup> aliud deflet, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem? Nonne adolescentulus δύο τοὺς πίθους, <sup>q</sup> τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον καλῶν, <sup>m</sup> in Jovis limine jacere didicisti? Quid si uberius de bonorum parte sumsisti? quid si a te non tota discessi? quid si hæc ipsa mei mutabilitas justa tibi causa est sperandi meliora? Tamen <sup>n</sup> ne animo contabescas, et intra commune omnibus regnum locatus, proprio jure vivere desideres.

<sup>k</sup> *Meam ludendi consuetudinem.* <sup>l</sup> *Miserias flevisse non sine pietate.* <sup>m</sup> *Duo dolia, unum quidem malorum, alterum autem bonorum.* <sup>n</sup> *Quicquid sit.*

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Nesciebas, Cræsum*] Cræsus ultimus Rex Lydiæ, ditissimus, a Cyro Rege Persarum victus fuit; cumque iterum rebellasset, iterumque victus esset, ignibus addictus, de pyra clamavit, O Solon, Solon, Solon; interrogante Cyro, quis ille Solon esset, ait Cræsus: Solon vir sapientissimus olim me monuit, neminem esse in hac vita felicem, quod nunc experior. Tunc Cyrus varietatem fortunæ cogitans, ignem quem jusserat extinguere, vidit cœlo famulante reprimi: quod Ausonius sic expressit lib. de ludo septem Sap. ‘Clamore magno ter Solonem nuncupat: Qua voce Cyrus motus extinguere jubet Gyrum per omnem, et destrui ardentem pyram: Et commodum profusus imber nubibus Repressit ignem.’

<sup>o</sup> *Num te præterit, Paullum Persi Regis*] Perses Philippi filius, ultimus Macedonum Rex, victus fuit apud Samothracas a Paulo Æmilio, Romano Consule, et cum filiis in triumphum ductus: hunc ut captum ad se rapi vidisset Paullus, ejus fortunam

miseratus flevit, et assidere sibi jussit. Plutarchus in vita Æmilii addit, victum Persen inedia se confecisse, aut certe ob ereptum somnum interiisse.

<sup>p</sup> *Quid tragœdiarum clamor*] Tragœdia est carmen gravissimum, quo principum virorum calamitates luctuoso quodam exitu terminatæ depinguntur: quamobrem Tragœdia differt a Comœdia, quæ tranquillo lætoque exitu continetur: unde Horat. II. Carm. Od. 1. ‘Paulum severæ Musa tragœdiæ Desit theatris.’ Hinc tragœdias movere dicuntur illi, qui tumultus quosdam excitant: cui favet nominis interpretatio: aiunt enim nonnulli tragœdiam dici quasi τραχὺδίαν a τραχὺς asper, quod agat de rebus duris atque asperis, uti de cædibus ac mortibus Heroum. Propterea nunc merito dicitur ‘tragœdiarum clamor’ nihil ‘aliud deflere, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem.’

<sup>q</sup> δύο τοὺς πίθους, &c.] Duo dolia, unum quidem malorum, alterum au-



## NOTÆ

tem bonorum. Nimirum Platonici videntes hominum mentes, quas conditas longe prius, quam corporibus conjunctas arbitrabantur, miseram unam, alias felicem vitam agere, finxerunt, duo ante fores Jovis esse vasa plena, unum quidem bonorum, alterum malorum, quorum alterutro potæ mentes in corpora infunderentur, felicem propterea aut miseram in terris sortem habituræ: quod Homerus Iliad. Ω. sic expressit: 'Præterea posuisse Jovem duo vasa loquuntur Ante fores, primoque domus in limine cœli, Quæ sint muneribus dandis mortalibus ægris Plena, bonis aliud, pejoribus illud abundet: E quibus, ut voluit, Deus omnia sortibus æquis Distribuit generi humano, simul omnia miscens, Nunc bona, nunc mala; nunc læva, nunc lance secunda: Cui mala contigerint, curæ hunc exponit iniquæ, Tristibus ærumnis, miserique laboribus ævi: Vivet enim neque Diis gratus, neque gentibus ullis.' Doctrinam hanc 'didicerat' Boëthius 'adolescentulus:' sive quia Athenis, ubi ab adolescentia studuerat, vasa hæc in templo Jovis descripta proponebantur: sive

quia placita Platoniorum doctus fuerat. Quartum porro illud est exemplum, quo fortuna nititur ad probandum se merito potuisse Boëthio prospera et adversa inferre: ex quo concludit, se propter bona, gratia potius, quam propter mala, injuriis debere affici. Præsertim cum nulum sit tempus, quo fortuna non videatur Boëthio magis favere, quam nocere: præterito enim, quo opibus et dignitatibus donatus fuit, plus homini accepit, quam mali: 'uberius,' inquit fortuna, 'de bonorum parte summsisti:' præsentem, quo constantes saltem amicos habet, etiam aliquid boni obtinet: 'a te,' inquit eadem fortuna, 'non tota discessi:' futuro denique, quo pristinas suas opes dignitatesque recuperare potest, felicior forte erit: 'hæc ipsa mei mutabilitas,' inquit fortuna, 'justa tibi causa est sperandi meliora.' Quamquam autem nihil horum esset, durandum: quælibet enim societatis alicujus pars communibus tenetur suæ societatis legibus: 'ne' igitur 'animo contabescas, et intra commune omnibus regnum locatus, proprio jure vivere' non 'desideres.'

## METRUM II.

SI quantas rapidis flatibus incitus  
Pontus<sup>r</sup> versat arenas,<sup>a</sup>

*Quamvis maxima ubertas afferat tam multas divitias, manu nunquam cessante*

## NOTÆ

<sup>r</sup> *Pontus*] Speciatim Euxinus est, generatim mare, quod frequentissimum est apud Poëtas: vide Metr. 2. lib. I. vs. 14.

<sup>a</sup> *Arenas*] Quid sit arena, nemo ne-

scit: sed alii 'arenam;' alii 'harenam,' pro duplici nominis hujus interpretatione, scribunt: vel enim vox ista oritur ab 'arendo,' quod arida bibulaque sit: sicut Horatius

Aut quot stelliferis edita noctibus <sup>s</sup>  
 Cœlo sidera fulgent,  
 Tantas fundat opes, nec retrahat manum 5  
 Pleno Copia cornu ;<sup>t</sup>  
 Humanum miseris haud ideo genus  
 Cesset flere querelas.<sup>u</sup>  
 Quamvis vota libens excipiat Deus  
 Multi prodigus auri, 10  
 Et claris avidos ornet honoribus ;  
 Nil jam parta videntur :<sup>v</sup>

*fundere, quam multas arenas mare commotum vehementibus ventis volvit, aut quam multa astra, producta noctibus stellatis, in cœlo micant: homines tamen non propterea desistent queri misere. Etiam si Deus plurimæ pecuniæ largus annuat libenter hominum precibus, decoretque homines cupidos honoribus illustribus; bona*

## NOTÆ

‘ arenas ’ sæpius vocat ‘ arentes; ’ tumque scribitur ‘ arena; ’ vel oritur ab ‘ hærendo, ’ quod aquas hauriens hæreat, fugato nimirum liquido alio corpore, quo insito mollescebat: et tunc scribitur ‘ harena: ’ quemadmodum in veteribus libris legitur.

<sup>s</sup> *Stelliferis edita noctibus*] Nox poëtis mater siderum habetur: sicut Tibullo lib. II. El. I. ‘ Ludite: jam nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro. ’ Propterea sidera nunc dicuntur ‘ edita ’ sive producta ‘ noctibus stelliferis, ’ id est, stellas ferentibus.

<sup>t</sup> *Pleno Copia cornu*] Cornu copiarum κέρας ἀμαλθείας, est summa ubertas. Nimirum Diodorus scribit, Hammonem perambulantem juxta Ceraunios montes conspectam a se virginem forma pulcherrimam, Amaltheam nomine, adamasse, filiamque ex ea genuisse, specie ac robore corporis insignem, Amaltheam vero propinquæ præfecisse oræ, quæ, quia referebat cornu bovis, occiduum cornu nominata fuit. Quoniam vero regio illa vineis ceterisque fructiferis arboribus referta erat, factum est, ut ager omnis frugum abundans; mensa va-

riis cupediis instructa; liber multo doctrinæ genere refertus; epistola plurimi commodi parens; homo ipse multiplici virtute præditus, dicatur ‘ cornu Copiarum. ’ Horatius passim: ut Carm. I. I. Od. 17. ‘ Di me tuentur: Dis pietas mea Et Musa cordi est: hinc tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu. ’

<sup>u</sup> *Flere querelas*] ‘ Nova phrasis, ’ inquit Sitzmannus, ‘ quam non facile apud alios invenias auctores. Neutrum active ponitur, addito nomine cognatæ significationis. ’ Sed nihil hic novi: ‘ neutrum ’ enim semper regere potest ‘ accusativum nominis cognatæ significationis, ’ quemadmodum dicitur, ‘ vivere vitam, ’ ‘ gaudere gaudium, ’ ‘ ludere ludum, ’ ‘ servire servitatem, ’ ‘ peccare peccata. ’ Quinetiam nomina hæc quoties supprimuntur, toties debent veluti expressa intelligi.

<sup>v</sup> *Nil jam parta videntur*] Tantus est mentis humanæ in consors corpus amor, ut divitias et dignitates, quibus veluti totidem propugnaculis mutua corporis mentisque conjunctio videtur servari posse, mens ipsa cupiat



Sed quæsitæ vorans sæva rapacitas  
 Altos pandit <sup>17</sup> hiatus.  
 Quæ jam præcipitem fræna cupidinem 15  
 Certo fine retentent,  
 Largis cum potius muneribus fluens  
 Sitis ardescit habendi?  
 Nunquam dives agit, <sup>18</sup> <sup>w</sup> qui trepidus gemens  
 Sese credit egentem. 20

*nihilominus ante acquisita flocci penduntur. Quin cupiditas crudelis, absumens parta, aperit profundus voragines. Quales nunc habentæ contineant stabili termino, avaritiam inconsideratam: quandoquidem ardor habendi amplis donis cumulatulus crescit magis ac magis. Quicumque pavidus et suspirans sese existimat pauperem, hic nunquam vivit dives.*

17 Thuan. primus, Vict. uterque, et Reg. *Alios pandit.*—18 Vict. secundus *dives erit.*

#### NOTÆ

non modo, sed verbis cogitationem referentibus Deum sæpius roget: quare virtutis fuit, et quidem Deo gratissimæ; quod Solomon, optione ejusmodi bonorum sibi delata, iisdem contemtis sapientiam a Deo petierit III. Reg. cap. 3. quare etiam Christus Dominus pluribus argumentis illud desiderium reprimat Matth. 6. 'In toto Evangelio,' inquit interpretes, 'nullus animi affectus tanto studio ac tot argumentorum machinis a Christo oppugnatur et evellitur.' At amor ille, adeoque bona existimatio hominis in divitias et dignitates, non versatur nisi circa ejusmodi bona, quæ nondum habentur: postquam enim homo, facto experimento, novit, hæc bona angere potius, quam minuere miseras, habita tenet, mutataque subjecta suæ existimationis suique amoris materia, nondum habita simili desiderio prosequitur: 'nil jam parta videntur.' Juvenalis: 'Interea pleno dum crescit sacculus ære, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.' Propterea avaritia, quæ nunc dicitur 'sæva rapacitas,'

instar cujusdam monstri insatiabilis, perhibetur 'quæsitæ vorare' et 'altos hiatus pandere.' Propterea etiam 'nulla fræna' possunt 'præcipitem cupidinem certo fine retinere;' quod nimirum 'sitis habendi acceptis muneribus crescens ardescat.'

<sup>w</sup> *Nunquam dives agit*] Fortuna ex dictis infert, eos, qui haberi solent divites, revera divites non vivere ('agere' enim hic, ut apud Terentium, idem est quod 'vivere') quod, inquit, ejusmodi dives, præterquam quod 'sese credit egentem,' et 'gemit' amissas opes, et 'timet,' ne præsentibus amittat: 'trepidus gemens.' Id prius exposuerat Claudianus libro I. in Ruff. vs. 196. 'Quo vesane ruis? teneas utrumque licebit Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes, Jungantur solium Cræsi, Cyrique tiara. Nunquam dives eris, nunquam satiabere questu: Semper inops quicumque cupit.' Scilicet cum dives, ut ait Varro IV. de L. L. a divo dicatur, ille tantum dives, qui tanquam Deus, et aliis et sibi nihil indigere videtur.

## PROSA III.

HIS<sup>o</sup> igitur si pro se tecum fortuna loqueretur, quid profecto contra hisceres<sup>p x</sup> non haberes. At si quid<sup>19</sup> est quo querelam tuam jure tuearis, proferas oportet; dabimus dicendi locum. Tum ego,<sup>q</sup> Speciosa<sup>y</sup> quidem ista sunt, inquam, oblitaque<sup>r</sup> rhetoricæ, ac musicæ melle dulcedinis; <sup>s 20</sup> tum tantum, cum audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cum hæc auribus insonare desierint, insitus animum mœror prægravat. Et illa,<sup>t</sup> Ita est, inquit.<sup>z</sup> Hæc enim nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta quædam sunt. Nam quæ in profundum sese

<sup>o</sup> Verbis.      <sup>p</sup> Reponeres.      <sup>q</sup> Boëthius.      <sup>r</sup> Et illita.      <sup>s</sup> Poëseos.  
<sup>t</sup> Philosophia.

19 *Aut si quid* edd. Delph. et Hack.—20 Ms. Rittersh. *mellis dulcedine*.

## NOTÆ

<sup>x</sup> *Hisceres*] *Hiscere* dicitur ab *hiare*: *hiare* autem proprie est spiritum aperto ore emittere: quare *hiscere* is proprie dicitur, qui loquendi gratia, diductis labris, os aperit. Hinc Tullius v. Philip. ‘responderene ad hæc, aut omnino *hiscere* audebis?’ et Virgil. III. *Æn.* vs. 313. ‘Implevit clamore locum. Vix pauca furenti Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco.’

<sup>y</sup> *Speciosa*] Quæ scilicet a fortuna introducta, sive soluta sive stricta oratione dicta sunt; hæc, si non vera sunt, saltem quandam veri speciem habent. Sic Horatius de Arte ‘Interdum speciosa locis, morataque recte Fabula.’ Et Ovid. ‘Speciosaque nomina culpæ Imponis Medea tuæ, quin aspice quantum Aggrediare nefas.’ ‘Speciosus’ enim est a ‘specie’: ‘species’ ab antiquo verbo ‘specio,’ video: unde ‘aspicio,’ ‘in-

spicio,’ &c. quamobrem species Latinis, Græcis *ιδέα* nihil est aliud quam notio. Hinc quod obscura confusave alterius notione proponitur, id aliena specie proponi dicitur: sicut Philosophi aiunt, malum specieboni amari: sicut etiam dicta fortunæ nunc dicuntur ‘oblita rhetoricæ ac musicæ melle dulcedinis:’ ita ut, utpote voce, nutu, gestu, ceterisque adjunctis grata, ‘tum tantum, cum audiuntur, oblectent,’ statim propter graviolem mœroris sensum e memoria pellenda: nam ‘malorum altior sensus est: insitus animorum mœror prægravat.’

<sup>z</sup> *Ita est, inquit*] I. *Philosophia* fateatur, quicquid hactenus sive soluta sive stricta oratione dictum est, illud nullum, aut leve quoddam esse doloris remedium: ‘nondum,’ inquit, ‘morbi remedia, sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta.’ Ubi I. ‘Remedium’ est corpus, quod



penetrent, cum tempestivum fuerit, admovebo. Verumtamen ne te miserum existimari<sup>1</sup> velis; an numerum modumque tuæ felicitatis<sup>a</sup> oblitus es? Taceo quod desolatum<sup>2</sup> parente,<sup>u</sup><sup>b</sup> summorum te virorum cura suscepit, delectusque in affinitatem principum civitatis,<sup>c</sup> quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus, quam proximus esse

<sup>u</sup> *Defuncto patre.*

Wakef. ad Lucret. III. 948. legit *sint ... mellea dulcedine.*—1 *Existimari miserum* Delph. et Hack.—2 Mss. Rittersh. *Taceo quod derelictum.*—3 *Duorum*

#### NOTÆ

morbo contrarium, morbum expellit: propterea 'remedium' dicitur a 're,' quod est 'contra,' et 'mederi:' propterea etiam Ciceroni 'nulla remedia quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria.' At remedium a corporibus transfertur etiam ad mentes, quæ contrariis quoque sanantur. 2. 'Contumax' dicitur, quod contracto quodam sive animi sive corporis tumore, et difficilius disjicitur, et majori impetu incurrit commotum: sicut enim ab audeo, audax; a teneo, tenax; sic a contumeo, contumax: hinc etiam oritur 'contumelia,' quod hæc sit injuria ab animo, qui fastu tumeat ac turgeat, profecta. 3. 'Fomentum' illud appellatur, quod doloris causam leviter movendo, tumorem videtur fovere ac mollire. Hic autem Philosophia fidem suam liberat: promiserat enim fore ut Boëthio curando leviora primum, deinde graviora adhiberet. Propterea, 'quæ in profundum sese penetrent,' inquit, 'cum tempestivum fuerit, admovebo.'

<sup>a</sup> *An numerum modumque tuæ felicitatis]* II. Philosophia enumerat bona, quæ Boëthius, veluti duce fortuna, videtur accepisse, afferentium 'numerum' et 'modum;' sive, ut loquuntur, quantitatem et qualitatem: nimirum quot, et qualia fuerint.

<sup>b</sup> *Desolatum parente]* Primum qui-

dem Boëthius puer perhibetur felix fuisse curatoribus. Nimirum Boëthius hujus nostri Boëthii alius fuit avus, alius pater. Avus, cum Præfecturam Prætorii gereret, a Valentiniano imperatore una cum Aëtio Patricio innocens in Palatio interfec-tus est, anno Christi 455. ait enim Cassiodorus in Chronico: 'Aëtio et Studio Consulibus, Aëtius Patricius in Palatio manu Valentiniani Imperatoris extinctus est: Boëthius vero Præfectus Prætorii amicis ejus circumstantibus interemtus.' Pater vero eodem Boëthio puero, obiit. Hinc noster Boëthius dicitur 'desolatus parente:' at ejusmodi amicorum cura puer Boëthius educatus, et Athenas, disciplinarum omnium notitiam adepturus, missus est.

<sup>c</sup> *Delectusque in affinitatem principum civitatis]* Deinde Boëthius dicitur felix soceris, Festo nimirum, et Symmacho, principibus civitatis. Festus quidem, et Symmachus fuerunt principes civitatis Romanæ: nam 'Patricii Festus et Symmachus,' inquit Ennodius Parænesi didascalica, 'omnium disciplinarum materia et constantes forma sapientiæ, ab urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis Curia Principatus, quos vidisse, erudiri est.' Iidem fuerunt soceri Boëthii, quippe qui duxerat Elpidem filiam Festi, et hac defuncta

cœpisti. Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, cum conjugis pudore,<sup>d</sup> tum masculæ quoque prolis opportunitate<sup>e</sup> prædicavit? Prætereo (libet enim præterire communia) sumtas in adolescentia negatas senibus dignitates:<sup>f</sup> ad singularem felicitatis tuæ cumulum venire delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis<sup>g</sup> quantalibet ingruentium malorum mole deleri? cum duos pariter Consules liberos tuos domo provehi, sub frequentia patrum,<sup>w</sup> sub plebis alacritate vidisti; cum eisdem in Curia curules insidentibus,<sup>x</sup> tu regiæ laudis orator, ingenii glo-

<sup>v</sup> *Diei.*      <sup>w</sup> *Senatorum.*      <sup>x</sup> *Sellas, supra quas in curru insiderent.*

## NOTÆ

Rusticianam, Symmachi filiam; quarum uxorum prior dicitur non probitatis tantum, sed etiam literarum laude celebris, inprimisque Musarum amans. Tantis demum soceris Boëthius fuit felix: siquidem felicitatis est honorari ab honoratissimis viris: 'maxima jucundissimaque laus est,' inquit Tullius pro Mur. 'quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.' Boëthius autem ex eo honoratus fuit præsertim ab his honestissimis viris, quod ab iisdem primum fuit dilectus, deinde 'delectus in affinitatem: prius carus, quam proximus: quis' ergo Boëthium non prædicet 'felicissimum cum tanto splendore socerorum.'

<sup>d</sup> *Cum conjugis pudore]* Præterea Boëthius dicitur felix conjuge: quod utraque ejus conjux, Elpis videlicet et Rusticiana, summa fuerit virtute prædita: quod 'pudore' optime significatur: 'pudor' enim, ait Tullius II. de Fin. 'est moderator cupiditatis.' Cum autem Philosophia, quæ numero plurali dixerat 'soceros,' nunc singulari tantum dicat 'conjugem,' idcirco crediderim, non fieri hic mentionem, nisi unius ex uxoribus Boëthii, nempe Rusticianæ, quæ sola

tunc superstes erat, cum hæc scribebantur.

<sup>e</sup> *Masculæ quoque prolis opportunitate]* Insuper Boëthius commemoratur felix liberis; 'mascula' præsertim 'prole.' Filii enim Boëthii, si non Patricius et Hypatius, saltem Symmachus et Boëthius Consules facti sunt: propterea hic 'Consules,' et infra 'consulares liberos' vocat Philosophia: propterea cadem Philosophia nunc addit, 'memoriam hujus diei, quo' nimirum Boëthius 'vidit duos pariter Consules liberos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate, quo idem regiæ laudis orator, ingenii gloriam faciendæque meruit, quo circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiavit, non posse quantalibet ingruentium, malorum mole deleri.'

<sup>f</sup> *Sumtas in adolescentia...dignitates]* Boëthius, antequam vidcret suos liberos Consules, ipse, adhuc adolescens, fuit Patricius, et forte etiam Consul: quæ dignitas raro ante annum trigesimum conferebatur: quamobrem populi etiam suffragiis felix nunc significatur.

<sup>g</sup> *Curules insidentibus]* Curules vo-



riam, facundiæque meruisti: cum in Circo<sup>c</sup> duorum medius Consul<sup>3 h</sup> circumfusæ multitudinis expectationem, triumphali largitione satiasti? Dedisti, ut opinor, verba fortunæ,<sup>y</sup> dum te illa demulcet, dum te, ut suas delicias, fovet. Munus quod nulli unquam privato<sup>i</sup> commodaverat, abstulisti.<sup>4</sup> Visne igitur<sup>5</sup> cum fortuna calculum ponere?<sup>z k</sup>

<sup>y</sup> *Fortunam tum tibi faventem laudavisti.*  
*compter avec la fortune.*

<sup>z</sup> *Repetere rationes a fortuna:*

//////////

*medius Consularis]* Mss. et edd. Norimb. Florent. Basil. *Duorum medius Consul*, quod rectius procul dubio.' *Sitzm.* Reg. *medius considens*: male, iudice Vallin.—4 'Ms. Rittersh. *Munus, quod nunquam ulli privato obtulerat, abstulisti*: quæ lectio elegantior videtur.' *Sitzm.*—5 In Ms. eodem deest *igitur*.

#### NOTÆ

cantur non solum homines, qui jus habebant ponendæ imaginis; sed etiam sellæ, supra quas illi in curru insiderent, quæ sellæ propterea videntur a curru dictæ 'curules;' sicut ab ebore cœlato vocantur aliquando 'ebur:' unde Horat. l. i. Epist. Ep. 6. 'Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule Cui volet importunus ebur.' Et Ovid. iv. de Pont. El. 9. 'Signa quoque in sella nossem formata curuli, Et totum Numidæ sculptile dentis opus.'

<sup>c</sup> *In Circo]* Circus, Græce κύκλος, generatim est omnis ambitus, gyrus, orbis, circulus: unde Cicero in Arat. 'Vidisti magnum candentem serpere circum, Lacteus hic nimio serpens candore notatur.' Hic autem Circus est locus ovatus, in quo, auctore Tarquinio Prisco, Romani ludos faciebant: quamobrem ludi illi a loco dicti sunt Circenses. Usu vero receptum erat, ut quicumque Consul creatus fuisset, hic profusis opibus ejusmodi ludos instituerit: alioqui nec populo gratus nec amplissimi magistratus personam, ut par est, sustinere videbatur.

<sup>h</sup> *Duorum medius Consul]* Nempe filiorum. Primus apud Romanos lo-

cus, inquit Lipsius, est medius; proximus, dexter. Inter Consulares vero non qui sæpius, sed qui prius fuerat Consul, alteri præferebatur: quare Boëthius non solum ut pater, sed etiam ut Consul medius sedere debuit.

<sup>i</sup> *Munus, quod nulli unquam privato]* Nullus enim, etiam princeps, eo felicitatis pervenit, ut eodem anno duos filios, ætate solita nondum provectos, Consul dignitatibus ornatos videret: quemadmodum vidit Boëthius. Vidit quidem Roma eodem anno videlicet 395. Olybrium et Probinum, duos Probi filios, in consulatu collegas: sed hi puerum exuerant: unde possumus exclamare cum Claudiano Carm. i. vs. 72. 'Quis Deus amobus tanti sit muneris auctor?'

<sup>k</sup> *Calculum ponere]* Calculus generatim lapillus est: speciatim vero signum notissimum, quo computantes utimur: hinc Plinius jun. l. ii. Ep. Epist. 14. 'in conditionibus,' inquit, deligendis ponendus est calculus: Juvenalis Sat. ix. 'Ponatur calculus, adsint Cum tabula pueri.' Cum fortuna igitur calculum dicitur ponere, qui facta bonorum malorumque a fortuna ac eptorum

Nunc te primum liventi oculo præstrinxit.<sup>a 61</sup> Si numerum, modumque lætorum, tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis. Quodsi idcirco te fortunatum esse non existimas, quoniam quæ tunc læta videbantur, abierunt, non est quod te miserum putes; quoniam, quæ nunc moesta creduntur, prætereunt. An tu in hanc vitæ scenam<sup>b m</sup> nunc primum subitus, hospesque venisti? ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum sæpe hominem velox hora<sup>c</sup> dissolvat? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides,<sup>7</sup> ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam manentis.<sup>d</sup> Quid igitur referre putas, tune illam moriendo deseras, an te illa fugiendo?<sup>8</sup>

<sup>a</sup> Incipit te iniquo oculo intueri.  
<sup>d</sup> Constantis.

<sup>b</sup> Theatrum.

<sup>c</sup> Brevissimum tempus.



—6 ‘Hæc vera est lectio: *præstrinxit*, id est, leviter et sine aliqua læsione aut periculo tetigit: al. *perstrinxit*.’ Sitzm. Thuan. primus, Reg. et uterque Vict. *præstrinxit*: edd. Delph. et Hack. *perstrinxit*.—7 ‘Nam etsi rara est fortuitis rebus m. f.] Expunge τὸ rebus, suadentibus Mss. edd. Norimb. et Basil.’ Sitzm.—8 ‘Illa an te fugiendo] Hæc ex Mss. et ed. Flor. ita disponi debent: *An te illa f. Idem.*

#### NOTÆ

comparatione, digitis, articulis, lapillis, aut quibuslibet aliis notis computat, utrorum major sit summa.

<sup>1</sup> *Nunc te primum liventi oculo præstrinxit*] Innuit Philosophia, adversitatem præsentem Boëthii longe minorem esse præterita ejusdem prosperitate: quasi dicat: Fortuna a teneris annis prospera, nunc adversa esse incipit, eaque non factis, sed oculo tantum invidente, nec graviter quidem, sed perstringendo leviter; quin si quid intolerabile videatur, illud citius evanescet: quare ‘si numerum modumque lætorum tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis.’

<sup>m</sup> *Vitæ scenam*] Scena, Græcis σκηνή, umbraculum, primum fuit camera ex arborum in se cubantium ramis ac frondibus, sive natura sive arte composita, in qua, verno præsertim tem-

pore, a pastoribus carmina diversis sonis cantabantur: unde Virgil. 1. *Æn.* vs. 106. ‘Hinc, atque hinc, vastæ rupes, geminique minantur In cælum scopuli: quorum sub vertice late *Æquora tuta silent: tum sylvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.*’ Deinde scena fuit occultus theatri locus, in quo actores, sive aulæis sive aliis quibusdam velis tecti, latere solebant: postremo brevis sed integra theatri actio, in qua sæpius idem homo diversas personas, tristes modo, modo lætas agit: qua ratione vita hominum dici potest ‘scena:’ ‘cum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat,’ et in vita humana lætis succedant tristia; ut in mundo, diei nox, Zephyro Auster, tranquillitati tempestas succedit: qua de re sequitur carmen.



## METRUM III.

CUM polo †<sup>n</sup> Phœbus roseis quadrigis  
 Lucem spargere cœperit,  
 Pallet albentes hebetata vultus  
 Flammis stella prementibus.  
 Cum nemus flatu Zephyri ° tepentis 5  
 Vernis irrubuit rosis,  
 Spiret insanum nebulosus Auster,  
 Jam spinis abeat decus.

*Ubi primum Sol rubeo curru quadrijugo vectus incepit diffundere diem per cœlum, nocturna sidera vetusa ignibus instantibus Solis, contracto candore, pallent. Ubi sylva spiritu Zephyri placide calentis purpuravit rosis vernæ tempestatis, si Auster caliginosus flet petulanter, statim ornamentum a rosariis recedat necesse*

† ‘Lege poli: i. e. lucem poli.’ Wakef. ad Lucret. II. 143.

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Polo*] Polus, Græce πόλος, generatim est omnis circuitus: nam dicitur ἀπὸ τοῦ πολεῖν, quod est vertere: speciatim vero est cœlum, quod cœlum vertatur: quare immota axis extremitas, non nisi κατ’ ἀντίφρασιν ab Astronomis vocari potuit ‘polus.’

*Phœbus*] Sol: de Phœbo l. I. Met. 3. vs. 9. Sic Lucretius lib. v. ‘Dum rosea face Sol inferret lumina cœlo.’

*Roseis quadrigis*] Sol a Poëtis fingitur curru vehi quadrijugo, sive quem rapiant quatuor equi: nempe Pyrois, Eous, Æthon, et Phlegon, quibus ignis, lux, ardor, et flamma, quatuor præcipua Solis effecta, nec non etiam quatuor præcipuæ diei horæ significantur. Ovidius II. Metam. vs. 153. ‘Interea volucres Pyrois, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.’ Sol autem oriens majore lumine suo dicitur hinc diem spargere, inde vero stellas minores, quæ per noctem regnabant, fugare: propter-

ea Sol nunc perhibetur ‘lucem spargere;’ et ‘stella’ secundum ‘albentes’ suos ‘vultus, hebetata prementibus’ Solis ipsius ‘flammis, pallere:’ quæ est vicissitudo noctis et diei; de qua hic primum agitur.

° *Zephyri*] Secunda vicissitudo, de qua hic agitur, est ventorum, Zephyri nimirum et Austri, quorum hic illum ita excipit, ut quod prioris flatu oritur, hoc spirante posteriore intereat. Zephyrus ergo est ventus flans ab occasu æquinoctiali: unde lenis est et tepens, terrasque propterea dicitur fœcundare: hinc Græcis dicitur ζέφυρος, quasi ζσηφόρος, vitam ferens; Latinis vero Favonius, quasi genialis mundi spiritus, a fovendo, inquit Plinius l. XVI. c. 25. Virgil. II. Geor. vs. 330. ‘Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus.’ Propterea ‘nemus’ nunc dicitur ‘vernīs rosis irrubuisse, flatu Zephyri tepentis.’ Auster vero est ventus a Meridie flans: unde quibus populis mare est ad Meridiem, his

Sæpe tranquillo<sup>p</sup> radiat sereno

Immotis mare fluctibus :

10

Sæpe ferventes<sup>q</sup> Aquilo procellas

Verso concitat æquore.

*est. Non raro pelagus quiescentibus undis splendet serenitate tranquilla ; nec raro Aquilo excitat tempestates vehementes, turbato mari. Si ergo in universo terrarum*

#### NOTÆ

Auster vocatur transmarinus. Hic autem ventus et humidus et calidus habetur. 1. Humidus habetur, quod humores, quos Septemtrio disjicit, colligat: sic Virgilio ‘humidus;’ Horatio ‘udus;’ Ovidio ‘aquaticus;’ Claudiano ‘madidus;’ S. Augustino ‘pincerna pluviarum;’ et Boëthio ‘nebulosus’ est. 2. Calidus habetur, quod a Meridie flet. Sive autem humore suo, sive calore, sive utroque ventus hic animalibus, plantis, præsertimque floribus dicitur nocere: unde Virgil. I. Geor. vs. 444. ‘Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.’ Et Ecl. II. vs. 38. ‘Ehen, quid volui misero mihi! floribus Austrum Perditus et liquidis immisi fontibus apros.’ Præsertim vero rosis Auster noxius: hinc Statius Sylv. III. 3. ‘Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.’ Propterea Auster hic dicitur ‘spirare insanum,’ hoc est, insano modo; et hoc eodem vento spirante perhibetur ‘decus abire spinis:’ hoc est, rosa interire: rosa enim, florum regina, spinarum ut progenies sic decus est: quamobrem Antonius Hallæus, nostræ Universitatis Normanæ quondam decus, in carmine de rosa cecinit, ut solebat, elegantissime: ‘Ortus tamen ipsa memento, O rosa pulchra, tui: in formis te spina creavit.’

<sup>p</sup> Sæpe tranquillo] Tertia vicissitudo, quæ hic adducitur in exemplum, est tranquillitatis tempestatisque maris. Primum quidem tranquillitas maris describitur: 1. ‘serenitate tran-

quilla,’ sive tranquillitate serena, (‘tranquillum’ enim et ‘serenum’ Grammaticis sunt nomina substantiva,) quod mare tranquillum sit ventorum expers: 2. ‘immotis fluctibus:’ quod absentibus ventis mare solito duntaxat motu actum non turbetur: 3. ‘radiis,’ quos mare tranquillum remittat: mare enim pro diverso modo, quo radios præsertim solares remittit, nunc luminis, nunc coloris, et quidem varii, videtur particeps: unde Tullius Acad. ‘mare,’ inquit, ‘illud quod nunc, Favonio nascente, purpureum videtur, nobismetipsis cœruleum videbatur, mane flavum, quodque nunc, quia a Sole collucet, albescit, et vibrat, dissimileque est proximo ei continenti.’ Lumen igitur incurrens in fluctus tranquillos sive quietos, ab his eo fere modo, quo a speculo, remittitur: quare, sicut speculum, ita aqua placida potest et oculos perstringere et adversis oribus ora referre pro diversa ratione, qua lumen his corporibus remissum oculos afficit: hic autem non agitur nisi de radiatione: quippe quæ longius quam alter effectus speculi diffundi potest. Ita describitur tranquillitas maris.

<sup>q</sup> Sæpe ferventes] Deinde ejusdem maris tempestas versatur in vehementi motu, quo mare a ventis, præsertim ab Aquilone, cietur. Aquilo autem, Græcis Boreas, ventus est ab ortu æstivo spirans. Hic ventus vehementior est: forte quod eodem, quo aër ab Ortum in Occasum ferri solet,



Rara si constat sua forma mundo,<sup>r</sup>  
 Si tantas variat vices,  
 Crede fortunis<sup>s</sup> hominum caducis, 15  
 Bonis crede fugacibus.  
 Constat, æterna positumque lege est,<sup>t</sup>  
 Ut constet genitum nihil.

*orbe eadem forma est infrequens, si mundus mutat tantas vicissitudines, ito nunc, confide divitiis fragilibus mortalium, confide bonis fluxis. Statutum est, et sempiterno Dei decreto stabilitum, ut nihil, quod genitum fuerit, constanter perseveret.*

## NOTÆ

motu feratur: hinc, auctore Festo, Aquilo vocatur, quod ‘instar aquilæ vehementissimo volatu feratur:’ hinc iudice S. Augustino, ‘terrarum scopa est.’ Notari potest hæc antithesis marinæ tranquillitatis et tempestatis: iterata enim hac voce, ‘sæpe,’ ‘Aquila’ opponitur ‘tranquillo;’ ‘ferventes procellæ,’ ‘sereno;’ ‘versum æquor,’ ‘inmotis fluctibus.’

<sup>r</sup> *Constat . . . mundo*] Sic Plinius Jun. ‘constat magistratibus reverentia.’ Et Virgil. *Æn.* v. vs. 748. ‘Quæ nunc animo sententia constat.’

<sup>s</sup> *Crede fortunis*] Faceta et elegans dissimulantia, quam Græci *εἰρωνείαν* vocant, qua Philosophia aliud, quam sentiat, dicens, eo magis de bonis caducis detrahit, quo magis eisdem videtur tribuere fidei. Sic Seneca in *Medea* vs. 221. ‘Confide regnis, cum levis magnas opes Huc ferat et illuc casus.’

<sup>t</sup> *Constat, æterna positumque lege est*] Lex est voluntas principis honesta imperantis et prohibentis contraria: quamobrem quot voluntatum principum, tot legum genera esse possunt. Duplex autem est ejusmodi voluntas, divina scilicet, et humana; quare etiam duplex est lex, nimirum divina, et humana. De humana hic non agitur. At lex divina pro triplici modo, quo considerari potest, triplicis rursus est generis, videlicet æterna, naturalis, quæque vulgo vo-

catur positiva. Lex æterna est divina voluntas, quatenus hæc non secus ac Deus, cujus est, ex omni æternitate fuit: de hac lege locutus Cicero II. de Legibus: ‘Hanc video,’ inquit, ‘sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excogitam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia.’ Lex naturalis est eadem divina voluntas, quatenus, insita atque innata specie, hominibus innotescit: de hac loquitur idem Tullius I. de Leg. ‘Lex,’ inquit, ‘est ratio insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda, prohibetque contraria.’ Lex quæ vulgo dicitur positiva, est eadem Dei voluntas, quatenus hæc signo manifestata innotescit: sed hæc Christianis alia est vetus, alia nova. Cum igitur nihil fiat, nisi illa Dei æterni voluntate, nihil etiam fit, nisi æterna lege. Sed apud philosophos eorum quæ fiunt quædam dicuntur creari; quædam generari. Creantur ea, quorum nulla est, nisi exterior causa: nimirum Res. Generantur vero ea, quorum præter exteriorem causam, quædam est materia; nempe Modi. Res perseverant, sed modi mutantur: ‘æterna positumque lege est, ut constet genitum nihil.’ Unde Seneca in *Hercule Cætæo* vs. 1099. ‘Quod natum est poterit mori.’

## PROSA IV.

TUM ego,<sup>e</sup> Vera, inquam, commemoras, o virtutum omnium nutrix,<sup>u</sup> nec inficiari<sup>v</sup> possum prosperitatis meæ velocissimum cursum. Sed hoc est quod recolentem<sup>f</sup> me<sup>9</sup> vehementius coquit.<sup>g</sup> <sup>w</sup> Nam in omni adversitate fortunæ infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem.<sup>x</sup> Sed

<sup>e</sup> Boëthius.    <sup>f</sup> Memorem.    <sup>g</sup> Affligit.

-----

9 In Ms. Rittersh. edd. Delphi. et Hack. *me* omittitur.—10 Thuan. primus,

## NOTÆ

<sup>u</sup> *Virtutum omnium nutrix*]—Philosophia: cum enim Philosophia sit cognitio clara distinctaque eorum, quæ ad optimam vitæ morumque rationem pertinent, cumque evidentia sit veri et certi iudicii norma, propterea eadem Philosophia instar prudentissimæ matris ad bene iudicandum primo, deinde ad honeste vivendum auditores alumnos inducit. Hinc, iudice Tullio, Philosophia est ‘mater omnium benefactorum et benedictorum; est cultura animi, quæ extrahit vitia radicitus: virtutis continet et officii et bene vivendi disciplinam.’

<sup>v</sup> *Inficiari*] Vel, ut alii malunt, *infitiari*, pro diversa nimirum nominis interpretatione, idem est quod negare. ‘Inficior’ enim oritur ab ‘in’ et ‘facio,’ quasi fecisse negem: tumque scribendum per *c* ‘inficior;’ aut potius oritur ab ‘in’ et ‘fateor,’ quasi ‘non fateor:’ Latini enim dixerunt aliquando, ‘infiteor,’ sicut etiam hodie dicunt, ‘confiteor:’ tuncque scribendum per *t* ‘infitor:’ malle hoc ultimum.

<sup>w</sup> *Recolentem me vehementius coquit*] Memorem magis affligit: ‘recolere’ enim dicitur a colere: colere autem proprie est arare: sed quod terra arando versetur, factum est, ut ver-

bum illud translatum fuerit ad significandam eam, qua mens nostra veluti commovetur, cogitationem: hinc cultus parentum, qui in cogitatione præsertim versatur: hos quippe ex eo dicimur colere, quod eosdem mente præsertim veneremur: hinc etiam recolere idem est, quod iterata meditatione cogitare, in memoriam revocare, reminisci. Exempla passim occurrunt. ‘Coquere’ vero idem quod angere, sive etiam cogere: similitudo sumitur a corporibus; quod quemadmodum corpora, quæ coquantur cogunturve, partibus ad sese invicem accedentibus, magis comprimuntur, adeoque ad minores loci angustias redigi soleant, ita mens tristi sua cogitatione ita constringi videtur, ut, ceteris rebus cogitandis minus apta, ulterius diffundi nequeat cogitando.

<sup>x</sup> *Genus est infortunii, fuisse felicem*] Non quidem re, (quod enim præterit, id non est amplius, adeoque, ceu nihilum, te non potest reipsa affligere,) sed cogitatione: sicut enim memoria malorum præteritorum recreamur: ‘hæc olim meminisse juvabit,’ Virg. quod hac de quadam nostra potestate, industria, aut quadam alia bona qualitate admonemur: sic honorum præteritorum memoria affligimur,



quod tu, inquit,<sup>h</sup> falsæ opinionis supplicium<sup>y</sup> luis,<sup>10</sup> id rebus jure imputare non possis. Nam si te hoc inane nomen fortuitæ felicitatis<sup>z</sup> movet, quam plurimis, maximisque abundes, mecum reputes licet. Igitur si quod in omni fortunæ censu<sup>i</sup> <sup>11</sup> pretiosissimum possidebas, id tibi divinitus illæsum adhuc, inviolatumque servatur, poterisne meliora quæque retinens, de infortunio jure causari?<sup>k a</sup> Atqui viget incolumis, illud pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer:<sup>b</sup> et quod vitæ pretio non segnis<sup>l</sup> emerres, vir totus ex sapientia, virtutibusque factus, suarum

<sup>h</sup> *Philosophia.*     <sup>i</sup> *Inter omnia fortunæ tuæ bona.*     <sup>k</sup> *Accusare calamitatem.*  
<sup>l</sup> *Lubens.*



Reg. et uterque Vict. *luas.*—11 *In omni fortunæ tuæ censu* Mss. edd. Delph.

#### NOTÆ

quod hac nostræ infirmitatis convincamur: quemadmodum enim placet potuisse, sic displicet homini gloriæ avido non posse.

<sup>y</sup> *Falsæ opinionis supplicium*] Est quidem supplicium sive pœna mentis, memoria præteritæ prosperitatis: siquidem, ut dictum est, mens hac memoria affligitur: sed supplicium illud falsæ opinionis est: cum ex hoc oriatur, quod mens præcipatione et præjudicio acta falso judicaverit præteritam illam prosperitatem constantis alicujus boni rationem obtinere. Quamobrem ‘id’ supplicium ‘rebus jure imputare non possis:’ nemo quippe errat nisi volens.

<sup>z</sup> *Inane nomen fortuitæ felicitatis*] Cum metus amittendæ ejus, quæ inconstans foret, felicitatis sit vera miseria, idcirco nulla re ipsa est felicitas, nisi constans: quod igitur fortuita felicitas instar fortunæ, a qua oriri dicitur, sit inconstans, propterea hæc nihil habet ‘felicitatis’ nisi ‘inane nomen.’

<sup>a</sup> *Poterisne meliora quæque retinens, de infortunio jure causari*] Sed esto, inquit Philosophia, quæ fortuita, sit

vera felicitas: cum maximam partem bonorum, quæ fortunæ accepta referri debere arbitraris, retineas, felix potius quam infelix ‘de infortunio jure non potes causari.’ ‘Causari,’ vel ut nunc a pluribus scribitur, ‘causari,’ proprie nihil est aliud quam causam alicujus effecti quærere aut afferre: sic Virg. *Eclog.* ix. vs. 56. ‘Causando nostros in longum ducis amores.’ Quare Boëthius, qui hactenus de adversa fortuna conquestus, ab ea videtur tantæ inconstantiae causas quæsivisse, non male nunc dicitur ‘causari:’ quamvis immerito ‘causetur:’ ut jam Philosophia demonstrabit, enumerando bona meliora, quæ Boëthio supersunt, nempe socerum, uxorem, liberos, ipsum quoque animum.

<sup>b</sup> *Symmachus socer*] 1. Philosophia commendat Symmachum socerum Boëthii. Plures fuerunt Symmachi, quorum stemma, si placet, legere poteris apud Jacob. Sirmundum ad vii. lib. *Epist. Ennodii.* Hic autem agitur de Symmacho, qui Consul fuit sine collega sub Odoacre anno Christi 485. quique a Theodorico Rege inter

securus,<sup>m</sup> tuis ingemiscit injuriis. Vivit uxor<sup>n c</sup> ingenio modesta, pudicitiae pudore præcellens, et, ut omnes ejus dotes breviter includam, patri<sup>o</sup> similis. Vivit, inquam, tibi que tantum vitæ hujus exosa spiritum servat. Quo uno<sup>12</sup> felicitatem minui tuam vel ipsa concesserim, tui desiderio lacrymis ac dolore tabescit. Quid dicam liberos<sup>d</sup> consulares,<sup>p</sup> quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel aviti,<sup>q</sup> vel paterni<sup>r 13</sup> specimen elucet ingenii? Cum igitur<sup>e</sup> præcipua sit mortalibus vitæ cura retinendæ, o te, si tua bona cognoscas, felicem! cui suppetunt etiam nunc quæ vita nemo dubitat esse cariora. Quare sicca jam lacrymas.

<sup>m</sup> Nihil injuriarum sibi timens.    <sup>n</sup> Rusticiana.    <sup>o</sup> Symmacho.    <sup>p</sup> Qui jam Consules fuerunt.    <sup>q</sup> Symmachi.    <sup>r</sup> Boëthii.

Hack.—12 *Servat, quoque uno edd. eædem.*—13 Hæc verba sic disposita in

## NOTÆ

alios delectus est iudex in causa Basilii et Prætextati, qui magicarum artium accusabantur: ut refert Casiodor. l. iv. Var. Ep. 22. Hujus enim Symmachi duæ fuerunt filiae; nempe Galla, de qua præter Fulgentium loquitur Gregor. Magnus iv. Dial. 13. et Rusticiana Boëthii uxor, ex qua alter Symmachus natus est, Boëthii parentis collega in consulatu, et prædicti Symmachi nepos. Neque vero præstantissimus ille vir 'suarum injuriarum securus' ita erat, ut videbatur Boëthio propter eam, qua apud Theodoricum valere videbatur, gratiam et auctoritatem: inconstans enim ille Rex, impiis delatorum criminationibus incitatus, Symmachum socerum una cum Boëthio genero occidi jussit, auctore Procopio l. i. de Bello Goth.

<sup>c</sup> *Vivit uxor*] II. Philosophia laudat uxorem Boëthii, eam scilicet, quæ vocabatur Rusticiana, Symmachi filia. Duæ quippe fuerunt alternis Boëthii uxores: prima Festi filia, dicta Elpis; mulier doctissima, quæ absque

liberis decessit: altera filia Symmachi, vocata Rusticiana; 'ingenio modesta; pudicitiae pudore præcellens; uno verbo patri (Symmacho) similis.'

<sup>d</sup> *Quid dicam liberos*] III. Philosophia celebrat liberos Boëthii, memor cum dignitatis, tum etiam ingenii, quo præditi fuerunt. Meminit quidem dignitatis, qua instructi fuere; nimirum consulatus: nam consularis apud Latinos dicitur vir, qui aliquando Consul fuit: hos autem Boëthii 'liberos' nunc Philosophia vocat 'consulares.' Meminit etiam ingenii, quod in his etiam pueris tantum erat, ut in his 'vel paterni,' videlicet ipsius Boëthii, 'vel aviti,' nimirum Symmachi, 'specimen eluceret ingenii.' Quod demum dicitur, 'in id ætatis pueris,' modus est loquendi Tullio etiam familiaris: 'Ita viximus,' inquit l. vi. Epist. Ep. 20. 'et id ætatis jam sumus, ut omnia, quæ non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus.'

<sup>e</sup> *Cum igitur, &c.*] Ex prædictis Philosophia concludit, Boëthium ad-



Nondum est ad unum omnes <sup>s</sup> exosa fortuna, nec tibi nimium valida tempestas <sup>f</sup> incubuit; quoniam tenaces hærent anchoræ,<sup>14</sup> quæ nec præsentis solamen, nec futuri spem temporis abesse patiantur. Et hæreant, inquam,<sup>t</sup> precor: illis namque manentibus, utcumque se res habeant, enatabimus.<sup>u</sup> Sed quantum decus ornamentis <sup>15</sup> nostris decesserit,<sup>g</sup> vides. Et illa, Promovimus, inquit,<sup>v</sup> aliquantulum,<sup>w 16 h</sup> si te nondum totius tuæ sortis piget.<sup>i</sup> Sed delicias<sup>k</sup> tuas <sup>x</sup> ferre non possum, qui abesse aliquid tuæ beatitudini tam luctuosus, atque anxius conqueraris. Quis

<sup>s</sup> Anchoras.    <sup>t</sup> Ego Boëthius.    <sup>u</sup> Evademus.    <sup>v</sup> Philosophia.    <sup>w</sup> Aliquem fecimus progressum.    <sup>x</sup> Mollitiem tui animi.

edd. prædictis: *vel paterni, vel aviti*.—14 Ms. Rittersh. *Quoniam tenaces hæserint ancoræ. Quando tenaces hærent* Delph. Hack.—15 Bene Ms. Rittersh. censente Bernartio: *sed quantum ornamentis: quod etiam codd. Vict. secundus, et Reg.*—16 *Aliquantulum* Delph. Hack.—17 Vict. secundus: *copiosæ*.—

## NOTÆ

huc esse felicem: quasi dicat: Cui cumque suppetunt ea, quæ vita nemo dubitat esse cariora, ille felix haberi potest: felix enim qui summo fruitur bono; quale esse videtur illud, quod est ipsa vita carius: siquidem vitæ retinendæ, utpote præstantissimo bono, præcipua est mortalibus cura. Atqui tibi Boëthio suppetunt ea quæ vita nemo dubitat esse cariora; socer videlicet, uxor, et liberi omni virtutum genere præstantissimi. Crediderim hæc verba, ‘o te, si tua bona cognoscas,’ non fuisse dicta sine memoria istorum Virgilio II. Æn. vs. 458. ‘O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas!’

<sup>f</sup> *Tempestas*] Allegoria ipsi Ciceroni usitatissima: ubi nominata ‘tempestate’ intelligi debet fortunæ sævientis impetus, quod utroque homines videantur obrui: nominatis ‘anchoris tenacibus,’ familiares constantissimi, quod utrisque ‘et præsentis solamen, et futuri spes temporis adesse possit.’ Quamobrem sicut, manentibus ancho-

ris, nautis remanet spes ‘enatandi;’ sic, remanentibus prædictis familiaribus, Boëthius meliorem sperare potest fortunam.

<sup>g</sup> *Quantum decus ornamentis nostris decesserit*] Amissis videlicet opibus dignitatibusque nostris.

<sup>h</sup> *Promovimus, inquit, aliquantulum*] Aliquem in tui consolatione profectum fecimus, inquit Philosophia: ‘promovere’ enim aliquando idem quod proficere: ut apud Terent. in Hecyr. ‘abibo hinc; præsens quando promoveo parum.’

<sup>i</sup> *Si te nondum totius tuæ sortis piget*] Si nondum te omnino infelicem putas: differunt ‘pudet’ et ‘piget,’ quod prius turpitudinem, posterius noxam rei videatur potius significare: unde Cicero pro Dom. ‘me non solum piget stultitiæ meæ, sed etiam pudet.’

<sup>k</sup> *Delicias*] Hoc est, animi mollietiem. Deliciæ enim ab eo videntur dictæ, quod animus his alliciat; dicuntur enim ab, de, et lacio, traho:

est enim tam compositæ<sup>y</sup> 17 felicitatis, ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur?<sup>z</sup> 1 *Anxia*<sup>a</sup> enim res est humanorum conditio bonorum,<sup>m</sup> et quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetuo<sup>18</sup> subsistat. Huic census exuberat,<sup>n</sup> sed est pudori degener sanguis.<sup>b</sup>

<sup>y</sup> *Perfectæ.*      <sup>z</sup> *Disceptet.*      <sup>a</sup> *Acerba.*      <sup>b</sup> *Unus opibus abundat, sed eum pudet suæ ignobilitatis.*

18 Delph. Hack. *perpetua.*—19 Ms. Rittersh. *amaritudinibus vitæ humanæ*

## NOTÆ

inde lactat, illectat, delectat, oblectat, allicit, illicit, elicit. Sic Lucret. I. v. ‘Quæ lacere in fraudem possent, vinctosque tenerent.’ Unde forte nostrum Gallicum *lacer, un lacet*. Hinc quod animus qualibet perturbatione, sed amore præsertim et voluptate, alliciatur, propterea quælibet perturbatione, sed amor præsertim et voluptas, deliciæ vocantur: quo fit ut deliciæ modo in bonam, modo in malam partem accipiantur: sicut ergo molities corporis in hoc versatur, quod illud facile possit in quemcumque locum versari; sic delicatus dicitur ille animus, qui contrariæ affectioni obnoxius undique potest facile flecti: qualis Philosophiæ videtur Boëthius, utpote qui ‘abesse aliquid suæ beatitudini tam luctuosus atque anxius conqueratur.’

<sup>1</sup> *Rixetur*] *Disceptet*. Rixa, lis est sive contentio inter duos pluresve homines, quorum alter repetit quod alter reddere renuit: quare nisi lux divina affulgeat, in omni hominum genere perpetuæ sunt rixæ: quod homo et status ejus, ceu quædam partes, ita opponantur, ut ille homo quædam videatur a suo statu repetere, quæ status hic renuit reddere: nemo hic ex omni parte beatus.

<sup>m</sup> *Anxia enim res est humanorum conditio bonorum*] *Anxium* dicitur illud, quod solitudine mæsta premit: au-

xium enim dicitur ab ango: hoc a Græco ἄγχω suffoco, constringo, primum quidem fauces, deinde mentem: hinc angustus et angustia, cum quis tantis difficultatibus premitur, ut quo se vertere debeat, ignoret. Atqui humanorum conditio bonorum solitudine mæsta animum premit: quod enim humana hæc conditio aut nunquam absoluta fuerit, aut nunquam perennis, semper locum relinquit aut appetendæ absentium bonorum adeptionis, aut timendæ præsentium jacturæ: unde animi anxietas: ut pluribus exemplis deinceps confirmabit Philosophia.

<sup>n</sup> *Huic census exuberat*] Primum exemplum est de divitibus, iis scilicet, quibus, quod hi opibus abundant, ‘census’ dicitur ‘exuberare.’ ‘Census’ enim, a censendo dictus, opes significat: unde Claudian. Carm. xvii. vs. 231. ‘Addictoque hominum cumulent æraria censu.’ ‘Exuberare’ autem abundare est, quasi extra ubera profluere. Sic Virgil. I. Georg. vs. 191. ‘At si luxuria foliorum exuberat umbra.’ Et Georg. II. vs. 516. ‘Nec requies quin aut pomis exuberet annus, Aut fœtu pecorum.’ Atqui ejusmodi divites in hoc sibi videntur infelices, quod quibus sanguine conjuncti sunt, hi nobiles non sunt: ‘sed est pudori degener sanguis.’



Hunc nobilitas notum facit,<sup>o</sup> sed angustia rei familiaris inclusus,<sup>c</sup> esse mallet ignotus. Ille utroque circumfluus<sup>p</sup> vitam coelibem deflet.<sup>d</sup> Ille nuptiis felix,<sup>q</sup> orbus liberis,

<sup>c</sup> *Alter nobilis est, sed paupertate premitur.*  
*conjugē carere dolet.*

<sup>d</sup> *Tertius et dives et nobilis se*

## NOTÆ

<sup>o</sup> *Hunc nobilitas notum facit]* Secundum exemplum est de nobilibus viris: hic autem Philosophia videtur vim facere in verbo, dum dicit, ‘nobilitas notum facit,’ ‘nobilis’ enim a ‘notum,’ sicut a ‘motum’ ‘mobilis’ dicitur, ut nobilis sit, quasi nominis claritate notus. Atqui et his nobilibus sua esse potest paupertas supplicium: ‘angustia rei familiaris inclusus, esse mallet’ nobilis quidam ‘ignotus:’ optime autem paupertas vocatur ‘angustia rei familiaris.’ Nam sicut dives suis palatiis, agris, vitibus, nummis, armentis, hominibusque subditis, quibus veluti circumfunditur, eo auctoritatis potestatisque videtur dilatatus, ut se facile credat inexpugnabilem, juxta illud Proverb. 8. ‘substantia divitis urbs roboris ejus;’ sic pauper sua taberna, agello, viticula, et puerorum sarcina veluti obrutus coangustatur: hinc Horatius Carm. 1. III. Od. 2. pauperiem vocat angustam: ‘Angustam, amici, pauperiem pati Robustus acri militia puer Condiscat.’

<sup>p</sup> *Ille utroque circumfluus]* Tertium exemplum est de iis, qui pariter divites sunt et nobiles; sed qui in hoc se putant infelices, quod vitam ducant conjugii expertem: ‘vitam coelibem deflent:’ vita enim conjugii expertis vocatur cœlebs: forte quia cœlesti similis.

<sup>q</sup> *Ille nuptiis felix]* Quartum exemplum est de eo qui uxore felix est: quod prædictis ‘nuptiis’ optime significatur: quamvis enim nuptiæ non sint sine utroque conjugē, melius

tamen nuptiæ dicuntur de uxore quam de marito: quod cum illa sponsa deduceretur ad maritum, faciem flammeo nuberet sive velaret: hinc nupta, connubium, &c. Magna porro felicitas mariti, cujus est optima uxor: donum cœleste est. Proverb. XIX. ‘domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.’ At felicitas hæc sæpius orbitate turbatur: ‘orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi:’ Sēneca in Hippolyto vs. 1248. ‘O triste fractis orbitas annis malum!’ Hæres, ab hero dictus, quasi is sit bonorum dominus, apud Jurisperitos duplicis est generis: nempe suus, et externus. ‘Sui Hæredes,’ ut dicitur Instit. l. II. Tit. 19. §. 2. ‘ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt, et vivo quoque patre quodammodo domini existimantur, veluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, et deinceps ceteri liberi.’ Extranei vero, qui hic vocantur ‘alieni,’ hæredes ‘dicuntur ceteri,’ ait Vinnius, ‘qui non sunt sui et domestici.’ At quantum homo se suosque amans ‘suis’ hæredibus lætatur, tantundem de ‘extraneis’ sive ‘alienis’ afflicatur. Ecclesiastæ 4. ‘Considerans reperi et aliam vanitatem sub Sole. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est et afflictio pessima.’

alieno censum nutrit<sup>e</sup> hæredi. Alius, prole lætatus,<sup>r</sup> filii filiæve delictis<sup>f</sup> mœstus illacrymat. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat. Inest enim singulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Adde quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est, et, nisi ad nutum<sup>s</sup> cuncta suppetant,<sup>g</sup> <sup>t</sup> omnis adversitatis insolens,<sup>h</sup> <sup>u</sup> minimis quibusque prosternitur: adeo perexigua<sup>i</sup> sunt quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt.

<sup>e</sup> *Opes parat.*    <sup>f</sup> *Vitiis.*    <sup>g</sup> *Ad arbitrium omnia adsint.*    <sup>h</sup> *Nulli adversitati assuetus.*  
<sup>i</sup> *Usque adeo parva.*

## NOTÆ

<sup>r</sup> *Alius prole lætatus*] Quintum exemplum est de eo qui prole nata lætatur. Quod homo ad Dei imaginem conditus æternitatem appetat, quodque hanc in terris assequi non valeat, hinc fit ut parens uterque orta prole, veluti magna sui parte sibi olim successura, lætetur: Joan. 16. ‘mulier non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.’ At quanta lætitia parentes perfunduntur natis liberis, iisdemque virtutem colentibus, tanta iidem afficiuntur tristitia, si hos liberos viderint vitiis indulgere: parens ‘filii filiæve delictis mœstus illacrymat:’ ut nunc dicitur: Proverb. 10. ‘filius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ.’ Nimirum quod liberi videantur sanior perenniorque parentum pars, hos parentes optant semetipsis meliores.

<sup>s</sup> *Ad nutum*] Ad voluntatem. Nutus, a nuendo sive movendo dictus, proprie motum corporis significat: sic movendo caput oculosve dicimur annuere et abnuere vel renuere. Quoniam vero ille corporis nostri motus nostram voluntatem consuevit indicare, hinc factum est, ut, signo pro re significata accepto, nutus non modo humanam, sed divinam quoque voluntatem significaverit: ex quo etiam numen ipsam Dei voluntatem

notat, ut apud Virg. II. Æn. vs. 336. ‘Numine Divum In flammis et in arma feror.’ Et versu 777. ‘Non hæc sine numine Divum Eveniunt.’

<sup>t</sup> *Suppetant*] Adsint: quia enim quod petitur, id sæpius impetratur, usus obtinuit, ut suppetere idem sit quod adesse, quasi petendo impetratum. Hinc suppetiæ, quas sibi suppetere rebus adversis periclitantes expetunt.

<sup>u</sup> *Omnis adversitatis insolens*] Nulli adversitati assuetus. Insolens enim quasi non solens: solens autem is dicitur, qui id, in quo totus est, facit; quasi in solo, unoque hoc negotio versatus: quare ‘insolens adversitatis’ is est, qui adversitati non est assuefactus. Atque hic, ut nunc additur, ‘minimis quibusque prosternitur’ adversitatibus; quod mens ejus, his motibus non assueta, minimo turbetur: ut enim ‘ab assuetis non fit,’ sic ‘ab insuetis fit passio:’ quemadmodum loquuntur Philosophi: usque adeo ‘perexigua sunt, quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt.’ Summa Arithmeticis est universitas quædam, quæ ex pluribus minoribus addendo conficitur, aut ex qua minorem subtrahendo quædam restat: quamobrem ‘summa beatitudinis’ hic nihil est aliud, quam beatitudinis fastigium: *le comble du bonheur.*



Quam multos <sup>v</sup> esse coniectas <sup>k</sup> qui sese cœlo proximos <sup>l</sup> arbitrentur, si de fortunæ tuæ reliquiis pars eis minima contingat? Hic ipse locus, quem tu exilium vocas, inco-  
lentibus patria est. Adeo nihil est miserum, nisi cum pu-  
tes: <sup>m</sup> contraque beata sors <sup>w</sup> omnis est æquanimitate tole-  
rantis. <sup>n</sup> Quis est ille tam felix, qui, cum dederit impatien-  
tiæ manus, <sup>o</sup> <sup>x</sup> statum suum mutare non optet? <sup>y</sup> Quam mul-  
tis amaritudinibus <sup>z</sup> humanæ felicitatis dulcedo <sup>19</sup> respersa  
est! quæ si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen, quo  
minus cum velit, abeat, retineri non possit. <sup>20</sup> Liquet igitur <sup>a</sup>  
quam sit mortalium rerum misera beatitudo, quæ nec apud

<sup>k</sup> Non dubitas.      <sup>l</sup> Beatos.      <sup>m</sup> Aliquid in eo esse miseræ.      <sup>n</sup> Felix  
quælibet conditio, si æquo animo feratur.      <sup>o</sup> Putaverit impatibilem.

respersa est dulcedo.--20 Ed. Norimb. retineri non potest.—1 Amittere unquam

#### NOTÆ

<sup>v</sup> *Quam multos*] Sextum exemplum est de ipso Boëthio, de cuius 'fortunæ reliquiis si pars minima' pluribus aliis hominibus 'contingeret,' hi felices 'sese cœlo proximos arbitrentur:' cum tamen ipse Boëthius sese putet infelicem.

<sup>w</sup> *Beata sors*] Beatus homo, cujus mens cogitando ita constans est, ut, instar libræ æquatis ponderibus firmata, nec erigatur prosperis, nec adversis deprimatur. Sed homo ille rarus est in terris: nam quis est ille tam felix, qui, cum

<sup>x</sup> *Dederit impatientiæ manus*] Impatientia vinci se passus fuerit: sic loquitur Tullius de Amic. 'atque,' inquit, 'ad extremum dat manus, vinci se patitur:' nimirum cum manibus præsertim homo sese tueri soleat, ubi primum intelligitur victas manus dedisse, hic intelligitur victus:

<sup>y</sup> *Statum suum mutare non optet?*] Instar hominis ægri, qui cujuslibet situs impatiens, partes se vertit in omnes.

<sup>z</sup> *Quam multis amaritudinibus, &c.*]

Jam monuimus, mentem humanam, veluti mediam inter Deum humanumque corpus, quatenus est opus Dei et forma hujus corporis, et a Deo et a corpore humano commoveri: hinc autem putamus oriri amaritudinem et dulcedinem humanæ felicitatis; dulcedinem quidem a Deo commovente; amaritudinem vero a corpore: quare cum homo, quamdiu perseverat, ab utraque hac causa afficiatur, idcirco nihil homini dulce est nisi cum amaro conjunctum: quamobrem de quacumque corporis voluptate dici potest, quod Lucretius de Amore dixit l. iv. 'Eximia veste, et victu, convivium, ludi, Pocula crebra, unguenta, coronæ, sarta parantur, Nequicquam: quoniam medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.' Quin ipsa etiam dulcedo in hoc amara, quod, invito ipso homine qui illa affici videtur, abeat irrevocabilis; 'nec retineri possit' ad nutum, 'quo minus abeat:' ut hic dicitur.

<sup>a</sup> *Liquet igitur, &c.*] Philosophia ex

æquanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat. Quid igitur,<sup>b</sup> o mortales, extra petitis intra vos<sup>p</sup> positam felicitatem? Error vos, inscitiæque confundit. Ostendam breviter tibi<sup>q</sup> summæ cardinem felicitatis. Estne aliquid tibi te ipso<sup>r</sup> pretiosius?<sup>c</sup> Nihil,<sup>d</sup> inquires. Igitur si tui<sup>s</sup> compos fueris,<sup>e</sup> possidebis<sup>f</sup> quod nec tu unquam amittere<sup>1</sup>

<sup>p</sup> Vestram mentem.

<sup>q</sup> O Boëthi.

<sup>r</sup> Tua mente.

<sup>s</sup> Tuæ mentis.

## NOTÆ

prædictis exemplis concludit, quod probandum susceperat a Nota<sup>m</sup>, felicitatem hominum præsentem nec adeo absolutam esse, ut ‘non anxios tota delectet,’ nec adeo perennem, ut ‘apud æquanimos perpetua perduret.’ Jam ipsa Philosophia ad id, unde digressa fuerat, reversa, ipsum Boëthii animum considerabit.

<sup>b</sup> *Quid igitur, &c.*] IV. Philosophia commendat animum Boëthii, aitque primum ‘Mortales’ frustra ‘extra se petere,’ ut in amicis, uxore, liberis, uno verbo in corpore, quam habent ‘intra se,’ videlicet in mente, ‘positam felicitatem:’ deinde addit eisdem mortales ‘errore inscitiæque confundi:’ quod nimirum extra se quærant, quam intra se habent, felicitatem: ubi notandum errorem et inscitiam differre cum in aliis, tum in hoc, quod error omnis ab inscitiâ oriatur, ita ut possit esse inscitiâ sine errore, sed non error sine inscitiâ: postea promittit se ostensuram Boëthio summæ cardinem felicitatis; sive id in quo præcipue versetur summa felicitas: quod enim cardo sit, in quo janua vertitur, in usu est, ut id in quo negotium aliquod vertitur, vocetur cardo. Virg. I. Æn. vs. 676. ‘Hand tanto cessabit cardine rerum.’

<sup>c</sup> *Estne aliquid tibi teipso pretiosius*] Quanquam Boëthius, ut quilibet alius homo, corpore constet et mente conjunctis, nihilominus relicto corpore Philosophia Boëthium ad unam men-

tis suæ considerationem revocat, quasi ad primum beatitudinis, quam quærit, fontem: idque vocat totum Boëthium: ‘tibi, te ipso:’ sicut Apostolus Roman. 7. ‘infelix homo,’ inquit, ‘quis me liberabit de corpore mortis hujus?’ ‘Estne igitur,’ inquit Philosophia Boëthio, ‘aliquid tibi te ipso pretiosius?’

<sup>d</sup> *Nihil*] Inquit Boëthius: Quicquid enim divinitus factum naturali lumine novi, id aut mea mens est, aut corpus quod vulgo dicitur materia: sed mea mens vel ex ipso est corpore sive materia pretiosior, quod materiam hanc, a qua ipsa cogitari nequit, cogitet, ipsamque ad arbitrium huc illucque, sæpius cogitando, verset.

<sup>e</sup> *Igitur si tui compos fueris*] Si tuæ mentis tantam habueris et notionem et potestatem, ut illa notione ductus hac potestate nunquam abutaris: compos enim et impos dicuntur a potis: unde dicimus compotem et impotem: sicut ratiocinatur Varro: potis autem dicitur vel a pateo, quod pateat illi quicquid velit, vel a Dorica præpositione *ποτλ* juxta, quod quæ juxta nos sunt, in nostra censentur potestate, ut placet Vossio: nam, inquit Servius ad Ecl. IX. Virg. ‘quomodo victores dicimus voti compotes, qui quod volunt faciunt; sic victos e contrario vocamus impotes, qui non possunt facere quod volunt.’

<sup>f</sup> *Possidebis*] In tua potestate erit.



velis,<sup>g</sup> nec fortuna possit auferre.<sup>h</sup> Atque ut agnoscas<sup>i</sup> in his fortuitis rebus beatitudinem constare non posse, sic collige. Si beatitudo<sup>k</sup> est summum naturæ bonum ratione degentis,<sup>l</sup> nec illud est summum bonum quod eripi ullo modo potest; quoniam præcellit id, quod nequeat auferri; manifestum est, quod ad beatitudinem<sup>2</sup> percipiendam for-

<sup>l</sup> *Mentis ratione præditæ.*

~~~~~

Delph. Hack.—2 Thuan. primus, Reg. et uterque Vict. *quin ad beatitudinem.*

NOTÆ

^g *Quod nec tu unquam amittere velis*] Crescente enim tuæ mentis adeoque tuæ originis notione, crescet et tuus in tuam mentem tuamque originem amor: cum exteriora bona tanto minus amentur, quanto magis cognoscuntur.

^h *Nec fortuna possit auferre*] Mens enim tua tuaque proinde cogitatio ita sunt tui juris, nihil ut in eas inconstans fortuna possit. Potest quidem fortuna quam jactat suam felicitatem tibi optandam proponere; sed persuadendo te fallere non potest nisi volentem: non prius autem id volueris, quam, immemor tuæ mentis ejusque originis, specie caducorum bonorum veluti occæcatus fueris.

ⁱ *Atque ut agnoscas, &c.*] Philosophia tandem, proposita mente humana bonisque externis, quibusdam argumentis probat veram felicitatem in mente potius, quam in ceteris bonis versari: quæ quidem argumenta ut percipiantur, notandum apud Philosophos morales summum bonum duplicis esse generis: aliud quidem in genere Rei: aliud in genere Modi. Prius est res summe perfecta: unde nihil est aliud quam Deus: quare Propheta Rex Psal. 143. descriptione facta potentum, quorum 'filii,' inquit, 'sicut novellæ plantationes in juventute sua; filiæ compositæ, cir-

cumornatæ sicut similitudo templi; promptuaria plena eructantia ex hoc in illud; oves fœtosæ abundantes in egressibus suis; boves crassæ; in quorum plateis non est ruiua maceriæ, neque transitus neque clamor; quos denique 'beatos dixerunt,' addit: 'beatus populus cujus dominus Deus ejus.' Posterius vero, quod aliter vocatur felicitas sive beatitudo, nobis videtur posse definiri cogitatio mentis Deo constanter adhærentis: quod huic solum cogitationi convenire possit, quicquid naturali lumine cognoscitur convenire felicitati: sicut fusius alibi probavimus. Hic autem non agitur de priori, sed tantum de posteriori summo bono, quippe quod dicitur 'naturæ ratione degentis,' hoc est mentis humanæ modus.

^k *Si beatitudo, &c.*] Primum argumentum, quod potest sic proponi: Quod bonum eripi potest, hoc est, invito eo cujus est, amitti, illud non est summum bonum; ne quidem in genere modi: quandoquidem in hoc ipso genere melius est illud quod eripi non potest. Atqui omne fortunæ bonum eripi potest: propterea enim fortuna iustabilis est. Contra vero bonum mentis cujusmodi est virtus, non potest eripi, hoc est, invito eo cujus est, amitti.

tunæ instabilitas aspirare non possit.^u Ad hæc,^v¹ quem caduca ista felicitas vehit,^w vel scit eam, vel nescit esse mutabilem. Si nescit, quænam beata sors esse potest ignorantia in cæcitate?³ Si scit, metuat necesse est, ne amittat, quod amitti posse non dubitat; quare continuus timor non sinit esse felicem. An vel si^x amiserit, negligendum putat? Sic quoque perexile bonum est, quod æquo animo feratur amissum. Et quoniam^m tu idem es cui persuasum esse,⁴ atque insitum permultis demonstrationibus scio, mentes hominum nullo modo esse mortales; cumque sit clarum,⁵ fortuitam felicitatem corporis morte finiri; dubitari nequit, si hæc^y auferre beatitudinem potest,⁶ quin omne mortalium genus in miseriam, mortis fine, labatur. Quodsi multos scimus beatitudinis fructum non morte solum, verum etiam doloribus suppliciisque quæsisse, quonam modo præsens vita facere beatos potest, quæ miseros transacta non efficit?

^u *Fortuna inconstans esse non possit beatitudo. felicitate mortali afficitur, hic.*

^v *Præterea.*

^w *Qui hac*

^x *Etiam si.*

^y *Mors.*

—3 Edd. Delph. et Hack. omittunt voculam *in*. Ms. Rittersh. *sors esse poterit ignorantia in c.* Vict. secundus *cæcitati*: quæ et forsân vera lectio est, iudice Vallin.—4 Edd. Delph. et Hack. omittunt *esse*. Ms. Erfurt. *Et quoniam idem es, cui persuasum atque insitum.*—5 *Clarum sit* Delph. Hack.—6 Ms. Rittersh. *si hæc beatitudinem auferre non potest.* Ed. Flor. *si hæc afferre beatitudinem non potest.* Vict. primus, et Flor. *afferre.*

NOTÆ

¹ *Ad hæc*] Secundum argumentum, quod potest sic institui: Quicumque, fortuna dante, felix habetur, hic vel scit vel nescit, se invito, hanc fortunæ felicitatem esse mutabilem: sed quovis modo se habeat, revera felix non erit: si enim nescit, hanc fortunæ felicitatem sic esse mutabilem, hic versabitur in ‘ignorantiæ cæcitate,’ qua stante nulla ‘beata sors’ esse potest. At si scit, hanc fortunæ felicitatem sic esse mutabilem, idem hanc felicitatem aut timebit amittendam, aut dolebit, aut saltem negliget amissam; sed ut timor, sic dolor

non sinit esse felicem, nec magni faciendum, ‘quod æquo animo feratur amissum.’

^m *Et quoniam, &c.*] Tertium argumentum, quod sic disponi potest: Quæcumque felicitas morte finiri potest, hæc non nisi nomine tenuis felicitas est: siquidem felicitas vera, non secus ac ipsa mens humana, cuius est, quamque ut ‘insitum’ sic ‘multis demonstrationibus persuasum est esse immortalem,’ immortalis esse debet. Atqui felicitas fortunæ, utpote quæ corporis est, morte finiri potest: unde

NOTÆ

plures alterius 'beatitudinis fructum, non morte solum, verum etiam doloribus supplicisque quæsierunt;' idque eo potius, quod vita hæc temere

credatur felicitas: si enim vita hæc felicitas vera fuerit, necesse est, ut mors, quæ est hujus felicis vitæ privatio, vera miseria habeatur.

METRUM IV.

QUISQUIS volet perennem
Cautus ponere sedem,ⁿ
Stabilisque ° nec sonori
Sterni flatibus Euri,^p

Quicumque optat tutus locare domum perpetuam, quique studet constans, et non

NOTÆ

ⁿ *Perennem...sedem*] Domum per annos plures duraturam: 'sedes' enim apud Latinos auctores, præsertim poëtas, significat domum: 'perenne' vero a pluribus annis, per quos durat, dicitur: hinc perennare idem quod diu perseverare: hinc Anna Perenna, cui Veteres vota faciebant, ut annare perennareque commode liceret, auctore Ovidio III. Fast.

Cautus] Tutus: nam cautus a cavere: cavere autem iudicio Varro nis a cavo; quod 'prisci illi,' inquit Pontanus, 'qui Latium etiam ante Aborigines tenere, plerique in cavernis habitabant, quæ a cavando essent dictæ; iis autem et æstus cavebant et frigora, pleraque etiam alia incommoda, in illisque se et sua cautius tutabantur:' hinc cavere, cautio, cautor a Jurisconsultis dicitur de iis, quibus divitiæ tutæ fiunt et securæ. Quoniam vero vir prudens, cogitationibus suis veluti prospiciens, se suaque tuetur, idcirco cautus catusque vocari solet. Horat. de Arte: 'An omnes Visuros

peccata putem mea, tutus et intra Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam.' Et lib. I. Carm. Od. 10. 'Mercuri, facunde nepos Atlantis, Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus, et decoræ More palæstræ.'

° *Stabilisque*] Immotus et constans, suis, videlicet, sedibus. Cum autem corpus quiete semel donatum æternum quiescat, donec ab alio de sua quiete dimoveatur, ideo duobus duntaxat modis domus fundata potest ruere: primum quidem motu sensili corporum incurrentium, v. g. vento: deinde proprio pondere, fluentibus scilicet iis, quibus domus niti videbatur, fundamentis: hinc nunc fit mentio ventorum, fluctuum marinarum, cacuminis montis, et bibularum arenarum.

^p *Flatibus Euri*] Eurus, inquit Agellius, ventus est ab oriente verno, id est, æquinoctiali veniens. Latinis dicitur subsolanus. Hic non abs re dicitur sonorus: quod enim vehementiori impetu feratur, solitum aëris ab

Et fluctibus minantem 5
 Curat spernere pontum,^q
 Montis cacumen alti,^r
 Bibulas vitet arenas.^s
 Illud protervus Auster
 Totis viribus urget :^t 10
 Hæ pendulum solutæ
 Pondus ferre recusant.^u

disjici flaminibus strepentis Euri, et temnere mare exundans veluti intentans ruinam suis æstibus, ille pariter fugiat verticem montis elati, et arenas bibaces. Auster impetuusus omni conatu vexat illum verticem : hæ vero arenæ disjunctæ renuunt

NOTÆ

Ortu ad Occasum fluentis cursum secutus, propterea sonum ingentem edit. Unde Virgil. II. Georg. vs. 441. ‘ Quos animosi Euri assidue franguntque feruntque.’

^q *Pontum*] Pontus generatim quodlibet mare, speciatim Euxinum: forte quia utrumque plenum laboris: *πόνος* enim labor potuit esse origo *τοῦ πόντου*: quicquid sit.

^r *Montis cacumen alti*] Cacumen, vertex est cum arborum tum montium: quod plures ejusmodi corporum partes surgendo in unum acumen coëant: cacumen autem nunc dicitur ‘ montis alti;’ quia quo mons altior est, eo prædictis ventorum flatibus magis impellitur, adeoque domus hic fundata ruinæ magis foret obnoxia.

^s *Bibulas vitet arenas*] Quæ videlicet aquas sorbere possint: quod enim his arenis intercipiatur aër, vel quodlibet aliud corpus quod aquæ subeunti, utpote graviori, locum cedat, propterea si arenis istis imponantur ædificia ipsis aquis longe graviora, eadem ædificia fatiscentibus fundamentis statim corruent. Lucretius lib. II. ‘ arenam’ dixit ‘ bibulam;’ ‘ Littoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.’

^t *Illud protervus Auster...urget*] Il-

lud montis cacumen Auster impetit. Auster est ventus ex plaga cæli meridiana flans. Quod autem Auster ex terris in sublime sæpius flet, quemadmodum Boreas oppositus e contrario ex sublini in terras; idcirco Auster rectum iter, quoad potest, insistens in summos montium vertices sæpius videtur incurrere: et propterea nunc appellatur ‘ protervus’ a proterendo, quia altiora corpora sibi objecta solet proterere. Seneca in Agam. vs. 90. ‘ Nubibus ipsis Inserta caput turris pluvio Vapulat Austro: densasque nemus Spargens umbras annosa videt Robora frangi.’

^u *Hæ pendulum solutæ Pondus ferre recusant*] Hæ arenæ a se invicem disjunctæ impositum pondus non possunt sustinere. Nimirum sicut libræ duæ sunt lances alternis sic mobiles, ut, si altera graviori pondere onusta deorsum deprimatur, altera sursum attollatur necesse sit; ita in terra, aqua, et aëre quem spiramus, corpora adeo sese sustinent æquatis ponderibus, ut si alterum fuerit gravius, id propendeat, altero depresso: sicut infinitis exemplis demonstrari posset. Ædes autem arenis impositæ longe graviores sunt eo liquore, quo interposito arenæ mollescunt. Hoc eodem

Fugiens periculosam
 Sortem sedis amœnæ,^v
 Humili domum memento 15
 Certus figere saxo.^w
 Quamvis tonet ruinis
 Miscens æquora ventus; ^x
 Tu conditus^y quieti 20
 Felix robore^z valli,
 Duces serenus ævum,
 Ridens ætheris iras.^a

*portare onus suspensum. Sic tu vitans eventum incertum conditionis, ut videtur, gratæ, recogita stabilis fundare ædem petra depressa. Tum licet ventus reboët, turbans maria naufragiis, tu abditus munimine constantis aggeris, eris beatus, contem-
 tisque cæli furoribus, ages vitam tranquillam.*

NOTÆ

exemplo usus est Christus Dominus Matth. 7. ‘Omnis,’ inquit, ‘qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.’

^v *Fugiens periculosam Sortem sedis amœnæ]* Haud aliter qui vitare cupit eventum incertum conditionis, quæ videtur jucunda: ‘Sors’ quippe, inquit Tullius l. II. de Divin. ‘idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: in quibus temeritas et casus, non ratio et consilium valet.’ Hinc sortilegi dicebantur, qui ductis, pueri manibus, sortibus prædicerent futura. Hinc etiam quod in unam vel oppositam partem flecti potest incertum, illud sors dici consuevit: hujusmodi autem est sedes amœna, quam idcirco Philosophia hic vocat ‘periculosam.’

^w *Humili domum memento Certus figere saxo]* Loca domum in ‘saxo humili:’ in ‘saxo’ quidem, ut firmo domus nitatur fundamento: ‘humili’

vero, ut tempestatibus minus sit obnoxia.

^x *Quamvis tonet ruinis Miscens æquora ventus]* Ventus tonat, cum tonitruo similis magnum excitat sonitum. Miscet autem æquora ruinis, cum naufragus naves ceteraque corpora mari imposita prosternit.

^y *Conditus]* Absconditus: quemadmodum Virgil. I. Georg. vs. 441. ‘Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum, Conditus in nubem.’

^z *Felix robore]* Robur quamcumque corporis fortitudinem significat: unde quod quercus sylvestris inter ceteras arbores fortissima videatur, idcirco hæc ‘robur’ appellatur.

Valli quieti] Vallum murus est e terra ad fossæ oram aggestus, crebris sudibus sive palis munitus: quamobrem duæ sunt valli partes, nempe agger sive terra, et pali sive sudes; quare vallum quietum est.

^a *Duces serenus ævum Ridens ætheris iras]* Vitam duces tranquillam, contemto cæli impetu. ‘Ævum’ enim significat vitam, ut apud Virg. IV. Geor. vs. 206. ‘Ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi Excipiat.’ Et

NOTÆ

‘ira,’ quippe quam insolitus corporis motus comitari solet, non raro violentos non solum hominis, sed et bestiarum, immo etiam inanimatorum corporum motus significat. Et hoc etiam exemplo usus est Christus, prædicto cap. 7. Matth. ‘Omnis,’ in-

quit, ‘qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat supra petram.’

PROSA V.

SED quoniam rationum jam in te mearum fomenta descendunt,^z paulo validioribus utendum puto. Age^b enim, si jam caduca^c et momentanea^{a 7 d} fortunæ dona non essent, quid in eis est, quod aut vestrum unquam fieri queat, aut non perspectum⁸ consideratumque vilescat?^b Divi-

^z *Mentem subeunt.*

^a *Fluxa.*

^b *Sordescat.*

7 ‘Magis arridet scripta lectio: *momentaria.*’ Bernart. *Momentaria* etiam suaserunt edere codices Vict. primus, Thuan. primus, et Reg. quos sequuntur edd. Delph. et Hack.—8 Thuan. primus: *prospectum.*—9 Ms. Rittersh.

NOTÆ

^b *Age*] ‘Age’ adverbium dici solet: sed nobis videtur imperativum verbi ago: non secus atque fac verbi facio: propterea si uni tantum loquamur, dicimus, ‘age;’ si pluribus, ‘agite:’ hinc voce hac exhortamur auditorem ad cogitandum, loquendum, aut faciendum. Ad cogitandum quidem: ut apud Virgil. Geor. III. vs. 42. ‘Te sine nil altum mens inchoat: en, age, segnes Rumpe moras.’ Ad loquendum: ut Æneid. VI. vs. 343. ‘Dic, age: namque mihi fallax haud ante repertus.’ Ad faciendum: ut Georg. I. vs. 63. ‘Ergo age, terræ Pingue solum primis extemplo a mensibus

anni Fortes iuvertant tauri.’

^c *Caduca*] Caducum a cadendo dictum: unde id significat, quod aut lapsum est, aut labitur, aut lapsurum est. Sic Virgil. Æn. VI. vs. 481. de lapso: ‘Belloque caduci Dardanidæ.’ Geor. I. vs. 368. de labente: ‘Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas.’ Et Æn. X. vs. 622. de lapsuro: ‘Si mora præsentis leti tempusque caduco Oratur juveni.’

^d *Momentanea* [*momentaria*] Fluxa: hac voce utitur S. Ambrosius: sed eandem non potui invenire apud Latinos auctores, quos vocant classicos.

tiæne vel vestri,^c vel sui⁹ natura pretiosæ^e sunt? Quid earum potius^d aurumne, an vis congestæ pecuniæ?^{10 f} Atqui hæc¹¹ effundendo magis, quam coacervando melius nitent: siquidem avaritia semper odiosos, claros largitas facit. Quod si manere apud quenquam non potest, quod transfertur in alterum; tunc est pretiosa pecunia, cum translata in alios largiendi usu desinit possideri. At eadem si^e apud unum, quanta est ubique gentium congeratur, ceteros sui inopes fecerit. Et vox quidem tota pariter multorum replet auditum: vestræ vero divitiæ, nisi comminutæ, in plures transire non possunt: quod cum factum est,¹² pauperes necesse est faciant quos relinquunt. O igitur angustas inopesque divitias, quas nec habere totas pluribus licet, et ad quemlibet sine ceterorum paupertate non veniunt!

^c O homines. ^d Pretiosius. ^e Tanta.



Divitiæne vel vestra, vel sui: quod etiam codd. Thuan. primus, Reg. et Vict. primus.—10 Vulg. *congesta pecuniæ*.—11 ‘*Atqui hæc*’ Germanius quod in scriptis: *atqui hæc.* Ber.—12 Ms. Rittersh. *Quod cum factum sit.*—13 In

NOTÆ

^e *Divitiæne vel vestri, vel sui natura pretiosæ*] I. Philosophia probat, generatim divitias non esse aliquod mentis humanæ bonum, non solum quod omne fortunæ bonum, cujusmodi sunt divitiæ, extra mentem est, attentiusque consideratum sordescit, ut jam dixit; sed etiam quod nullæ divitiæ pretiosæ sunt. Pretiosum ergo nobis id dicitur, quod in nostra existimatione versatur: hac enim nostra existimatione fit, ut illius comparandi causa, quod a nobis poscitur, pretium solvamus: unde pretiosum dictum est. Duobus autem modis aliquid versari potest in nostra existimatione, pro duplici modo, quo sese habere possunt ideæ, ex quibus veluti ex quadam materia illa existimatio, utpote iudicium, constat. Primum quidem propter ‘sui naturam:’ quando scilicet prædictæ ideæ ita claræ

sunt et distinctæ, nihil ut involvant præter id quod a rebus cogitationi subjectis, utpote earumdem causis, acceperunt. Deinde vero propter ‘vestri,’ o homines, ‘naturam:’ cum videlicet illæ ideæ, præter id, quod a rebus cogitationi objectis habent, ipsum iudicantis præiudicium involvunt. Optime igitur Philosophia quærit, an ‘divitiæ pretiosæ’ sint ‘vestri, vel sui natura;’ tum pro comperto ponens divitias ‘sui natura pretiosas’ in numero bonorum non esse, sequenti pecuniæ, gemmarum, agrorum, vestium, et famulorum enumeratione probat easdem divitias nequidem ‘vestri natura pretiosas’ inter bona esse recensendas.

^f *Aurumne, an vis congestæ pecuniæ*] II. Philosophia speciatim dictura de quibusdam divitiarum generibus, nimirum de pecunia, gemmis, agris,

An gemmarum fulgor oculos trahit? ^g Sed si quid est in hoc splendore præcipui, gemmarum est lux illa, non hominum: quas quidem mirari homines vehementer admiror. Quid est enim carens animæ motu, atque membrorum ¹³ compage, quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur? Quæ tametsi conditoris opera, sui que distinctione postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatæ, admirationem vestram nullo modo merebantur. An vos agrorum pulchritudo delectat? ^h Quid ni? ^f Est enim pulcherrimi operis pulchra portio. Sic quondam sereni maris facie gaudemus: sic Cælum, Sidera, Solem, Lunamque miramur. Num te

^f Dicit Boëthius.

Thuanæo primo, et utroque Victorino deest *membrorum*.—14 Ms. Rittersh.

NOTÆ

vestibus, et famulis, incipit a pecunia; quam idcirco dicit non haberi posse pretiosam, quod nec diffundi possit, juxta ejus institutum, quin 'largiendi usu desinens possideri' ipsum dantem pauperet: nec 'congeri avaritia,' quin 'ceteros sui inopes faciat,' in hoc ipsa voce, rerum omnium tenuissima, tenuior, cum 'vox tota pariter multorum repleat auditum:' nec mirum: quandoquidem vox, utpote sonus, versatur in quodam tremore aëris, qui quod liquidus sit, ab uno homine loquente undique commoveri potest: pecunia autem est nummus ex ære primum, deinde ex auro argentove confectus, quo statutis legibus res propter facilius commercium permutari possunt: licet autem plura corpora simul moveri possint, idem tamen corpus non potest pluribus simul locis circumscribi.

^g An gemmarum fulgor oculos trahit] III. Philosophia gemmas dicit menti humanæ non debere esse pretiosas, quod lumen, quo gemmæ splendent,

non sit hominum, sed illorum duntaxat affectio corporum, quæ, cum 'inanimata' sint, sic infra mentis humanæ 'excellentiam collocata sunt,' ut hominis 'admirationem nullo modo mereantur.' Nimirum gemma est lapis, qui instar vitri pellucens, lumen ideo transmittit, quod ante liquatus fuerit, quam lapidesceret. Hinc si aliquid metalli, alteriusve corporis opaci, gemmæ adhuc liquescenti infundatur, gemma pellucere minus apta coloratur: hinc suus est gemmarum sive pellucetium, sive reluctantium fulgor, quo oculi ita moventur, ut mens ipsa ad gemmas primum spectandas, deinde admirandas, et aliquando etiam amandas excitetur; donec exuta omni præjudicio, advertat hic nihil aliud esse, quam motum, non solum ipsa mente, a qua cogitatur, inferiorem; sed ipsi etiam corporum vitæ, quæ in perenni continuataque motione versatur, longe postponendum.

^h An vos agrorum pulchritudo delectat] IV. Philosophia addit, neque

horum aliquid attingit? ^g num audes alicujus talium splendore gloriari? An vernis floribus ipse distingueris? aut tua ¹⁴ in æstivos fructus intumescit ubertas? Quid inani- bus gaudiis raperis? quid externa bona pro tuis amplexa- ris? Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ a te natura rerum fecit aliena. Terrarum quidem fructus, animantium proculdubio debentur alimentis. Sed si, quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ afflu- entiam petas. ¹⁵ Paucis enim minimisque natura contenta est: cujus satietatem si superfluis urgere velis, aut injucun- dum, quod infuderis, fiet, aut noxium. Jam vero pulchrum- variis fulgere vestibus ⁱ putas: quarum si grata intuitu species ^h est, aut materiæ naturam, aut ingenium mirabor

^g *Ait Philosophia.* ^h *Forma.*

An tua.—15 *Petis Delph. Hack.*—16 *An vero te longus* edd. prædictæ. Ms.

NOTÆ

etiam agros prædictæ menti esse de- bere pretiosos: quia cum ager dica- tur territorium, quod diligentius cul- tum fruges affert, ager pretiosus menti haberi nequit, nisi aut sua mag- nitudine, quatenus terminis longissi- mis circumscribitur; aut sua figura, quatenus tumoris expers, ceu cylin- dro æquatus fuerit; aut suo motu, quatenus non modo fertilis, sed etiam fructuosus fuerit: ‘agro bene culto,’ inquit Tullius, ‘nil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius.’ Atqui nullo ex his modis ager menti humanæ pretiosus esse potest. Non sua magnitudine: nam ‘Luna,’ ‘Sol,’ ‘Sidera,’ ‘Cælum,’ quæ tamen ipsi menti pretiosa non videntur, ‘pul- cherrimi operis portio’ sunt quolibet agro major. Non etiam sua figura plana: siquidem mare: quod nihilo- minus tanto in pretio non est, dum tranquillum est et serenum, aquis æquali pondere libratis, non solum agro, sed quolibet alio corpore plano

planus est: ‘quid enim tam planum videtur,’ ait Tullius II. Acad. ‘quam mare? ex quo etiam æquor illud poë- tæ vocant.’ Non denique suo motu, sive ‘florens,’ sive etiam ‘fructuo- sus:’ quoniam flores, fructusque agro- rum extra hominem sunt; aut si ho- rum pars quædam ipsum hominis corpus instar alimenti subeat, hæc tam parva esse debet, ut ‘si naturæ satietatem superfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fiat, aut noxium.’ Lucretius l. v. ‘Quod si quis vera vitam ratione gubernet: Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce, Æquo animo: neque enim est unquam penuria parvi.’

ⁱ *Pulchrum variis fulgere vestibus]* v. *Philosophia* probat, neque etiam vestes menti nostræ habendas esse pretiosas; quod quæ ‘vestium grata intuitu species est,’ hæc non ad nos- tram mentem, sed aut ad ‘materiæ naturam,’ aut ‘ad ingenium’ spectat ‘artificis.’ Imo pulcherrima vestis

artificis. An vero longus ¹⁶ ordo famulorum ^k facit esse felicem? qui si vitiosi moribus sunt, pernicioſa domus sarcina, ¹⁷ et ipsi domino vehementer inimica: sin vero probi, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur? Ex quibus omnibus nihil horum quæ in tuis ¹⁸ computas bonis, tuum esse bonum liquido monstratur. Quibus si nihil inest appetendæ pulchritudinis, quid est, quod vel amissis ¹⁹ doleas, vel læteris retentis? Quod si natura pulchra sunt, quid id tua refert? Nam hæc per se a tuis quoque opibus sequestrata ^{k1} placuissent. Neque enim idcirco sunt pretiosa quod in tuas venerere divitias, sed quoniam pretiosa videbantur, tuis ea divitiis annumerare maluisti. Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis? Fugare, credo, indigentiam copia quæritis.^m Atqui hoc vobis in

¹ Onus. ^k Sejuncta. ^l Fortunam tuam frequenter appellando, tantoque concursu quærendo.



Rittersh. *An vero longus . . . moribus sint.*—17 Ms. Erfurt. *pernicioſa domus est sarcina.*—18 Thuan. primus, Reg. uterque Vict. et Flor. *quæ tui in tuis.*—

NOTÆ

ne a minima quidem febre te poterit liberare. Lucretius l. II. ‘Nec calidæ citius decedunt corpore febres, Textilibus si in picturis, ostroque rubenti Jactaris, quam si plebeia in veste cubandum est.’

^k *An vero longus ordo famulorum*] VI. Philosophia pariter demonstrat, famulorum turbam prædictæ menti non esse pretiosam: quia famuli isti vel improbi sunt, vel probi. Si improbi, tantum abest ut domino pretiosi sint, ut potius ‘pernicioſa domus sarcina, et domino vehementer inimica,’ quippe qui lege divina tenetur famulum et a vitio retrahere et ad virtutem promovere. Hebr. 13. ‘ipsi enim domini pervigilant, quasi rationem pro animabus redditori.’ Si vero probi: ‘quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur?’ Quare Philosophia me-

rito concludit beatum hominem non esse, quod pecunia, gemmis, agris, vestibis, et famulis abundet. Horat. Carm. IV. Od. 9. ‘Non possidentem multa vocaveris Recte beatum: rectius occupat Nomen beati, qui Deorum Muneribus sapienter uti, Duramque callet pauperiem pati, Pejusque leto flagitium timet, Non ille pro caris amicis Aut patria timidus perire.’

¹ *Sequestrata*] Sejuncta. Sequestratus autem dicitur a sequestro, hoc a sequester, qui est arbiter inter utramque partem, sic medius, ut neutrius præjudicio actus judicet: quemadmodum Æn. XI. vs. 133. ‘Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra.’ Sed vox ista, ‘sequestratus,’ qua Arnobius l. V. adv. Gen. et Casiodorus l. I. Var. cap. 3. utuntur, purioris Latinitatis non videtur.

contrarium cedit. Pluribus quippe adminiculis opus estⁿ ad tuendam pretiosæ supellectilis^o varietatem: verumque illud est, permultis indigere eos^{2o} qui permulta possideant: contraque minimo,^{m 1} qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus superfluitate^p metiantur. Itane autem nullum est proprium vobis atque insitum bonum, ut in externis ac sepositis rebus bona vestra quæeratis? Sic rerum versa conditio^q est,² ut divinum meritoⁿ rationis animal,^r non aliter sibi splendere, nisi inanimatæ supellectilis pos-

^m Indigere eos. ⁿ Titulo.

19 Quid est, quod amissis vulg.—20 Eos indigere Delph. Hack.—1 Thuan. primus, et uterque Vict. contraque minimum.—2 Auctior lectio Ms. Rittersh.

NOTÆ

^m Fugare, credo, indigentiam copia quæritis] Id unum prætexunt quicumque vehementiori prædictorum studio afficiuntur. Scilicet unusquisque homo suæ tenuitatis conscius, pecunia, gemmis, agris, vestibus, et famulis, veluti totidem satellitibus circumdatus, his putat se posse ab omni hostium injuria liberari: sed fallitur.

ⁿ Pluribus quippe adminiculis opus est] Adminiculum est auxilium, quod ad manum, sive præsto est: quod autem prædicta bona perpetuæ sicut corruptioni obnoxia, ideo quo plura possidemus, eo ad illa conservanda plura nobis ad manum esse debent auxilia.

^o Supellectilis] Supellex proprie est ornamentum aulæ, cujusmodi sunt aulæa, sedilia, lintea, vasa, ceteraque domus utensilia, quod nimirum hæc pellibus involuta, a militibus, et forte etiam a Legatis, ad suos usus portarentur: hic autem supellectilis varietas est prædictorum bonorum externorum multitudine, nomine partis ad totum translato.

^p Non ambitus superfluitate] Non solum præsidii causa, ut dictum est, sed ambitu etiam prædictis divitiis

studemus comparandis, rati nimirum nos eo majorem de nobis existimationem in mente ceterorum hominum excitaturos, quo pluribus majoribusque ejusmodi bonis fruemur: atque id ex eo evidens est, quod, si arbitraremur fore ut a nullo unquam homine videremur, nec gemmis, nec vestibus, nec ullis ejusmodi bonis ita inhiaremus.

^q Sic rerum versa conditio] Mens quippe mea mei corporis forma est, sed a Deo et propter ipsum Deum creata: quamobrem veluti media inter Deum conditorem, corpusque consors, ab utroque sic informatur notionibus, ut ab utroque in suas trahatur partes: sed heu! cum Deo unice diligendo vacare deberet, infelici cum propriæ infirmitatis, tum perturbationis pondere ad corpus primum, deinde ad cetera corpori famulantia traditur; qua quidem in re homo, 'divinum merito rationis animal,' ceteris rebus creatis insipientior, injuriam facere videtur et Deo et sibi. Primum quidem homo est

^r Divinum merito rationis animal] Homo enim ut nemo nescit, constat ex mente et corpore mutuo conjunc-

sessione videatur? Et alia quidem suis contenta sunt:³ vos autem^o Deo mente consimiles, ab rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis: nec intelligitis quantam³ conditori vestro faciatis injuriam. Ille genus humanum⁴ terrenis omnibus præstare voluit: vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis. Nam si omne cujusque bonum, eo cujus est,⁴ constat esse pretiosius, cum vilissima rerum vestra bona esse judicatis, eisdem vosmetipsos vestra æstimatione⁵ summittitis: quod quidem haud immerito cadit.^{p u} Humanæ quippe naturæ^v hæc conditio est, ut

^o *Homines.* ^p *Contingit.*



sic rerum versa lex et conditio est.—3 *Quantum Delph. Hack.*—4 *Ms. Rittersh.* *Nam si omne, quod cujusque bonum, id eo cujus est.*—5 *Uterque Vict. et ed.*

NOTÆ

tis: mens ‘ratio,’ corpus ‘animal’ non raro appellatur: sed mente homo similis est Deo: sicut statuitur Genes. 1. ‘faciamus,’ inquit Deus, ‘hominem ad imaginem et similitudinem nostram:’ quatenus videlicet mens nostra res est, instar Dei, cogitans: unde homines II. Petri 1. ‘divinæ consortes naturæ’ dicuntur: propterea nunc homo vocatur ‘animal merito,’ sive titulo ‘rationis divinum.’ ‘Homines,’ inquit Tullius de Un. ‘Deorum immortalium quasi gentiles sunt, et divini generis appellantur, et omnium animantium tenent principatum.’ Deinde idem homo est ceteris rebus creatis insipientior: quandoquidem

³ *Alia quidem suis contenta sunt*] Nam corpora inanimata, plantæ, bestię ipsæ finibus sibi divinitus præscriptis ita continentur, ut nec pecuniæ, nec gemmarum, nec agrorum, nec vestium, nec famulorum desiderio teneantur. Præterea idem homo injuriam videtur facere Deo.

⁴ *Ille genus humanum, &c.*] Cum enim Deus, utpote cujus sapientia infinita est, quolibet homine etiam

sapientissimo sit sapientior; propterea ille homo injuriam facit Deo, qui ausus suum judicium divino antepone, quam dignitatem Deus terrenis omnibus præstare voluit, hanc infra infima quæque detrudit. Atqui homo prædictis bonis inhians ita se habet. Bonum enim ita in perfectione versatur, ut quod cuique bonum, illud eidem, semetipso videatur perfectius, utpote a quo perfici possit: neque etenim perfici potest, nisi a perfectiori. Quamobrem cum pretiosum, ut supra dictum est, illud habeatur, quod in nostra est existimatione, cumque hæc existimatio non, nisi crescente rei subjectæ perfectione, crescere debeat, idcirco quicquid alicui bonum videtur, illud eidem pretiosius videatur, necesse est: quare homo summo famulorum, vestium, agrorum, gemmarum, pecuniæ, et ceterarum ejusmodi rerum abjectissimarum desiderio occupatus, res istas sua etiam mente pretiosiores perfectioresque esse existimat, adeoque suo conditori facit injuriam suo illo falso judicio;

^u *Quod quidem haud immerito cadit*]

tum tantum ceteris rebus, cum se cognoscit, excellat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam ceteris animantibus sese ignorare, natura est: hominibus vero,⁶ vitio venit. Quam vero late patet vester hic error,^w qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis! At id fieri nequit. Nam si quid ex appositis luceat, ipsa quidem⁷ quæ sunt apposita, laudantur: illud vero his tectum atque velatum in sua nihilominus fœditate perdurat.⁸ Ego vero nego, illud esse⁹ bonum quod noceat habenti.^x Num id mentior? Minime, inquires.¹⁰ Atqui divitiæ possidentibus persæpe nocuerunt, cum pessimus quisque, coque alieni¹¹ magis avidus, quicquid usquam auri,¹² gemmarum¹³ est, se solum, qui habeat dig-

Delph. *existimatione*.—6 In Thuan. primo, Reg. et utroque Vict. deest *vero*.—7 'Ferri potest: cur tamen a veteri non stem? ipsa siquidem.' Bernart.—8 Ms. Rittersh. et ed. Flor. *Nihilominus in sua fœditate perdurat*.—9 Mss. *nego ullum esse*.—10 Thuan. primus, Reg. et uterque Vict. *minime, inquis*.—11 Vict. secundus: *atque alieni*.—12 *Auri usquam* Delph. Hack.—13 *Gemmarumque est* edd. eadem.

NOTÆ

Quod quidem falsum iudicium nec sine aliqua causa est, nec sine aliquo effectu: oritur quippe ex voluntaria humanæ mentis ignoratione, quæ ignoratio, crescente illo iudicio, crescentibusque adjunctis illi perturbationibus, crescit.

^v *Humanæ quippe naturæ, &c.*] Homo in hoc differt a ceteris animantibus, quod ille possit, ceteræ vero animantes non possint cogitare: quare quod ceteræ animantes 'sese ignorant,' hoc illarum 'natura' est: quod vero homo se 'ignoret,' id ejus 'vitium' est, quatenus præcipitationi et præiudicio obsecutus, ad suam mentem animo non vult attendere: unde justo Dei iudicio fit ut 'infra bestias redigatur: nolite fieri,' inquit David Psal. 31. 'sicut equus et mulus, quibus non est intellectus:' ut nimirum sui immemor, iustar bestiarum, huc feratur, quo corpus rapit.

^w *Quam vero late patet vester hic er-*

ror] Est quidem hic 'error' sive falsum iudicium, quatenus homo arbitratur, mentem suam ornari posse ornamentis alienis, videlicet pecunia, agris, gemmis, &c. 'ipsa enim quæ sunt apposita, laudantur, quod vero his tectum atque velatum in sua nihilominus fœditate perdurat:' cadavera putes pulchris condita sepulcris; stercora nivibus obducta. At ille 'error late patet,' non solum ratione multorum hominum, qui illo inficiuntur, verum etiam ratione diversorum motuum cum animi tum corporis, quorum error ille est causa: quamobrem homo hoc ipso errore non modo Deo, ut probatum est, sed et sibi ipsi facit injuriam.

^x *Ego vero nego illud esse bonum quod noceat habenti*] Hæc Philosophiæ ratiocinatio interpretatione non indiget. Quod, inquit, nocet habenti, illud habentis bonum esse non potest: bonum quippe favere debet, non no-

nissimum putat. Tu igitur, qui nunc contum,¹ s gladiumque sollicitus pertimescis, si vitæ hujus callem^r vacuus viator intrasses, coram latrone cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis!

¹ *Longum fustem.* ^r *Semitam.*

NOTÆ

cere. Atqui prædictæ divitiæ nocent habentibus, cum in aliis, tum in hoc præsertim, quod ‘pessimus quisque eoque alieni magis avidus, quicquid auri usquam gemmarumque est, se solum, qui habeat, dignissimum putat:’ sua videlicet perturbatione præsertimque avaritia occæcatus: unde per fas et nefas opibus studet acquirendis. Plautus in Captiv. Act. II. Scen. 2. ‘Odi ego aurum: multa multis suasit perperam.’

^s *Qui nunc contum, &c.*] Philosophia alludit ad hos versus Juvenal. Sat. 10. l. iv. vs. 19. ‘Pauca licet portes argenti vascula puri Nocte iter ingres-

sus, gladium contumque timebis, Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram, Cantabit vœuus coram latrone viator.’ Latro autem nunc ille dicitur, qui vias obsidens viatoribus aufert opes, sæpe etiam vitam. Nimirum latro olim erat miles conductus sive satelles, sic dictus quasi latero, quod stiparet principis sui latus. Quoniam vero ejusmodi homines sua apud Reges auctoritate abusi, viatores aggredi pecuniamque auferre non dubitabant; factum est, ut quicumque viarum obsessores, dicti fuerint latrones.

METRUM V.

FELIX nimium prior ætas,¹
Contenta fidelibus arvis,²

Ætas prima hominum priscorum erat nimis beata, contenta suis arvis fertilibus,

NOTÆ

¹ *Prior ætas*] I. Philosophia ponit discrimen inter vetera et nova tempora. Poëtis quippe quatuor sunt Mundi ætates, nempe aurea, argentea, ærea, et ferrea; quod quemadmodum ferrum ab ære, æs ab argento, argentum ab auro; sic nepotes a virtute majorum degenerant: unde Horat. l. III. Carm. Od. 6. ‘Damnosa quid non immittit dies? Ætas parentum, pejor avis, tulit Nos nequiores,

mox daturus Progeniem vitiosorem.’ Hic autem agitur de ætate aurea, quæ idcirco vocatur ‘prior:’ de qua ætate quæ nunc dicuntur, hæc maximam partem dicta fuerunt a Virgil. I. et III. Geórg. Tibullo l. I. El. 3. Lucretio l. v. Horatio Epod. Od. 16. Ovid. I. Metam. Juvenali Sat. VI. &c.

² *Contenta fidelibus arvis*] II. Philosophia tractatura de victu, nimirum cibo potnque aureæ illius sive prioris

Nec inertī perdita luxu; ^a
 Facili quæ sera solebat
 Jejunia solvere glande: ^b 5
 Nec Bacchica munera ^c norat ¹⁴

neque dissoluta intemperie ignava, quæ consuenerat, post longa jejunia, pasci glande expedita. Hi nesciebant vina, Liberi sive Bacchi dona, permiscere cum melle flui-

14 Non . . . norant Vulg. nostra est lect. cod. Thuanæi, et Flor.—15 Thuan.

NOTÆ

ætatis, incipit ab ipsa ejusmodi victus causa, nempe ab ‘arvis fidelibus,’ quibus veteres illi contenti erant. ‘Arvum’ autem, inquit Festus, ‘ager est necdum satus:’ fidele vero id dicitur, quod votis respondens, expectationem possessoris non frustratur: atqui aurea illa ætate agri nec arati nec sati idipsum præstabant. Lucret. l. v. ‘Nec robustus erat curvi moderator aratri Quisquam: nec scibat ferro molirier arva, Nec nova defodere in terram virgulta, neque altis Arboribus veteres decidere falcibu’ ramos: Quod Sol, atque imbres dederant, quod terra crearat Sponte sua, satis id placabat pectora donum.’ Ovid. l. Metam. vs. 109. ‘Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.’

^a *Nec inertī perdita luxu*] Luxus hic vitium est dissoluti animi, quod hic variis suis cogitationibus, in contrarias veluti partes distractus, instar liquoris motu evanescentis dilui videatur: ut enim a fluo est fluxus, sic a luo est luxus; unde luxuries: sic Terentio ‘adolescens’ dicitur ‘luxu perditus.’ Ille autem luxus non abs re vocatur iners: nam iners quasi sine arte generatim significat rem omnem quæ est motus expers: sicut Ovidio, ‘nec quicquam nisi pondus iners.’ Atqui ille animi luxus primum quidem cogitationes, deinde corporis ipsius humani motus rectos impedit.

^b *Jejunia solvere glande*] III. Philosophia commendans cibum prioris il-

lius ætatis, breviter notat ea, quæ nostram inter et priscam victus rationem animadverti possunt discrimina; quorum alia ad ipsa cibaria, alia ad horum modum pertinent. Primum enim nostra cibaria exquisita esse solent et arte parata: prisca erant facilia et ab ipsa natura supeditata. Deinde nostra cibaria frequenter sumuntur, et sæpius nulla instigante fame: prisca non nisi post ‘jejunia,’ eaque ‘sera,’ sive ad ultimum usque diem servata. Postremo nostra cibaria esse solent carnes, pisces, et optimum quodque fructuum terrestrium genus: prisca erant glandes, ignobile frugum vulgus; quod pluribus aliis cum Oratorum, tum Poëtarum testimoniis confirmari potest. Virgil. l. Georg. vs. 8. ‘Choniam pingui glandem mutavit arista.’ Et vs. 159. ‘Concussa que famem in sylvis solabere quercu.’ Lucretius l. v. ‘Glandiferas inter curabant corpora quercus . . . Ast odium cæpit glandis.’ Ovidius l. Metam. Fab. 3. vs. 103. ‘Contentique cibus nullo cogente creatis, Arbuteos fætus montana que fraga legebant, Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis, Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.’ Hinc primi homines vocabantur βαλανοφάγοι καὶ ὑδροπόται, glandis edaces et aquæ potores: hinc etiam communi adagio antiquitus dicebatur ἄλις δρυὸς, satis quercus.

^c *Nec Bacchica munera*] IV. Philo-

Nondum maris alta secabat,^e
 Nec mercibus undique lectis
 Nova littora viderat hospes.
 Tunc classica sæva tacebant,^f

15

procera tribuebat umbras. Nondum ullus homo scindebat navi mare profundum, neque peregrinus, opibus undequaque quæsitis, conspexerat oras ante ignotas. Tunc

NOTÆ

Eleganter rugosum ac sordidum illum vermem descripsit grande nostræ Universitatis decus Antonius Hallæus, his versibus, 'Est olli mater sanies, dat frondea nutrix' Pabula, Thysbæo Morus polluta cruore. Queis avidam ut clausus latebroso in carcere pavit Ingluviem, totoque satur jam corpore turget, Viscera tum vacuans paulatim hinc molle figurat Lanicium; illuviemque modis in tenuia miris Net fila, et teretem glomerans convolvit in orbem. Ut vero emeritus perfecit nobile pensum Exanimo similis, pretiosa ut conditus urna Hic jacet: at luci mox redditur; induit alas, Jamque avis, et vermis, neutrumque, et denique monstrum est.' Purpura autem, qua vestes sericæ tinguntur, vocatur 'venenum Tyrium: venenum quidem, quia liquor est e concha eductus, qui lanas, instar veneni viscera et venas subeuntis, ingressus has inficit: Tyrium vero, quod Tyrus urbs Phœniçæ, muricis, prædictæ conchæ, piscatu fuerit celebris. Virg. II. Geor. vs. 465. 'Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.'

^e *Nondum maris alta secabat*] VI. Philosophia commemorat aurum, quod commercio præsertim comparatur: commercium autem fit præcipue ope famulantis maris, de quo nunc agitur. Sic Lucretius I. v. 'At non multa virum sub signis millia ducta Una dies dabat exitio: nec turbida ponti Æquora lædebant naves ad saxa virosque.' Sic Tibullus I. I. El. 5. 'Nondum cœruleas pinus

contemserat undas, Effusum ventis præbueratque sinum. Nec vagus ignotis repetens compendia terris Presserat externa navita merce ratem.' Sic Ovidius I. Metam. 'Nondum cæsa suis peregrinum ut viseret orbem Montibus in liquidas pinus descenderat undas: Nullaque mortales præter sua littora norant.' Tria supersunt hic notanda vocabula, videlicet 'alta,' 'mercibus,' et 'hospes.' 'Alta maris' significant mare profundum et a terris remotius. Sic Virgil. Æn. I. vs. 38. 'Vix e conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.' Et Æneid. II. vs. 203. 'Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta.' Merx, sive, ut antiqui loquebantur, mercis, a mercando dicitur: unde rem venalem significat, eamque præsertim, quam nostri mobilem, *du meuble* vocant, qualis vendi emique solet in nundinis hinc et inde lecta. Propterea Numen, quod veteri superstitione credebatur lucro rebusque istis emendis vendendisque præesse, dicebatur Mercurius, nec aliam forte ob causam hic pingebatur sinistra virgulam, dextra sacculum nummarius tenens, nisi quod mercatores his instructi proficisci solent. Hospes denique, sive, ut primi latinitatis auctores dicebant, hostis, is est, quem nunc peregrinum dicimus, Gallice *un hoste*.

^f *Tunc classica sæva tacebant*] VII. Philosophia agit de regno, cujus obtinendi vel amplificandi causa buccinæ inflantur, arma sumuntur, mul-

Odiis neque fusus acerbis
 Cruor horrida tinxerat arma. ¹⁵
 Quid enim furor hostibus ¹⁶ ulla
 Vellet prior arma movere, 20
 Cum vulnera sæva videret, ¹⁷
 Nec præmia sanguinis ulla?
 Utinam modo nostra redirent ^g
 In mores tempora priscos!
 Sed sævior ignibus Ætnæ 25
 Fervens amor ardet habendi. ^h

cornua belli crudelia silebant, nec sanguis gravibus inimicitiis effusus, consperserat arma horrenda: quare etenim ira hostilis tentasset a primis illis temporibus tractare ullum ferrum? quandoquidem primi illi homines animadvertent fore ut infligerentur plagæ crudeles, absque mercede ulla cruoris effusi. Utinam nostra ætas nunc revertatur ad antiquum illum modum vivendi! Verum æstuans libido bonorum caducorum, asperior flammis Ætnæis, fervet apud nos. Heu, quisnam ille fuit

primus, Reg. et uterque Vict. *arra*.—16 Mss. quos sequuntur edd. Delph.

NOTÆ

tusque sanguis funditur. Classica igitur, quasi calassica, ab antiquo calo, voco, inquit Isidorus l. XVIII. c. 4. sunt cornua, quæ convocandi causa erant facta: quemadmodum classis ab origine eadem dicta, eam significat hominum multitudinem, quæ sive mari sive terra, sive domi sive militiæ, signo aliquo solet convocari: sic nostræ etiam scholæ, quod sint coetus discipulorum convocati, vulgo classes appellantur. Hic autem classica sunt signa militiæ, ut apud Virgil. Georg. II. vs. 538. 'Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat, Necdum etiam audierant inflari classica, necdum Impositos duris crepitare incudibus enses.' Cruor vero sanguis est, non solum qui corde ruit, sicut quibusdam placet, (quandoquidem sanguis omnis e corde egressus ruit,) sed qui extra venas effusus ut quiescit sic friget: cruor quippe dicitur a κρύος frigus: unde κρυερὸς frigidus. Quod cum horrorem incutere soleat, sanguis propterea et 'acerbis' duntaxat

'odiis fundi, et fusus arma, quæ tingit, facere horrida' nunc perhibetur: propterea etiam nemo, sanguinis fundendi gratia, 'arma primum voluerit movere,' nisi aliquod videatur sanguinis fundendi 'præmium;' ut nunc dicitur, non fuisse in illa priori ætate aurea. Ovid. Metam. I. 'Non galeæ; non ensis erat, sine militis usu: Mollia securæ peragebant otia gentes.' Scilicet ut canit Lucretius l. v. 'Sic aliud ex alio peperit discordia tristis, Horribile humanis quod gentibus esset in armis: Inque dies belli terroribus addidit augmen.'

^g *Utinam modo nostra redirent, &c.]* Ita quidem prior ætas moderata fuit circa victum, vestitum, aurum, et regnum: sed nostra in his omnibus cupiendis nullum videtur modum tenere: hinc minus felicem vitam ducimus, justissimūque est illud Philosophiæ votum.

^h *Sævior ignibus Ætnæ Fervens amor ardet habendi]* Mens quippe humana, hinc sui suæque perfectionis amans;

Heu, quis primus¹⁸ fuit ille¹
 Auri qui pondera tecti,^k
 Gemmasque latere volentes,¹

omnium primus, qui eruit pondera auri absconditi, et gemmas abscondi natas; quæ

~~~~~

et Hack. *hosticus ulla.*—17 *viderent* edd. eædem, quæ etiam—18 *primus quis* legunt.

#### NOTÆ

inde vero suæ tenuitatis conscia naturaliter, non modo suum corpus, sed externas etiam res amore prosequitur, adeo ut ex se ceterisque ejusmodi rebus quædam sibi videatur fieri societas, cujus ipsa sit pars non ultima. Hinc ceteris hisce rebus studet aut conservandis, si habeat, aut comparandis, si iisdem careat; ita ut si contingat, hanc aliqua ejusmodi rerum aut possessione aut spe spoliari, veluti de parte suæ societatis detracta doleat, magis aut minus, prout pars illa pluris aut minoris habebatur. Nec immerito amor ille nunc dicitur ‘ignibus Ætnæ sævior:’ nam Ætna mons Siciliæ, vulgo *mont Gibel*, perpetuo clarus incendio, frequentique strage a poëtis celebratus. Virgil. *Geor.* I. vs. 472. ‘Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam, Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.’ Illa autem perturbatio, quæ non minus perennis est, quam ignis Ætnæus, longe plures gravioresque inducit calamitates. Virgil. *Æn.* VIII. vs. 324. ‘Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuere Sæcula: sic placida populos in pace regebat: Deterior donec paulatim ac decolor ætas Et belli rabies et amor successit habendi.’ Ovid. *Metam.* I. vs. 128. ‘Protinus erupit venæ pejoris in ævum Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque; In quorum subiere locum fraudesque, dolique, Insidiæque, et vis, et amor sceleratus habendi.’

<sup>1</sup> *Quis primus fuit ille*] Elegans lo-

cutio ad significandam vim prædictæ perturbationis. Sic Tibullus l. I. El. 10. ‘Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?’ Sic Horatius *Carm.* l. I. Od. 3. ‘Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus, nec timuit præcipitem Africum Decertantem Aquilonibus, Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.’

<sup>k</sup> *Auri qui pondera tecti*] Recte aurum suo notatur pondere, non solum quia aurum omnium metallorum est gravissimum, sed etiam quia est omnium præstantissimum: recte quoque aurum dicitur tectum, præsertim inventori, de quo nunc agitur; siquidem aurum intra viscera terræ inclusum formatur.

<sup>1</sup> *Gemmasque latere volentes*] In gemmis, utpote quæ cogitationis sunt expertes, neque voluntas est, neque ullus appetitus: sed si gemmarum originem naturamque advertas attentius, has credideris ‘velle latere.’ Primo quidem gemmæ sua origine videntur ‘velle latere:’ hæ enim oriuntur in locis abditis, in aquis scilicet et in terra, ubi instar vitri liquescunt primum, deinde in fragilitatem duratæ perlucet. Secundo eædem gemmæ sua natura videntur ‘velle latere:’ hæ enim aut transmisso lumine pellucet, aut remisso eodem lumine relucet. Si pelluceant, hæ aëra, quem spiramus, referentes, minus sunt aspectabiles. Si vero reluceant, eædem oculorum aciem ita perstringunt, ut fixis oculis undique

Pretiosa pericula<sup>m</sup> fodit?

30

*ambo sunt pericula cara?*

## NOTÆ

non possint aspici.

▪ *Pretiosa pericula*] Aurum et gemmæ pretiosa quidem sunt, saltem propter illud, quod homo de his habet præjudicium. At sunt pericula, non modo quamdiu inclusa latent in natali sede, ex qua non sine magno

fodientis periculo potest erui; sed etiam postquam effossa ab hominibus aut tenentur, aut quærentur: quippe quæ ut corpori sic menti mortem sæpius afferunt. Virg. *Æn.* III. vs. 57. 'Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames!'

## PROSA VI.

QUID autem de dignitatibus, potentiaque<sup>n</sup> disseram, quas vos, veræ dignitatis ac potestatis inscii, cœlo exæquatis? Quæ si in improbissimum<sup>o</sup> quemque ceciderint,

• *Ad cœlum usque laudando attollitis.*

## NOTÆ

▪ *De dignitatibus, potentiaque*] Dignitates et potentia sive potestas hic conjunguntur: quoniam non differunt nisi nomine: 'Dignitas,' autem, inquit Tullius II. de Inv. est 'alicujus honesta auctoritas, quæ cultu, honore, et verecundia, digna est.' Nimirum Dignitas dicitur a digno: dignus, sive ut Veteres scribebant dicnus, a nomine Græco *δίκη*, jus, ut dignus sit ille, cui æquum est obsequi: cum autem homo homini sit par, æquum non potest esse hominem homini obsequi, nisi Deo, omnium hominum conditore et rege, jubente: hinc omnis dignitas ita a Deo est, ut Regi magistratibusque imperantibus, tanquam personis vices Dei gerentibus, subditi teneantur obsequi: Joannis 19. 'non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset

desuper.' 'Omnis anima,' inquit Apostolus ad Rom. 13. 'potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,' &c. Dignitas ergo, sive potestas, est quædam veluti forma, quæ propterea spectari potest ex parte Potentis, ex parte Subditi, et ex parte proprietatis, quæ Philosophis minus Latine loquentibus dicitur 'effectus formalis:' atque ex triplici hoc capite Philosophia deinceps probabit non solum divitias, de quibus jam egit, sed ipsam etiam Potentiam non ita habere rationem boni, ut, qui his carnerit, ille propterea habendus sit infelix.



quæ incendia flammis *Ætnæ* eructantibus,<sup>19</sup> quod diluuium<sup>20</sup> tantas strages dederit? <sup>o</sup> Certe, uti meminisse te arbitror, consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam Consulium vestri veteres abolere cupierunt: <sup>1</sup> qui ob eandem superbiam prius regium de civitate nomen abstulerant. At, si quando, quod perrarum est,<sup>2</sup> probis honores deferantur, quid in eis aliud, quam probitas utentium, placet? Ita fit, ut non virtutibus ex dignitate,

<sup>1</sup> *Ignē voraciores.*

<sup>2</sup> *Aquā rapidiores.*

19 <sup>o</sup> *Quæ flammis Ætnæ eructantibus.* Ea lectio fuit veterum omnium codicum, quæ et vera est: tantum pro *Ætnæ* legendum est, *Ætna.* Vallin. *Quæ flammis* Delphi. Hack.—20 *Dederint* edd. eædem.—1 Vict. secundus *cupiverunt.* Thuan. primus, et Reg. *cupivere.*—2 Ms. Erfurt. omittit voculam

#### NOTÆ

<sup>o</sup> *Quæ si in improbissimum*] 1. Philosophia agit de viro potente, sive, ut aiunt Philosophi, de subjecto potestatis. Potens autem ille recens factus vel improbus est, vel probus. Si improbus fuerit, tantum abest, ut hic accedente potestate melior fiat, ut potius, instar ignis vehementissimi, et aquæ rapidissimæ, idem magnas strages edat, abusus nimirum sua auctoritate: testes sunt Reges Consulesque Romani. Si autem fuerit probus, non propter potestatem probitas hujus; sed propter probitatem, potestas laudatur: verum ad intelligendum id, quod nunc dicitur de Regibus et Consulibus Romanis, aliquid dicendum de imperio, et de varia ejus forma apud Romanos. Imperium, Græcis *πολιτεία*, auctore Lipsio l. II. Polit. cap. 1. 'est certus ordo in jubendo, et parendo. Triplex est,' inquit, 'Principatus, Optimatum, et Populi status. Miscentur inter se, fateor, et remittuntur aut intenduntur: sed sic ut propendeat et præponderet semper aliqua pars, a qua jure ei nomen.' Principatus est imperium unius, qui propterea vocatur Rex aut Princeps. Status Optimatum est imperium plurium, qui quod

virtute ceteris videntur præstare, electione adipiscuntur magistratus. Status denique Populi est imperium plurium, qui sorte solum magistratus obtinent. Has omnes Imperii formas experti sunt Romani. Primum enim habuerunt Reges, quorum 'postremus,' inquit Florus l. I. c. 7. 'fuit Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit, quam expectare, immissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat.' Deinde habuerunt Consules: nam inquit idem cap. 9. 'Bruto Collatinoque ducibus, et auctoribus, quibus ultionem sui moriens matrona mandaverat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiae decus, quodam quasi instinctu Deorum concitatus, Regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen et jure et nomine. Quippe ex perpetuo annum placuit, ex singulari duplex: ne potestas solitudiue vel mora corrumpetur: Consulesque appellavit pro Regibus, ut consulere se civibus suis debere me-

sed ex virtute dignitatibus honor accedat. Quæ vero est ista vestra expetibilis <sup>v</sup> ac præclara potentia? <sup>p</sup> Nonne, o terrena animalia, <sup>w</sup> consideratis, quibus præsidere videamini? Nam si <sup>3</sup> inter mures videres unum aliquem jus sibi ac potestatem præ ceteris vindicantem, <sup>4</sup> quanto <sup>x</sup> movereris cachinno! Quid vero, si corpus spectes, imbecillius homine <sup>q</sup> reperire queas, quos sæpe <sup>5</sup> musculorum <sup>y</sup> <sup>6</sup> quoque vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus? Quo vero quisquam jus aliquod in quempiam, nisi in

<sup>v</sup> *Desiderabilis.*      <sup>w</sup> *Homines.*      <sup>x</sup> *Quantum videres.*      <sup>y</sup> *Muscarum vel minimarum.*

*est.*—3 Thuan. primus, Reg. et uterque Vict. *Nunc si.*—4 Ms. et edd. Flor. Delph. Hack. *vindicantem.*—5 Ms. Rittersh. *imbecillius in homine reperire queas, quod sæpe.*—6 *Muscularum* Delph. Hack. Vid. infra.—7 Thuan. pri-

## NOTÆ

minissent.’ Denique ut imperii Romani forma ab Regibus ante ad Consules venerat, sic, auctore Livio, iterum mutatur ab Consulibus ad Decemviros. Scilicet crescente prædictorum Consulium superbia, aut potius nondum domita illa populi Romani, quæ ex pastoribus originem duxerat, feritate, tandem aliquando Consulibus successerunt Decemviri, qui quod multa tyrannice agerent, damnati sunt, eorumque potestas tertio ex quo in Rempublicam introducta fuisset anno sublata est.

<sup>p</sup> *Quæ vero est ista . . . præclara potentia]* II. Philosophia tractat de subditis, sive de materia circa quam prædicta potestas exerceri potest: quod Philosophis vocari solet objectum potentiæ. Subjecta autem illa potentiæ materia neque absolute subest Potenti, neque tanta est, ut propterea potentia sit maximi facienda. Non, inquam, materia illa absolute subest Potenti: quandoquidem omnes homines, utpote ab eadem causa et propter eundem finem conditi, ita sunt pares, ut seclusa

divina voluntate, qua alii aliis præsumunt, non minus sit ridiculum hominem sibi arrogare auctoritatem in alios, quam si mus in murem suum videres exercere imperium: quod hic dicitur. At hæc subjecta materies tanta non est: licet enim subditus ex mente et corpore constet, non secus ac vir Potens, tamen, sicut Potens suam non exercet potentiam, nisi corpore, verbo nimirum, aut facto, sic homo viro Potenti non subest nisi corpore: quemadmodum Christus docuit Lucae 12. ‘Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant:’ posse autem in corpus humanum tanti non est: partim quia corpore humano nihil imbecillius; partim etiam quia quod superior potest in corpus inferioris, id ipsum inferiori esse potest materia virtutis; aut injuria tamen potest inferior in ipsum superioris corpus exercere.

<sup>q</sup> *Quid vero, si corpus spectes, imbecillius homine]* Primum enim corpore humano imbecillius nihil reperiri potest: quandoquidem musca, exigua



solum corpus, et quod infra corpus est, fortunam loquor, possit exercere? Num quicquam unquam libero<sup>7</sup> imperabis animo? Num mentem firma sibi ratione cohærentem de statu propriæ quietis amovebis? Cum liberum quendam virum<sup>\*†</sup> suppliciiis se tyrannus adacturum putaret ut adversum se factæ conjurationis conscios proderet, linguam ille momordit atque abscidit, et in os tyranni sævientis abjecit: ita cruciatus quos putabat tyrannus materiam crudelitatis, vir sapiens fecit etiam virtutis.<sup>8</sup> Quid autem est, quod in alium<sup>9</sup> quisquam facere possit,<sup>9</sup> quod sustinere ab aliò ipse non possit? Busiridem accepimus,<sup>10</sup> necare hospites solitum, ab Hercule hópite fuisse mactatum. Regulus plures Pœnorum<sup>a</sup> bello captos in vincula conjecerat: sed mox ipse victorum catenis manus præbuit.<sup>b</sup> Ullamne igitur ejus hominis potentiam putas qui

\* Zenonem, ut quidam aiunt; Anaxarchum, ut alii.

<sup>a</sup> Carthaginensium.

<sup>b</sup> Ab ipsis victis in vincula coniectus est.

mus: Num quid unquam. Vict. uterque: Num quidquam libero.—8 Mss. et edd. Flor. Delph. Hack. fecit esse virtutis.—9 Ms. Erfurt. et edd. prædictæ facere potest.—10 Accipimus Delph. Hack.—11 Improbissimum quemque edd.

#### NOTÆ

um animal, humano corpori mortem afferre potest, sive pungendo: sicut apes, præsertim vero crabrones vulgo froilons: Virg. iv. Geor. vs. 236. 'Illis ira modum supra est, læsæque venenum Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt:' sive etiam viscera subeundo, ut cantharides, de quibus Cicero Epist. l. 9. Ep. 21. 'Caius,' inquit, 'accusante L. Crasso cantharidas sumsisse dicitur.' Notari possunt hic duo hæc nomina, 'expetibilis' et 'muscularum,' quorum testem Latinum non novi: mihi diceretur desiderabilis et muscarum. Tu videris.

<sup>†</sup> Cum liberum quendam virum, &c.] Deinde cruciatus, quos superior in corpus inferioris exercet, quædam

esse possunt materia virtutis: sicut contigit Anaxarcho philosopho, Democriti sectatori, de quo nunc Philosophia mentionem facit. Anaxarchus enim ille, ut ait Cicero II. Tuscul. cum in manus Cyprii Nycareontis Regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est, neque recusavit. Hic autem in pilam saxeam coniectus, ibique ferreis malleis contusus, tunde, inquit, tunde Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis: Tyranno porro amputationem linguæ minitante, linguam dentibus abscissam in tyrannum expuit.

<sup>9</sup> Quid autem est, quod in alium, &c.] Postremo quod superior potest in corpus inferioris, idipsum non raro inferior in corpus superioris potest: cujus rei multa sunt exempla: memi-

quod ipse in alio potest, ne id in se alter valeat, efficere non possit? Ad hæc,<sup>c</sup>† si ipsis dignitatibus ac potestatibus in-esset aliquid naturalis ac proprii boni,<sup>d</sup> nunquam pessimis provenirent. Neque enim sibi solent adversa sociari. Natura respuit ut contraria quæque jungantur. Ita cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona<sup>e</sup> non esse quæ se pessimis hæerere patiantur. Quod quidem de cunctis fortunæ muneribus dignius existimari potest, quæ ad improbissimum quenquam<sup>11</sup> uberiora proveniunt.<sup>12</sup> De quibus etiam illud considerandum puto, quod nemo dubitat esse fortem cui fortitudinem inesse conspexerit: et cuicumque velocitas adest, manifestum est esse velocem. Sic musica quidem musicos, medicina medicos, rhetorica rhetores facit. Agit enim cujusque rei natura quod proprium est: nec contrariarum rerum miscetur effectibus, sed ultro<sup>13</sup> quæ sunt

<sup>c</sup> *Præterea.*    <sup>d</sup> *Hæc.*    <sup>e</sup> *Secundum suam naturam.*

ædem.—12 Vict. secundus: *perveniant.*—13 *Et ultro* vulg. Mss. *sed ultro*:

#### NOTÆ

nit Philosophia Busiridis et Reguli. Busiris, Neptuni ex Libya Epaphi filia natus, crudelissimus fuit Ægyptiorum tyrannus: hic enim hospites suos Jovi immolabat, ne illi quidem vati, a quo id consilii acceperat, parcens: sed cum easdem insidias Herculi pararet, ab eodem Hercule, una cum Amphidamante filio, præcone Chalbe, et ministris, ad ipsas aras interfectus est. Virg. III. Georg. vs. 4. 'Quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras?' Claudian. Carm. III. vs. 254. 'O mites Diomedis equi! Busiridis aræ Clementes!' Idem Carm. XVIII. vs. 159. 'Sic multos fluvio vates arente per annos, Hospite qui cæso monnit placare Tonantem, Inventas primus Busiridis imbuit aras, Et cecidit sævi, quod dixerat, hostia sacri.' Regulus vero Consul, qui, ut ait Plinius, fuis

Salentinis triumphavit, primusque Romanorum ducum in Africam classem trajecit, ab ipsis Carthaginensibus, (quos hic Philosophia vocat Pœnos,) quos vicerat, resectis palpebris interfectus est.

† *Ad hæc, &c.*] III. Philosophia, consideratis 'subjecto' et 'objecto,' transit ad 'effectum formalem' Potentiæ; quemadmodum loquuntur Philosophi. Sic autem contrahi potest hæc ipsius Philosophiæ ratiocinatio. Quicquid natura sua bonum est, illud habentem facit bonum, atque adeo ab eodem contrarium malum fugat: 'agit enim cujusque rei natura quod proprium est, nec contrariarum rerum miscetur effectibus, et ultro, quæ sunt adversa, depellit:' sic 'fortitudo fortem;' 'velocitas velocem;' 'musica musicum;' 'medicina medicum;' 'rhetorica rhetorem



adversa, depellit. Atqui nec opes<sup>u</sup> inexpletam restinguere avaritiam queunt: nec potestas sui compotem fecerit quem vitiosæ libidines insolubilibus astrictum retinent catenis. Et collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius, et ostentat indignos. Cur ita provenit?<sup>f v</sup> Gaudetis enim sese res aliter habentes falsis compellare nominibus,<sup>14</sup> quæ facile ipsarum rerum redarguuntur effectu: itaque nec illæ divitiæ,<sup>w</sup> nec illa potentia, nec hæc dignitas jure appellari potest. Postremo idem de tota fortuna concludere<sup>15</sup> licet, in qua nihil expetendum, nihil nativæ<sup>g</sup> bonitatis<sup>x</sup> inesse manifestum est: quæ nec se bonis semper adjungit; et bonos quibus fuerit adjuncta non efficit.

*f* Cur res ita se habet?      *g* Propriæ.



rectius, censente Sitzm.—14 Ms. Rittersh. *appellare nominibus*.—15 *Concludere fortuna* Delph. Hack.

#### NOTÆ

facit.’ Atqui non solum Potentia, de qua nunc agitur, sed etiam cuncta fortunæ munera, habentem non faciunt bonum, nec ab eo contrarium malum fugant: ‘cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit;’ et ‘cuncta fortunæ munera ad improbissimum quemque uberiora proveniant.’

<sup>u</sup> *Atqui nec opes, &c.*] Quinetiam prædicta fortunæ bona nequidem illud, cujus speciem nomenque in primis gerunt, præstare videntur: cum neque divitiæ divitem, neque potestas potentem, neque dignitas dignum faciat. Non quidem divitiæ faciunt divitem: quia hæc ‘inexpletam restinguere avaritiam nequeunt:’ quippe quæ avaritia crescentibus divitiis crescit: ita ut copia faciat inopem. Non etiam potestas potentem facit: quoniam hæc eum quem potentem dicunt, utpote ‘quem’ sæpius ‘vitiosæ libidines insolubilibus astrictum

retinent catenis,’ sui compotem non facit. Non denique dignitas dignum facit: siquidem ‘dignitas improbis collata, non modo non efficit dignos, sed prodit potius, et ostentat indignos.’ Juvenal. Sat. VIII. vs. 140. ‘Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.’

<sup>v</sup> *Cur ita provenit*] IV. Philosophia ex dictis concludit, prædicta male cum peculiari, tum etiam generali nomine ab hominibus donari: ‘gaudetis,’ inquit, o homines, ‘res sese aliter habentes falsis compellare nominibus, quæ facile ipsarum rerum redarguuntur effectu.’

<sup>w</sup> *Nec illæ divitiæ, &c.*] Primum enim prædicta male peculiari suo nomine donantur: quandoquidem quæ vocantur divitiæ, potentia, et dignitas, contrariis potius nominibus, ut dictum est, notari deberent.

<sup>x</sup> *Nihil expetendum, nihil nativæ bo-*

## NOTÆ

*nitatis, &c.*] Deinde vero prædicta adjungant, nec eos, quibus fuerint male quoque generali nomine vocantur bona: 'cum nec se bonis semper adjuvata, bonos efficiant,' sicut etiam dictum est.

## METRUM VI.

NOVIMUS<sup>y</sup> quantas dederit ruinas,  
Urbe<sup>z</sup> flammata, patribusque cæsis,

*Scimus, quam magnas strages Nero fecerit, qui Roma accensa, Senatoribus inter-*

## NOTÆ

<sup>y</sup> *Novimus*] Neminem quippe latet, et, ut ait Horat. i. Serm. 7. 'Opinor Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.'

*Quantas dederit ruinas*] Nero. Hic Romanis imperavit anno a nativitate Christi circiter quinquagesimo septimo. Quamdiu Senecæ, cujus præceptis instructus fuerat, consiliis usus est, tandiu optimus habitus est imperator. At, præceptore remoto, in omnia probra ac dedecora lapsus est: suæ quippe dignitatis inmemor, inaudita dedit infamiæ, luxus, avaritiæ, et crudelitatis argumenta. Primum enim in scenam non tragædus modo, verum etiam citharædus prodit. Deinde nullam vestem bis induit; nunquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis quidem mulorum argenteis; aureo rete, purpura coccoque funibus nexis piscabatur. Præterea omnium opibus iulians, solus optabat videri dives. Postremo Romæ, quam incendi jusserat, culpam pœnamque transtulit in Christianos, quorum Principes Petrum et Paulum Apostolos morte mulctavit: quin Senecam magistrum; Antoniam amitam; Britannicum fratrem; Octaviam conjugem; Agrippinam ma-

trem; seipsum tandem, dignum tantæ crudelitatis facinus, interfecit. Vide Suetonium l. vi. Præcipua hujus tyranni facinora deinceps exponuntur.

<sup>z</sup> *Urbe*] Urbs est oppidum muro cinctum. Sic vocatur, inquiunt, ab 'orbe,' quod urbem condituri, taurum et vaccam futuræ fœcunditatis spe jungere solerent, et aratro circumducto designare sulcum, intra quem urbem ædificarent. Sed, quod inter omnia oppida mœnibus cincta Roma quondam principem locum obtinuerit, idcirco Roma κατ' ἔξοχὴν Urbs dicta fuit, iudice Quintiliano. Virg. Ecl. i. vs. 20. 'Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus Pastores ovium teneros depellere fœtus . . . Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi.'

*Flammata*] Pars accipitur pro toto: non enim integra Roma flammis absumpta fuit, sed ea tantum urbis istius pars quæ obscœnis ædibus videbatur informis; quam per ludam accendit Nero, ut Trojæ repræsentaret incendium. 'Per sex dies,' inquit Suetonius l. vi. 'septemque noctes ea



Fratre qui quondam ferus interemto,<sup>a</sup>  
 Matris effuso maduit cruore,<sup>b</sup>  
 Corpus et visu gelidum pererrans,<sup>c</sup>  
 Ora non tinxit lacrymis, sed esse

5

*fectis, et fratre occiso, olim immanis, fuit tinctus sanguine suæ matris, quam ipse occidit, et lustrans oculis cadaver frigidum matris, non rigavit genas ullis fletibus;*

## NOTÆ

clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsa. Tunc, præter immensum numerum insularum, domus priscorum dum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ; Deorumque ædes ab Regibus ac deinde Punicis ac Gallicis bellis vota dedicatæ, et quicquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat.

*Patribusque cæsis*] ‘Stella enim crinita,’ inquit Suetonius, ‘quæ summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cæperat. Anxius ea re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere Reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita Procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit. Constat quosdam cum pædagogis et capsariis uno prandio pariter necatos; alios diurnum victum prohibitos quærere. Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi: quoscumque libuisset, quacumque de causa,’ &c.

<sup>a</sup> *Fratre . . . interemto*] Britannico scilicet, quem Claudius ex Messalina, ut Neronem ex Agrippina suscepit, quemque ut ait Suetonius, ‘non minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est: et cum ad primum gustum concidisset, comitali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translatus ex-

tulit funere.’

<sup>b</sup> *Matris effuso . . . cruore*] ‘Matrem dicta factaque sua exquirentem acerbius et corrigentem,’ ait idem Suetonius, ‘ita gravabatur ut minis ejus ac violentia territus hanc perdere statuerit. Et cum veneno pertentasset sentiretque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu super dormientem, laxata machina, deciderent, paravit, quod, pluraque alia, cum videret votis non respondere, pugione matrem occidit: unde illi versus: Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.’

<sup>c</sup> *Corpus et visu gelidum pererrans*] ‘Adduntur’ prædictis ‘atrociora,’ inquit Suetonius, ‘nec incertis auctoribus,’ Neronem scilicet ‘ad visendum interfectæ matris cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse.’ Hinc nunc dicitur ‘censor extincti decoris,’ quod quemadmodum censor de uniuscujusque facultatibus facere solebat, Nero singulas materni corporis partes lustrare, et de singulis sententiam ferre non dubitaverit; non lacrymatus, quod mirum: conscientia enim illa, qua confessus est exagitari se veluti verberibus Furiarum ac tædis ardentibus, quaque agente sitis prædicta oborta fuit, eundem ad lacrymas fundendas cogere debuisset: sed vox conscientiæ tunc propter majorem perturbationis impetum, credo, ab ipso vix audiebatur.

Censor extincti potuit decoris.  
 Hic tamen<sup>d</sup> sceptro populos regebat  
 Quos videt condens radios sub undas  
 Phœbus, extremo veniens ab Ortu ; 10  
 Quos premunt septem gelidi triones ;  
 Quos Notus sicco violentus æstu  
 Torret, ardentem recoquens arenas.  
 Celsa num tandem valuit potestas<sup>e</sup>  
 Vertere insani<sup>16</sup> rabiem Neronis ? 15

*at non erubuit esse censor majestatis interemtæ. Nihilominus hic tyrannus moderabatur imperio gentes, quas Sol oriens occidensque cernit, quas septem triones urgent suo frigore, quasque Auster calore arido vehemens urit, magis ac magis coquens arenas ferventes. An porro potentia sublimis potuit mutare furorem Neronis*

16 Mss. et ed. Norimb. *Vertere pravi.*

## NOTÆ

<sup>d</sup> *Hic tamen, &c.]* Scelestissimus tamen ille Nero, utpote Romanorum Imperator, populos ab Ortu ad Occasum, et a Septemtrione ad Austrum regebat. Nimirum Romanum imperium longe lateque diffusum ad quatuor præcipuas Mundi partes, Ortum, Occasum, Septemtrionem, et Meridiem pervenerat: unde Virg. *Æn.* vi. vs. 782. ‘En, hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma Imperium teris, animos æquabit Olympo . . . Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis, Augustus Cæsar, Divum genus: aurea condet sæcula qui rursus Latio, regnata per arva Saturno quondam: super et Garamantas et Indos Proferet imperium: jacet extra sidera tellus, Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.’ Hæ autem quatuor Mundi partes hic optime notantur: Ortus quidem et Occasus, ‘Phœbo qui veniens ab extremo Ortu, condit radios sub undas:’ Sic Virg. *i. Georg.* vs. 438. ‘Sol quoque et exoriens, et cum se condet in undas, Signa dabit: Solem certissima

signa sequentur.’ Septemtrio vero et Meridies, ‘Septem trionibus et Noto torrente arenas:’ nam ‘Septem triones’ sunt constellatio borealis, quæ vulgo ‘major ursa’ dicitur, quæque ex septem præcipuis stellis constans, referre videtur plaustrum, boves trahentes, et bubulcum ducentem: boves quippe ab officio olim dicebantur teriones, quia solum terunt, aut terriones, quia terram arant, aut striones, quia striam faciunt. Notus autem ventus est a Meridie flans, qui ideo cum magno calore conjunctus dicitur.

<sup>e</sup> *Celsa num tandem valuit potestas]* Hoc præsertim Neronis exemplo probatur potestas habentem non efficere meliorem, quod præsens est Philosophiæ institutum: si qua enim magna unquam fuerit inter homines potestas, quæque adeo potuerit potentem reddere meliorem, hæc fuit potestas Neronis, quippe qui universum terrarum orbem imperio suo regebat; hæc tamen potestas, quanta quanta fuit, ‘insani Neronis rabiem non potuit vertere.’ Rabies proprie morbus



Heu gravem sortem,<sup>f</sup> quoties iniquus  
Additur sævo gladius veneno !

*amentis? O miseram hominum conditionem, quando auctoritas injusta conjungitur cum crudelitate fera!*

## NOTÆ

caninus, quo scilicet canis huc illucque raptus obvia quæque aggreditur: sic Nero omnium tyrannorum crudelissimus.

<sup>f</sup> *Heu gravem sortem*] Sic Virgil. *Æneid.* VII. vs. 293. dixit: 'Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris Fata Phrygum!' Sic optime dicitur: 'O me perditum! Pro Deum atque hominum fidem!'

*Quoties iniquus Additur sævo gladius veneno*] Quoties potestas iniqua cum crudeli voluntate reperitur conjuncta! nam signum hic accipitur pro re significata. Sic proverbii instar dici solet: 'Gladium acutum avertas:' 'Ne puero gladium,' ut ostendatur potestas iis, quibus noceat, non esse committenda.

---



---

 PROSA VII.

TUM ego,<sup>h</sup> Scis, inquam, ipsa<sup>g</sup> minimum nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam: sed materiam gerendis rebus optavimus, quo ne<sup>i</sup> virtus tacita consenes-

<sup>h</sup> *Boëthius.*

<sup>i</sup> *Ut non.*

## NOTÆ

<sup>g</sup> *Scis, inquam, ipsa*] I. Quidem Boëthius testatur Philosophiam, utpote consciam omnium cogitationum quas Boëthius habuerit, de modo quo Boëthius ipse ad dignitates pervenerit, aitque se 'optasse materiam gerendis rebus, non ambitione, sed ne virtus tacita consenesceret.' Ambitio et ambitus ab eadem origine procedunt, nimirum ambe circum, et itio itusque a verbo eo: quamobrem de corporibus primum, postea de mentibus propter quandam similitudinem dicuntur. Ambitus sive ambitio in corporibus est locus duorum pedum et semipedis, quo interjecto vicina ædificia ad circumeundi facultatem

inter se distant: in mentibus vero est circumducta quædam cogitationum primum, deinde verborum factorumque series ad consequendum honorem. 'Hæc erit ambitio,' inquit Tertullianus de Hab. Mul. c. 4. 'unde et nomen ejus interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambiente, nascatur, ad gloriæ votum.' Hanc ambitionem Boëthius ait sibi nunquam fuisse dominatam. Verum cum virtus in bona præsertim versetur cogitatione, quam ceteri homines non vident, quamque tamen aliquando decet ceteros homines cognoscere; Matth. 5. 'Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra

ceret. Et illa: <sup>k</sup> Atqui <sup>l</sup> hoc unum est <sup>h</sup> quod præstantes quidem natura mentes, sed nondum ad extremam manum virtutum perfectione perductas <sup>m</sup> allicere possit, gloriæ scilicet cupido, et optimorum in Rempublicam fama meritorum: quæ quam sit exilis et totius ponderis vacua,<sup>17</sup> sic considera. Omnem terræ ambitum,<sup>n i</sup> sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti,<sup>k</sup> ad cœli spatium,<sup>o</sup> puncti constat obtinere rationem: id est, ut si <sup>p</sup> ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsus habere judi-

<sup>k</sup> Philosophia. <sup>l</sup> Inquit. <sup>m</sup> Perfecta virtute præditas. <sup>n</sup> Circum-  
 scriptionem. <sup>o</sup> Magnitudinem. <sup>p</sup> Terra.



17 *Vacua ponderis* edd. Delph. Hack.—18 *Uterque Thuan. et Reg. quæ a*

## NOTÆ

bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est;’ propterea putavit Boëthius sibi ‘optandam materiam gerendis rebus, ne virtus tacita consenesceret.’

<sup>h</sup> *Hoc unum est, &c.*] II. Philosophia respondet hac fama duci mentes, quæ natura videntur præstare, sed quæ perfecta virtute nondum præditæ sunt. Præstant quidem natura illæ mentes: quoniam corporum, quibus junguntur, motibus, instar voluptariarum, non obsequuntur. At eædem mentes nondum perfecta virtute sunt præditæ: nam Matt. 6. ‘Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est:’ unde Apostolus ad Gal. I. ‘Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.’

<sup>i</sup> *Omnem terræ ambitum, &c.*] III. Philosophia addit, famam hanc flocci faciendam esse propter breviores loci, quo contineri possit, angustias. Nimirum cum fama hæc nihil sit aliud, quam optima alterius hominis in tua merita cogitatio, dictio, aut actio; propterea fama hæc latius diffundi

non potest, quam hominum sic cogitantium, loquentium, et agentium genus. Atqui illud hominum genus angustissimis coarctatur loci limitibus: non enim diffunditur ultra terram, quæ collata cum cœlo instar puncti est: non ultra terram habitabilem, quæ est quarta duntaxat pars illius puncti: non ultra eam hujus quartæ partem, in qua mores nostri vigent: non denique ultra eam morum nostrorum portionem, ad quam tuum nomen tuaque merita pervenerint, quæ quam sit exigua ex eo poteris conjicere, quod ipsum Romanum nomen, quod tamen longe tuo celebrius est, pluribus ignotum sit, quam notum ejusmodi terræ portionibus: quæ quidem omnia seorsum probanda sunt.

<sup>k</sup> *Astrologicis demonstrationibus accepisti*] Primum quidem globus ex terra et aqua constans, non modo cum extrema ora ac determinatione cœli, sed etiam cum illo cœlesti, cui stellæ fixæ inhærere vulgo cogitantur, orbe collatus instar puncti ad sensum se habet: quia cum punctum, auctore Euclide, dicatur illud, cujus pars nulla est, ideo ille orbis instar



cetur. Hujus igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta fere portio<sup>1</sup> est, sicut Ptolemæo probante didicisti, quæ a nobis<sup>18</sup> cognitis animantibus incolatur.<sup>2</sup> Huic quartæ,<sup>3</sup> si quantum maria<sup>m</sup> paludesque premunt, quantumque siti vasta regio distenditur,<sup>5</sup> cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti atque conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificentumque gloria, tam angustis exiguisque limitibus arctata? Adde quod hoc ipsum brevis habitaculi septum plures incolunt nationes,<sup>n</sup> lingua, moribus, totius vitæ ratione distantes: ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diversitate, tum commercii insolentia, non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem pervenire queat. Ætate denique Marci

<sup>1</sup> Quæ habitetur ab iis animalibus, quæ a nobis cognoscantur.

<sup>r</sup> Portioni.

<sup>5</sup> Loca deserta patent.



nobis. Vict. secundus: quæ nobis cognitis ab animalibus.—19 Uterque Thuan.

#### NOTÆ

puncti se habebit, cujus diametri im-  
motæ utraque extremitas et medium  
ab uno extranei alterius globi puncto  
æqualiter distabunt: iste quippe glo-  
bus simplex videbitur et cujuscumque  
partis expertus. Atqui prædictus terræ  
et aquæ globus cum prædicto stella-  
rum fixarum orbe comparatus ita se  
habebit: cogita enim diametrum hu-  
jus terrestri globi, quæ a nostris pe-  
dibus ad antipodas per centrum du-  
catur, quo spatio observabimus a  
nostris, eodem observabunt antipodes  
a suis pedibus distare stellas fixas, et  
utriusque videbimus hujus cæli medie-  
tatem, non secus ac si in centro orbis  
terrarum versaremur. Propterea Ci-  
cero l. I. Tuscul. 'persuadent,' inquit,  
' Mathematici terram in medio mundi  
sitam ad universi cæli complexum,  
quasi puncti instar obtinere, quod  
κέντρον illi vocant.'

<sup>1</sup> Hujus . . . . . regionis quarta fere  
portio] Deinde quamvis iste terræ  
et aquæ globus ita exiguus sit, ut  
puncti rationem habeat, integrum  
tamen fama non potest occupare: si-  
quidem non major quam quarta ejus  
portio, Ptolemæo probante, ab iis,  
quæ a nobis cognoscantur, animalibus  
terrestribus, hominibus videlicet  
et bestiis incolitur. Aut si major  
quam quarta pars hujus orbis incola-  
tur, ut nautis longius indies progred-  
ientibus novæ terræ habitabiles de-  
prehendantur; hæc tamen portio non  
desinit minima haberi: nam

<sup>m</sup> Huic, . . . si quantum maria, &c.]  
Præterea pars illa non potest inte-  
gra ab hominibus incoli: sunt enim  
ibi maria plura; sunt plures paludes;  
sunt plura loca deserta.

<sup>n</sup> Hoc . . . . . septum plures incolunt  
nationes, &c.] Adde quod brevissimum

Tullii, sicut ipse quodam loco<sup>†</sup> significat, nondum Caucasum montem Romanæ reipublicæ fama transcenderat, et erat tunc adulta,<sup>‡</sup> Parthis etiam, ceterisque id locorum gentibus formidolosa. Videsne igitur quam sit angusta, quam compressa gloria quam<sup>°</sup> propagare ac dilatare<sup>19</sup> laboratis? An ubi Romani nominis transire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur? Quid, quod diversarum gentium mores<sup>°</sup> inter se, atque instituta discordant; ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum iudicetur. Quo fit, ut si quem famæ prædicatio delectat, huic in plurimos populos nomen proferre, nullo modo conducatur. Erit igitur pervagata<sup>20</sup> inter suos gloria quisque contentus, et intra unius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur. Sed quam multos<sup>p</sup> clarissimos suis temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio! Quanquam quid ipsa scripta proficiunt,<sup>1</sup> quæ cum suis auctoribus<sup>w</sup> premit longior atque obscura vetustas? Vos autem immortalitatem vobis propagare videmini, cum futuri famam temporis cogitatis. Quod si ad æternitatis infinita spatia pertractes,<sup>z</sup> quid habes quod de tui nominis diuturnitate læteris? Unius enim<sup>2</sup> mora momenti, si decem milli-

<sup>†</sup> In somnio Scipionis.  
secus ac suos auctores.

<sup>‡</sup> Romana respublica.  
<sup>z</sup> Proferas conferendo.

<sup>v</sup> Vos homines.

<sup>w</sup> Non

et Vict. uterque: *dilatate ac propagare*.—20 Ms. Rittersh. *pervulgata*.—1 Idem cod. *proferant* edd. Delph. et Hack. *proficiant*.—2 *Unius etenim* edd. eadem.

#### NOTÆ

illud terræ habitatæ punctum tantum est, ut ad illud, ne urbium quidem celeberrimarum, fama pervenire queat. ‘Nam ex his ipsis cultis notisque terris,’ inquit Tullius in somnio Scipionis, ‘num aut tuum aut cuiusquam nostrum nomen ultra Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnatare?’ Est autem Caucasus mons Asiæ, inter mare Euxinum et Caspium, vulgo *Mont de Circassie*.

<sup>°</sup> Quid, quod diversarum gentium mores, &c.] Denique quamvis tantum

foret alicujus nomen, hoc ut pervenire posset ad omnes mundi populos, non propterea ejusdem gloria tanta esset: quoniam quod apud alios laude, id apud alios supplicio dignum iudicatur: quod nimirum populi præjudiciis potius et præcipitatione, quam evidenti ratione ducti iudicent: sic quæ nobis placent vestes, epulæ, ceteræve agendi patiendique formæ, hæc exteris nationibus displicent sæpè.

<sup>p</sup> Quam multos, &c.] iv. Philosophia subjungit, prædictam famam



bus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam portionem.<sup>y</sup> At hic ipse numerus annorum, ejusque quantumlibet<sup>z</sup> multiplex, ad interminabilem<sup>z</sup> diuturnitatem ne comparari<sup>4</sup> quidem potest. Etenim finitis<sup>5</sup> ad se invicem fuerit quædam; infiniti vero atque finiti nulla unquam poterit esse collatio. Ita fit, ut quamlibet prolixi<sup>a</sup> temporis fama, si cum inexhausta æternitate cogitetur, non parva, sed plane nulla esse videatur. Vos autem nisi ad populares auras,<sup>6</sup> inanesque rumores,<sup>b</sup> recte facere nescitis; et relicta conscientiæ virtutisque præstantia, de alienis præmia sermunculis postulatis. Accipe in hujusmodi arrogantiae levitate quam festive aliquis illuserit. Nam cum quidam adortus esset<sup>c</sup> hominem contumeliis qui non ad veræ virtutis usum, sed ad superbam<sup>7</sup> gloriam falsum sibi philosophi nomen induerat, adjecissetque jam se sciturum, an ille philosophus esset, siquidem illatas injurias leniter patienterque tolerasset; ille patientiam paulisper assumsit, acceptaque contumelia velut insultans, Jam tandem, inquit, intelligisne me esse<sup>8</sup>

<sup>y</sup> Proportionem.  
<sup>c</sup> Affecisset.

<sup>z</sup> Infinitam.

<sup>a</sup> Quantumlibet longi.

<sup>b</sup> Concitandos.



—3 Uterque Thuan. et Reg. *ejusque quamlibet*.—4 Uterque Thuan. et Flor. *nec comparari*.—5 Vict. secundus *Etenim si finitis*.—6 ‘Mss. *Vos autem nisi ad populares aures*: videtur tamen recepta lectio esse plausibilior.’ Sitzm.—7 ‘Ita scripti: excusi *insulse superbiam*.’ Bern.—8 Mss. et edd. Florent.

#### NOTÆ

nihili putandam esse propter breves tempore, quo durare possit, limites. Cum enim fama hæc ab aliena de tuis meritis existimatione pendeat, tamdiu duntaxat ista fama durabit, quamdiu in aliis hominibus vigeat meritorum tuorum memoria: atqui hæc memoria perennis esse nequit: nam vel decerunt scriptores, quibus cerebrum mentemque hominum identidem commoventibus, impressa tuorum meritorum vestigia renoventur; vel aderunt. Si defuerint scriptores, te, non secus ac plures suis temporibus clarissimos viros de-

levit, oblivio delebit. Sic Romanorum merita veluti sepulta jacuerunt, auctore Sallustio in bello Catilinario, quod ‘prudentissimus quisque maxime negotiosus erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optimus quisque facere, quam dicere, et sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.’ Sic virorum fortium, qui ante Agamemnona vixerunt, quod hi caruerint scriptoribus poetis, virtus celata latet, iudicio Horatii l. iv. Carm. Od. 9. ‘Vixere fortes ante Agamemnona Multi; sed omnes illacrymabiles Urgentur

philosophum? Tum ille nimium mordaciter, Intellexeram, inquit, si tacuisses.<sup>9</sup> Quid autem est quod ad præcipuos<sup>d</sup> viros (de his enim sermo est) qui virtute gloriam petunt: quid, inquam, est quod ad hos de fama post resolutum morte suprema corpus attineat? Nam si<sup>10</sup> (quod nostræ rationes credi vetant<sup>11</sup>) toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria; cum is cujus ea esse dicitur, non extet omnino: sin vero sibi mens bene conscia,<sup>e</sup><sup>12</sup> terreno carcere resoluta,<sup>13</sup> cœlum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernet,<sup>14</sup> quæ se, cœlo fruens, terrenis gaudet exentam?

<sup>d</sup> Præstantes.

<sup>e</sup> Suarum cogitationum.



Delph. Hack. *Intelligis me esse: ne omisso.*—9 Ms. Rittersh. *Qui virtute gloriam quærunt.*—10 ‘*Nam sit*] Falsissima lectio. Recte Ms. cum ed. Norimb. et Florent. *Nam si.*’ Sitzm.—11 Vict. secundus: *credi prohibent.*—12 Ed. Delph. et Hack. hæc verba sic disposita habent: *Sin vero bene mens sibi conscia.*—13 ‘*Nemo damnet: nec illud quoque, quod in Lipsii codice, resoluto.*’ Bernart.—14 Uterque Thuan. et Reg. *spernat.* Vict. primus: *sperneret.*

#### NOTÆ

ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro.’ Si vero adfuerint scriptores, quod eorum libri, aut injuria temporum, aut hominum ipsorum negligentia sæpius pereant, nondum constare poterit tibi, tuam famam horum beneficio fore perpetuam. Sed maneant libri, maneatque scriptorum memoria, ita ut de tuis meritis dicere possis, quod Ovidius cecinit de suis Carminibus xv. Metam. ‘Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas,’ &c. Tua nihilominus fama, ipsi etiam Mundo æquæva, brevior esset, quam ut propter eam obtinendam agere possis: præsertim si illa famæ diuturnitas conferatur cum æternitate, quam mens humana duratura est. Nam si brevissima unius momenti mora, cum decem millibus annis collata, parva est diuturnitas; certe integra non modo vitæ hominis senioris, sed ipsius quo-

que Mundi diuturnitas, cum æternitate comparata, minima, imo nulla est diuturnitas: quandoquidem inter priores diuturnitates, utpote ambas finitas, est aliqua; sed inter posteriores, quarum altera infinita, nulla est proportio; sive, ut nunc dicitur, portio: sic enim loquitur Curtius: ‘præmium,’ inquit, ‘erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta decem. Uno minus accipiet qui proximus ei venerit, eademque ad decem homines servabitur portio.’ Vox, ‘interminabilis,’ quam non semel adhibet Boëthius, minus Latina videtur: Cicero diceret interminatam; sicut i. de Nat. D. ‘si immensam,’ inquit, ‘et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis.’

<sup>9</sup> *Si tacuisses*] Simile est illud Ciceronis pro Arch. ‘Philosophi,’ inquit, ‘in libris, quos de contemneunda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, et in eo ipso, in quo prædica-



## NOTÆ

tionem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt.’

<sup>r</sup> *Nostræ rationes credi vetant*] Plures enim sunt rationes, quibus Philosophia probat mentem humanam esse immortalem, adeoque hominem totum non mori: unicam proferimus ex ipsa mentis natura desumptam. Omnis res sive substantia, cujus nulla est nisi exterior causa, est perennis et perpetua: Deo nimirum, a quo est, suum agendi modum, quo illa substantia condita est, continuante: sic Genios tam malos, quam bonos perpetuos fore credimus: sic ipsa materia, quæ vulgo dicitur prima, ab omnibus habetur perpetua. Atqui mens humana ita se habet. Est qui-

dem substantia: quia alteri non inhærens, suis subjacet qualitatibus: at ejusdem nulla est nisi exterior causa; efficiens, et finis: quandoquidem ex materia non pendet. Atqui hujus suæ immortalitatis mens humana ita conscia est, hanc ut semper appetat, quamque sibi tantum deberet attribuere; hanc temeraria quadam assumptione caducis etiam rebus, cum quibus se quandam putat habere necessitudinem, tribuat: sic parentes in liberis; auctores in scriptis; omnes in superbioribus sepulcris immortalem quandam vitam habituros sperant: quare Tullius de Senect. ‘Optimi,’ inquit, ‘cujusque animus maxime ad immortalem gloriam nititur.’

## METRUM VII.

QUICUMQUE solam <sup>15</sup> mente præcipiti<sup>s</sup> petit,  
Summumque credit gloriam;<sup>t</sup>

*Quisquis inconsiderato animo tendit tantum ad gloriam, et illam putat esse sum-*

15 Ms. Rittersh. *Quicumque solum.*

## NOTÆ

<sup>s</sup> *Mente præcipiti*] Sive præcipitatione. Est autem præcipitatio inconsideratum de ignoto judicium: prima erroris adeoque vitii origo.

*Petit*] Petere aliquo, proprie corporis est ab una in alteram viciniam translatis: sed propter quandam similitudinem dicitur etiam de mente, quatenus hæc voluntate sua aliquo inclinatur.

<sup>t</sup> *Summumque credit gloriam*] Summum scilicet bonum: cum enim omne

quod expetitur, id quandam habeat boni speciem, propterea necesse est, ut quod præ omnibus expetitur, illud summi boni speciem habeat: fieri autem non potest, ut gloria mortalis videatur summum bonum, nisi iis, qui præcipites, notione obscura aut confusa ad judicandum ducuntur: iis nimirum, qui, innata notione, qua omnes volumus esse felices, inducti, falsa assumptione homini potius, quam Deo unice adhærent.

Late patentēs ætheris cernat plagas,<sup>u</sup>  
 Arctumque terrarum situm :<sup>v</sup>  
 Brevem replere non valentis ambitum 5  
 Pudebit aucti nominis.  
 Quid o superbi colla mortali jugo  
 Frustra levare<sup>w</sup> gestiunt ?  
 Licet remotos fama per populos means  
 Diffusa linguas explicet,<sup>x</sup> 10  
 Et magna titulis fulgeat<sup>y</sup> claris domus,  
 Mors spernit altam gloriam.<sup>z</sup>

*num bonum ; is consideret hinc quidem spatia cœli ingentia ; inde vero positionem terræ angustam, certe eundem pudebit rumoris dispersi, qui non potest occupare parvam circumscriptionem terrarum. Proh ! quare homines arrogantes ambiunt incassum liberare corpus suum a servitute mortis ? Quamvis fama undique dispersa per gentes dissitas explicet linguas omnium istarum gentium, grandisque familia splendeat illustribus honoribus, mors tamen tenet hanc summam gloriam : includit*

## NOTÆ

<sup>u</sup> *Late patentēs ætheris cernat plagas]* Tanta est ætheris sive cœli undique diffusi magnitudo, hanc ut imaginatione assequi non possimus, quo fit ut cœlum a quibusdam Philosophis non infinitum quidem, sed indefinitum vocetur : hoc est, latius diffusum, quam ut mens nostra imaginando illud possit definire. Hinc cœlo attentius considerato, homo poterit suæ infirmitatis convinci, maxime si cum cœlo veluti immenso conferat exiguam, cujus ille sit minima portio, terram, sive

<sup>v</sup> *Arctumque terrarum situm]* Ut enim integer terræ et aquæ globus cum cœlo collatus rationem puncti habet, quemadmodum diximus ; sic terræ habitabilis portio, in qua privati alicujus hominis merita cognoscantur laudenturque ab hominibus, comparata cum reliquo terrarum orbe, in quo idem homo nec cognosci nec laudari potest, exiguum est puncti illius punctum : quare hunc hominem tum ‘pudebit aucti nominis, ‘quod tamen’ non valet replere brevem ambitum.’ Sic Alexandrum

Magnum pudit ex mundis, quos putavit innumerabiles, ne unicum quidem subegisse.

<sup>w</sup> *Superbi colla mortali jugo...levare]* Immortalitatem sui nominis sibi in terris comparare : hoc enim desiderio, ut dictum est, tenentur illi, qui famæ apud posteros acquirendæ student.

<sup>x</sup> *Fama per populos means...linguas explicet]* Fama Poëtis fingitur habere rationem personæ, quæ pennis instructa per loca etiam remotissima citissime feratur, et solutis ore linguaque populi, hunc ad loquendum excitet. Virg. Æn. I. vs. 461. ‘Bel- laque jam fama totum vulgata per orbem.’

<sup>y</sup> *Titulis fulgeat]* Titulus idem quod honor : oritur enim a Græco τιτλις, hoc ἀπὸ τοῦ τίειν, honorare : unde τιμὴ, honor. Hinc stemmata, imagines, aut quæcumque alia honorum signa, tituli solent appellari. Claudian. Carm. xxvi. vs. 144. ‘Et duplices signat titulos commune tropæum.’

<sup>z</sup> *Mors spernit altam gloriam, &c.]* Nam ‘statutum est hominibus semel mori,’ ad Hebr. 9. Horatius l. I.



Involvit humile pariter, et celsum caput,  
Æquatque summis infima.

Ubi nunc fidelis ossa Fabricii <sup>a</sup> jacent? 15

Quid Brutus, <sup>b</sup> aut rigidus Cato?

*eodem similiter tumulo abjectas sublimesque cervices, et æquat ima supremis. Ubi ossa Fabricii fidi nunc jacent? Quid nunc est Brutus, aut Cato severus? Levis*

#### NOTÆ

Carm. Od. 28. 'Sed omnes una manet nox, Et calcanda semel via leti. Dant alios Furix torvo spectacula Marti: Exitio est avidis mare nautis. Mista senum, ac juvenum densantur funera: nullum Sæva caput Proserpina fugit.' Et eodem lib. Od. 4. 'Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres, o beate Sexti.' Quod feliciter vertit noster Mallierbæus, lib. vi. 'La mort a des rigneurs à nulle autre pareilles, On a beau la prier, La cruelle quelle est se bouche les aureilles, Et nous laisse crier. Le pauvre en sa cabane, où le chaume le couvre, Est sujet à ses loix, Et la Garde, qui veille aux barrières du Louvre, N'en défend pas nos Rois.'

<sup>a</sup> *Fidelis...Fabricii*] Fabricius Consul Romanus, apud plurimos cum oratores tum poetas suam præsertim ob fidem celeberrimus, merito nunc vocatur fidelis. Primum quia a Pyrrho Epirotarum Rege magnis muneribus, etiam quarta regni parte promissa tentatus, adduci non potuit, ut patriam desereret. Deinde quia medicum Timocharem contra ejusdem Pyrrhi Regis sui caput spe præmii venenum deferentem ad dominum suum reduci curavit, quod admiratus Rex ait, Fabricium difficiliter ab honestate quam solem a suo cursu averti. Unde Claudian. Carm. xxvi. vs. 130. 'Et nulli pervia culpæ Pectora Fabricii donis invicta vel armis.'

<sup>b</sup> *Quid Brutus*] L. Brutus, sic dic-

tus propter stupiditatem, quam metu Tarquini simulabat. Ille, Tarquiniis ob violatam Lucretiam expulsis, libertatem Romanis asseruit, una cum Collatino: unde populus Romanus imperium in eosdem libertatis suæ vindices transtulit, mutato tamen et jure et nomine: quippe ex perpetuo annum placuit, ex singulari duplex: ne potestas solitudine vel mora corrumpetur, Consulesque appellavit pro Regibus, ut consilere se civibus suis debere meminissent. De hoc Bruto sæpissime loquitur Claudianus, ut Carm. xxii. vs. 322. 'Sit traheis ultor Stilicho, Brutusque reparator. Libertas populi primo tunc Consule Bruto Reddita per fascas: hic fascibus expulit ipsis Servitium: instituit sublimem Brutus honorem.'

*Rigidus Cato*] Sicut Brutus a simulata stultitia, sic Cato a vera prudentia cognomentum est: catus quippe, unde Cato, est sapiens. Ausonius in Mosella, 'legumque catos fandique potentes.' Propterea plures a sua sapientia dicti sunt Catones. Juvenal. Sat. ii. vs. 40. 'Tertius e cælo cecidit Cato.' Duo tamen sunt præstantissimi viri, qui hoc cognomine donati fuerint, quosque Philosophia hic potuit intelligere; Major videlicet, et Minor; ambo, sed diversis temporibus, e Portia, gente Tusculi obscura, orti. Cato Major, qui Censorius dictus est, florebat anno Urbis conditæ 570. et ad extremam usque senectutem pervenit. Cato autem Minor, qui vocatus est Præ-

Signat superstes<sup>c</sup> fama tenuis pauculis  
 Inane nomen literis.  
 Sed quod decora<sup>d</sup> novimus vocabula,  
 Num scire consumptos datur? 20  
 Jacetis ergo prorsus ignorabiles,  
 Nec fama notos efficit.  
 Quod si putatis<sup>e</sup> longius vitam trahi  
 Mortalis aura nominis,  
 Cum sera vobis rapiet hoc etiam dies, 25  
 Jam vos secunda mors manet.<sup>16</sup>

*eorum memoria notat vanum nomen paucis literis. At quia cognoscimus nomina hæc pulchra, nonne ex eo fas est nobis, nosse homines, quorum sunt ista nomina, esse extinctos? Ergo, homines, jacetis omnino incogniti, nec fama reddit vos cognitos. Quod si existimatis vitam vestram magis produci favore humanæ existimationis; quandoquidem ætas tandem aliquando ventura abripiet vobis hanc quoque existimationem; nunc altera mors vobis est expectanda.*

16 Mss. manent.

#### NOTÆ

torius, vivebat ipso belli Cæsariani tempore: de hoc Lucanus impudenter cecinit, 'Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.' Et Horatius l. II. Carm. Od. 1. 'Audire magnos jam videor duces Non indecoro pulvere sordidos, Et cuncta terrarum subacta, Præter atrocem animum Catonis.'

<sup>c</sup> *Signat superstes, &c.*] Mortuo homine superest hujus cadaver, quo corrupto nomen superstes, paucis literis comprehensum, scribitur ab iis saltem, qui memoria præstant: sed absque ullo defunctorum sensu aut commodo: quare hoc non immerito 'inane' vocatur.

<sup>d</sup> *Sed quod decora, &c.*] Quod nomina

hæc superbis sepulcris inscripta videamus, argumenta sunt non esse amplius eos, quorum sunt nomina: præscriptum quippe legitur: HIC JACET. Unus est Christi tumulus, cui fas fuerit inscribere: NON JACET HIC: Matth. 28.

<sup>e</sup> *Quod si putatis, &c.*] Si in superstite illo nomine vitam aliquam versari existimatis, cum illud etiam nomen tandem aliquando, inducta oblivione, perire debeat, secunda morte afficiemini. Sic Sulpitius Carthaginiensis de Virgilio Æneide, quæ ab auctore flammis destinata fuisse fertur: 'Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni, Et pæne est alio Troja cremata rogo.'



## PROSA VIII.

SED ne me inexorable<sup>f</sup> contra fortunam gerere bellum<sup>f</sup> putes, est aliquando cum de hominibus illa fallax<sup>17</sup> non nihil bene mereatur;<sup>g</sup> tum scilicet cum se aperit, cum frontem detegit, moresque profitetur. Nondum forte quid loquar, intelligis. Mirum est quod dicere gestio, eoque<sup>g</sup> sententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus hominibus reor<sup>h</sup> adversam quam prosperam prodesse fortunam.<sup>h</sup> Illa<sup>i</sup> enim semper specie felicitatis,<sup>i</sup> cum videtur blanda, mentitur: hæc<sup>k</sup> semper vera<sup>k</sup> est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa<sup>l</sup> fallit; hæc<sup>m</sup> instruit: illa<sup>n</sup> mendacium specie<sup>18</sup> bonorum mentes fruentium ligat; hæc<sup>o</sup> cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque illam<sup>p</sup> videas ventosam, fluentem, sui que semper ignaram: hanc<sup>q</sup> sobriam, succinctamque, et ipsius adversitatis exer-

<sup>f</sup> Implacabile.      <sup>g</sup> Ideoque.      <sup>h</sup> Puto.      <sup>i</sup> Prospera fortuna.      <sup>k</sup> Adversa fortuna.  
<sup>l</sup> Prospera.      <sup>m</sup> Adversa.      <sup>n</sup> Prospera.      <sup>o</sup> Adversa.  
<sup>p</sup> Prosperam.      <sup>q</sup> Adversam.

//////////

17 *Fallax illa* Delph. Hack.—18 Ms. Rittersh. *Illa mendax specie*.—19

## NOTÆ

<sup>f</sup> *Gerere bellum*] Declamando in fortunam.

<sup>g</sup> *Bene mereatur*] Mereri est id agere, propter quod præmium aut pœna rependi debet: hinc cibus prandio posterior, cœna autem prior, quod hinc debeatur mercenariorum laboribus, merenda appellatur: hinc etiam qui propter crimen aliquod punitur, pœnas dicitur dare, quasi debitum reddens. Sic Cic. III. de Leg. ‘perniciose,’ inquit, ‘merentur de Republica vitiosi principes.’

<sup>h</sup> *Plus hominibus reor adversam quam prosperam prodesse fortunam*] Homo, ut sæpius dictum est, constat ex mente et corpore, quorum illa hoc longe nobilior est: quare quod menti

prodest, illud præstat alteri, quod alterum si menti non noceat, soli duntaxat corpori prodest. Atqui fortuna adversa menti prodest; prospera vero, si menti non noceat, ipsi tantum corpori prodest: quod deinceps probandum.

<sup>i</sup> *Illa enim semper specie felicitatis*] Prospera enim fortuna notione obscura confusaque, qua mentem informat, eandem mentem inducit, primum quidem ad errorem, quo iudicet bona caduca summi boni rationem habere, deinde ad vitium, quo eadem mens, contempto Deo, iisdem bonis unice adhæreat.

<sup>k</sup> *Hæc semper vera*] Adversa autem fortuna notione, quam aut invenit,

citatione prudentem. Postremo felix,<sup>r</sup> a vero bono devios blanditiis trahit: adversa, plerumque ad vera bona reducens,<sup>s</sup> unco<sup>t</sup> retrahit.<sup>19</sup> An hoc inter minima<sup>1</sup> æstimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? hæc tibi certos sodalium vultus, ambiguosque<sup>u</sup> secrevit; discedens, suos abstulit, tuos reliquit?<sup>v</sup> Quanti hoc integer,<sup>w</sup> et, ut videbaris tibi, fortunatus emisses? Desine nunc amissas<sup>20</sup> opes quærere: quod pretiosissimum genus divitiarum<sup>1</sup> est, amicos invenisti.

<sup>r</sup> Prospera.      <sup>s</sup> Redeuntes.      <sup>t</sup> Peco, sive baculo retorto.      <sup>u</sup> Incertosque.  
<sup>v</sup> Familiares.      <sup>w</sup> Incolumis.

‘Assentior libens scriptis: reduces unco retrahet.’ Bernart. *Reduces* edd. Delph. Hack. —20 *Nunc et amissas* Vict. secundus, Reg. et edd. prædictæ, quæ etiam —1 *divitiarum genus*.

## NOTÆ

aut facit evidentem, mentem ipsam inducit, primum quidem ad veritatem, qua judicet solum Deum habere rationem summi boni; deinde ad virtutem, qua, ceteris posthabitis, Deum unice diligit. Sic dicitur Proverb. 29. ‘Virga atque correctio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.’

<sup>1</sup> *An hoc inter minima, &c.*] Quemadmodum inter bona exteriora amici præcipuum locum obtinent, sic quod

amicorum mentes, alias tibi occultas, detegit, id bonorum saltem exteriorum pretiosissimum potest haberi; hoc quippe veri a falsis amicis secernuntur. Atqui fortuna adversa id præstat, quandoquidem, fortuna favente, falsi una cum veris amicis adsunt; sed eadem fortuna indignante, amicis veris remanentibus, falsi recedunt. Notissimum illud Ovid. ‘Donec eris felix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris.’

## METRUM VIII.

QUOD mundus stabili fide<sup>m</sup>  
Concordes variat vices;

*Amori debetur quod mundus constanter mutat vices concordēs; quod elementa*

## NOTÆ

Occasione accepta ex ultimis verbis Prosæ superioris, quibus Philosophia significavit, amicos Boëthii, fortuna adversa probatos, ipsi Boë-



Quod pugnancia semina  
 Fœdus perpetuum tenent;  
 Quod Phœbus roseum diem 5  
 Curru provehit aureo;  
 Ut quas duxerit Hesperus  
 Phœbe noctibus imperet;  
 Ut fluctus avidum mare  
 Certo fine coërceat; 10  
 Ne terris liceat vagis  
 Latos tundere terminos;<sup>2</sup>  
 Hanc rerum seriem ligat,

*contraria habent inter se pacem æternam; quod Sol defert lucem splendidam curru aureo; quod Luna dominatur tenebris, quas Hesperus egit; quod mare cupidum aquarum contineat fluctus limite præscripto; ne iisdem diffusis liceat per terras*

~~~~~

2 'Latos tundere terminos] Ms. Erfurt. et ed. Norimb. *Latos tendere t.* Alteram tamen lectionem rectam esse, probo hisce,' &c. *Sitzm.* Vid. Not. Var. *Tundere* legunt edd. Delph. et Hack.

NOTÆ

thio adesse, eundem Boëthium excitat ad spectandum amorem, ejusque effecta. Amor autem non secus ac quælibet hominis affectio spectari potest duobus modis. Primo quidem, ut loquuntur Philosophi, inadæquate, quatenus quidam corporis modus est, v. g. commotio sanguinis, spirituum, ceterarumque corporis humani partium ad conservandam societatem naturaliter instituta. Secundo, ut aiunt iidem Philosophi, adæquate, quatenus, præter prædictum corporis modum, versatur in voluntate hominis adhiærentis rei, velut alteri societatis, cujus ipse homo reliqua pars sit, parti. Hinc pro triplici genere opinionis, quam homo habere potest de parte illa, (pluris scilicet, tanti, vel minoris, quam seipsum, faciendo hanc partem,) amor triplicis est generis, videlicet pietas, amicitia, et amor simpliciter dictus. In corporibus non est amor, nisi quatenus hic est modus corporis. In Deo non est

amor, nisi quatenus est modus mentis. In homine est amor, quatenus est modus et corporis et mentis. Agitur hic primo de amore corporis, qui non tam amor, quam amoris simulacrum; secundo de amore hominis; tertio de amore Dei.

^m *Quod mundus stabili fide, &c.]* 1. Agitur de simulacro amoris, quod in corporibus animadverti potest: huicque refertur acceptum: 1. quod mundus, qui nihil est aliud quam universitas corporum materia quidem convenientium, forma autem discrepantium, in sua varietate concors perseveret. 2. quod elementa, quæ nihil sunt aliud, quam corpora primo formata, ex quibus cetera constant, fœdus perpetuum teneant, sive intra, sive extra corpora, quæ, quod ex elementis constant, vocantur mista. 3. quod cælum sidera suis temporibus, et mare fluctus suis locis contineat. De Phœbo et Hespero jam diximus.

Terras ac pelagus regens, Et cœlo imperitans amor.	15
Hic si fræna remiserit, Quicquid nunc amat invicem, Bellum continuo geret ; Et quam nunc socia fide Pulchris motibus incitant,	20
Certent solvere machinam. Hic sancto populos ⁿ quoque, Junctos fœdere continet :	
Hic et conjugii sacrum Castis nectit amoribus :	25
Hic fidis etiam sua Dictat jura sodalibus. O felix hominum genus, ^o Si vestros animos amor Quo cœlum regitur, regat !	30

latius extendi. Amor imperans cœlo, mari, et terræ nectit hanc seriem rerum : hoc cessante, quæ consentiunt nunc, statim dissentient, et tentabunt destruere machinam, quam nunc constanter cient præclaris motibus. Amor continet populos inter se conjunctos pace incorrupta ; amor confirmat sacramentum conjugiale flammis pudicis : amor denique reddit fidelibus amicis, quod suum est. O vos beatos homines, si idem amor Dei, quo cœlum gubernatur, gubernet vestras mentes.

NOTÆ

ⁿ *Hic sancto populos*] II. Agitur de amore humano. Hic multiplicis est generis: triplicis duntaxat nunc meminit Philosophia, nempe 1. amoris, qui est inter populos, quo populi æterna in pace continentur ; 2. amoris, qui est inter conjuges, quo sacrum sive sacramentum conjugiale confirmatur ; 3. amoris, qui est inter amicos, quo amicus, ‘ amico tanquam alter idem,’ inducitur ad benefaciendum amico, cogitatione, verbo, et opere : hæc quippe sunt ‘ sodalium jura.’

^o *O felix hominum genus, &c.*] III. Agitur de amore divino, quo non modo cœlum, sed omnia etiam corpora

sic reguntur, ut hæc a divina voluntate ne latum quidem unguem discedant. Una est mens humana, quæ quod ab ipso Deo sic fuerit dilecta, ut libertatis sit particeps, a prima volendi amandique norma, voluntate divina, recedat. Quare id unum esse debet Philosophiæ votum, ut eadem mens humana, contemta propria voluntate, proprioque amore, ad voluntatem amoremque Dei sese accommodet, ut sanctos viros imitata, voce cognitioneque summissa, dicat cum Propheta Rege : ‘ doce me facere voluntatem tuam,’ et cum Apostolo : ‘ Domine, quid me vis facere?’

ANICII MANLII TORQUATI
SEVERINI BOETHII
DE CONSOLATIONE
PHILOSOPHIÆ

LIBER III.

PROSA I.

JAM cantum^a illa finierat,¹ cum me audiendi avidum,^a stupentemque arrectis adhuc auribus, carminis mulcedo defixerat. Itaque paulo post, O, inquam,^b summum lassorum solamen animorum,^c quantum me² vel sententiarum pondere, vel canendi etiam jucunditate refovisti! adeo ut jam me posthac^d imparem fortunæ ictibus non arbitrer.³ Itaque remedia, quæ paulo ante acriora⁴ esse dicebas, non modo non perhorresco, sed audiendi avidus vehementer ef-

^a Carmen.

^b Ego Boëthius.

^c Philosophia.

^d Vinci posse.

~~~~~  
1 Uterque Thuan. Reg. et Vict. secundus: *finiverat*.—2 Thuan. primus: *quam tu me*.—3 Mss. *non esse arbitrer*.—4 paulo acriora Delph. Hack. quæ

NOTÆ

<sup>a</sup> *Me audiendi avidum, &c.*] 1. Boëthius prædictis rationum philosophicarum momentis commotus dicitur cum corpore, tum etiam mente. Corpore quidem: quod carmen iustar

mulsi suave eum 'defixerat stupentem arrectis adhuc auribus,' hoc est, immotis et reliquo corpore et auribus, ad facilius audiendum; qui loquendi modus a canibus, leporibus,

flagito. Tum illa,<sup>e</sup> Sensi, inquit, cum verba nostra tacitus attentusque rapiebas, eumque tuæ mentis habitum<sup>b</sup> vel expectavi, vel, quod est verius, ipsa perfeci. Talia sunt quippe quæ restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant. Sed quod tu te audiendi cupidum dicis, quanto ardore flagrares, si, quonam te ducere aggrediamur,<sup>5</sup> agnosceres? Quonam, inquam?<sup>f</sup> Ad veram, inquit,<sup>g</sup> felicitatem,<sup>c</sup> quam tuus quoque somniat animus:<sup>d</sup> sed occupato ad imagines visu, ipsam illam non potes<sup>6</sup> intueri. Tum ego:<sup>h</sup> Fac, obsecro, et, quæ illa vera

<sup>e</sup> *Philosophia.*

<sup>f</sup> *Ego Boëthius.*

<sup>g</sup> *Philosophia.*

<sup>h</sup> *Boëthius repono.*

etiam—5 *aggredimur*,—6 *potest*,—7 *perspecta*,—8 *specimen beatitudinis*, legunt.

#### NOTÆ

aliisque bestiis, quarum aures sponte moventur, translatus est ad hominem, cujus aures non ita moventur: prædictæ enim bestię ad sonum melius excipiendum et sistere et aures erigere consueverunt. Mente etiam; quod hæc ‘vel sententiarum pondere vel canendi etiam jucunditate’ ita recreata sit, ‘ut jam se posthac imparem fortunæ ictibus non arbitretur:’ quo fit ‘ut remedia quæ Philosophia supra dixit esse acriora, non modo non perhorrescat, sed audiendi avida vehementer efflagitet.’

<sup>b</sup> *Eumque tuæ mentis habitum, &c.]* II. Idem Boëthius prædictis rationibus paratus dicitur ab ipsa Philosophia. Paratus quidem est prædictis rationibus, quibus sensim tolluntur præjudicia, propter quæ, dicenda ingrata displicerent, non secus ac palato male affecto cibus etiam suavissimus displicet: ‘talìa sunt quippe, quæ restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant.’ At ab ipsa Philosophia paratus est: cognitio enim philosophica, utpote quæ clara et distincta, principium est, a quo omne non mo-

do iudicium, sed etiam desiderium legitimum oritur: ‘eumque tuæ mentis habitum vel expectavi, vel, quod est verius, ipsa perfeci,’ inquit Philosophia.

<sup>c</sup> *Ad veram felicitatem]* III. Philosophia promittit, fore ut Boëthium ducat ad felicitatem; cum enim hic agatur de moribus instituendis, cumque optima morum institutio a fine præsertim pendeat, propterea Philosophia tractationem suscipit de felicitate, quæ morum recte formandorum finis est: hujus autem felicitatis notio animis hominum insita est: idcirco eadem Philosophia addit.

<sup>d</sup> *Quam tuus quoque somniat animus]* Mens enim tum dicitur somnare, cum, sopitis exterioribus organis sensuum, spiritibus impressa cerebro vestigia relegendibus, commovetur, juxta illud Claudian. Carm. xxvii. vs. 1. ‘Omnia quæ sensuvolvuntur vota diurno, Pectore sopito reddit amica quies. Venator defessa toro cum membra reponit, Mens tamen ad sylvas et sua lustra redit,’ &c. Quare in somniis hominum, ut sæpe est aliquid falsi, ita semper est aliquid veri.

*Delph. et Var. Clas.*

*Boëth.*

P



sit, sine cunctatione<sup>i</sup> demonstra. Faciam, inquit illa,<sup>t</sup> tui causa libenter: sed quæ tibi causa notior est,<sup>e</sup> eam prius designare verbis, atque informare conabor: ut, ea perfecta,<sup>7</sup> cum in contrariam partem flexeris oculos,<sup>l</sup> veræ beatitudinis specimen<sup>8</sup> possis agnoscere.

*Mora.*      <sup>h</sup> *Philosophia.*      <sup>l</sup> *Mentis.*

#### NOTÆ

In his, inquam, sæpe est aliquid falsi, quod sæpe mens somnians exterioribus corporibus tribuat, quod illis non convenit. At in iisdem semper aliquid veri est, v. g. somniantem cogitare: sicut ergo homo non somniat nisi ante captis ab ipso corpore speciebus, sic mens quæ nullum peculiare bonum appetit, nisi duce felicitatis notione, ab ortu divinitus insita, non male dicitur hanc felicitatem somnare: quamobrem, sicut per somnum contingit, illa insita felicitatis notio alienis imaginibus ita obscuratur, ut ipsa felicitas ab ipsa mente, cui est

insita, clare et distincte non percipiatur: hinc falsa assumptione in divitias, aut quodlibet aliud a Deo diversum, velut in summum bonum suumque ultimum finem, inclinata tendit: propterea quærenda.

<sup>e</sup> *Quæ tibi causa notior est*] iv. Eadem Philosophia monet, sibi initium sumendum esse a notioribus: in omni quippe methodo semper fit progressus a notioribus ad minus nota: ut nimirum hac evidenti notione ducamur et ad investigandum, et ad discernendum id, quod quæritur, ab eo de quo non est quæstio.

---

### METRUM I.

#### QUI serere ingenuum volet agrum,<sup>t</sup>

*Quicumque cupit seminare campum liberum, ille in primis purgat fundum arbus-*

#### NOTÆ

<sup>t</sup> *Serere ingenuum volet agrum*] i. Philosophia utitur exemplo agri, qui non prius potest esse ferax, quam extractis virgultis cultus fuerit.

*Ingenuum*] ‘Ingenuus’ fit ex præpositione ‘in’ et verbo ‘geno,’ quo usi sunt Varro, Lucretius, pluresque alii pro ‘gigno:’ quare ‘ingenuus’ idem videtur esse quod ‘ingenitus:’ quemadmodum ‘ingenium’ sæpino usurpatur pro natura cujusque rei: sic

ut Virg. II. Georg. vs. 177. ‘Nunc locus arborum ingeniis.’ Sic fontes dicuntur ‘ingenui’ sive nativi a Lucretio l. I. Sic homo dicitur ‘ingenuus,’ cum a primo ortu, nullo servitutis jugo pressus, liber est. Similiter ergo ‘ager’ ille dici potest ‘ingenuus,’ qui nullis plantis consitus sic liber est, ut ad quodlibet semen concipiendum videatur aptus; quemadmodum a primo ortu fuisse credi-

Liberat arva<sup>g</sup> prius fruticibus,  
 Falce rubos, filicemque resecat,<sup>9</sup>  
 Ut nova fruge gravis Ceres eat.<sup>h</sup>  
 Dulcior est apium<sup>10</sup> mage labor,<sup>i</sup> 5  
 Si malus ora prius sapor \* edat.<sup>k</sup>  
 Gratius astra nitent,<sup>l</sup> ubi Notus  
 Desinit imbriferos dare sonos.

*tis, rescinditque falce spinas et filicem, ut Ceres recens procedat, onusta fractu. Mel opus apum videtur multo suavius; si palatum ante imbuatur sapore ingrato. Sidera fulgent jucundius, cum Notus ventus meridians cessat edere fragores plu-*

9 Ms. Rittersh. *felicemque resecat.*—10 Thuan. secundus, et Reg. *apum.*

## NOTÆ

derim. Sic gula, quam nulli sapes præoccupaverunt, 'ingenua' vocatur Martiali Epigr. l. vi. Ep. 11. 'Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula.'

<sup>g</sup> *Liberat arva*] 'Arvum,' inquit Festus, 'dicimus agrum nondum satum:' in agro autem nondum sato nasci solent filix, rubi, et frutices, *de la fougere, des ronces, et toutes sortes de broussailles*; quæ propterea resecanda sunt.

<sup>h</sup> *Ut nova fruge gravis Ceres eat*] Ut terra sit fœcunda. Ceres enim terra est, quod, ut omnes sciunt, frugum inventrix habetur et nutrix. Virg. l. Geor. vs. 147. 'Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacra Deficerent sylvæ, et victum Dodona negaret.'

<sup>i</sup> *Dulcior est apium mage labor*] II. Philosophia utitur exemplo palati, aut cujuslibet alterius gustus organi, cui dulce eo magis arridet, quod amarum gustaverit: ut nimirum significet, veritatem fugato errore fieri gratiorem. Hic autem 'labor apium' est mel: apes enim liquentia mella stipant, auctore Virgilio. Non modo dicitur 'apum;' sed etiam 'apium:' quandoquidem illud est ex hoc con-

tractum: sic dicitur 'Quiritium' et 'Quiritum;' 'loquentium' et 'loquentum.' Sed labor 'mage dulcior' modus est loquendi, quem Grammatici vocant pleonasmum: sic Plantus dixit 'magis majores nugas agere.'

<sup>k</sup> *Si malus ora prius sapor edat*] Forma elocutionis, quæ Græcis *ὑπαλλαγή* vocatur: qua, propter mutuam partium necessitudinem, quod de una dici solet, id aliquando de altera quoque dicitur. Sic Virgilius dixit 'dare classibus austros:' alius dicere potuisset 'dare classes anstris.' Ea autem est inter saporem et ora necessitudo, ut, sicut sapor partes oris penetrans, has veluti partitur, ita eadem oris partes saporem admittentes hunc dividant: vel (ut cum Philosophis loquar) si organa gustus modificentur ab escis, sic escæ ab organis gustus modificentur. Optime tandem post amara mel dicitur dulcius: quemadmodum in musica concordia brevem discordiam excipiens videtur snavior: quod nimirum ingrato illo motu quoddam organo sensifero infligatur vulnus, quod excipiente grato alio motu reparatur.

<sup>l</sup> *Gratius astra nitent, &c.*] III. Philosophia utitur exemplo aëris, quatenus hic contrarias vices duplicis ge-



Lucifer ut tenebras pepulerit,  
 Pulchra dies roseos agit equos. 10  
 Tu quoque<sup>m</sup> falsa tuens bona prius,  
 Incipe colla jugo retrahere ;<sup>n</sup>  
 Vera dehinc animum subierint.

*vios. Postquam stella referens lucem fugavit noctem, dies formosa ducit equos rubentes Solis. Sic tu, o Boëthi, qui antea animo attendebas ad bona ementita, incipias tandem subducere animum ab eorum tyrannide: tum vera bona intrabunt saltem notione mentem tuam.*

## NOTÆ

neris alternis subit. Primum quidem quatenus pluviam excipit tempus serenum: ubi Notus, idem qui Auster, ventus est a Meridie flans, qui, quod cogat nubes in aquam abituras, idcirco 'imbriferos' sive pluvios 'sonos' dicitur emittere. Atqui quod cadente pluvia lumen impeditum sit minus, idque, interruptis vicibus oculos feriens, nativam oculorum temperiem turbet, idcirco lumen cessantem Notum excipiens turbatam oculorum complexionem sic reparat, ut idem lumen gratius videatur. Deinde quatenus dies succedit nocti: ubi 'Lucifer' est stella matutina, quæ vocatur Venus: 'intima est quinque errantium,' inquit Cic. II. de Nat. D. 'terræque proxima stella Veneris, quæ φασφόρος Græce, Lucifer Latine dicitur, cum antegrediatur Solem, cum autem subsequitur, Hesperus.' Virgil. Ecl. VIII. vs. 17. 'Nascere, præque diem veniens age Lucifer alium.' Sol porro, diei parens, Poëtis fingitur vehi quadrigis equis, quos dies, utpote Solem antecedens, nunc fingitur ducere.

<sup>m</sup> *Tu quoque*] Quæ cum ita se habeant, cum arva non serantur uberes fructus allatura, nisi prius fruticibus avulsis; cum mel post saporem amarum sit dulcius; cum sidera cessanti-

bus ventis pluviisque jucundius fulgeant; cum denique dies non oriatur, nisi fugatis tenebris; propterea tu, o Boëthi, non nisi depositis præjudiciis assequi poteris de bono veritatem: sed hæc eo tibi gratior erit, quod errorem excipiat: ergo

<sup>n</sup> *Incipe colla jugo retrahere*] Ut corporis, sic etiam mentis quædam est captivitas: sed in hoc mens differt a corpore, quod corpus possit, mens vero non possit, invito homine, cujus est, quibusdam vinculis detineri: propterea non abs re Philosophia hortatur Boëthium, ut 'incipiat colla jugo retrahere:' jugum enim illud mentis est. Verum duobus modis mens humana intelligi potest vinculis detineri. Primum quidem ratione notionis, quatenus hæc obscura est, aut confusa; deinde ratione suæ voluntatis, quatenus ignoratione ducta in errorem aut vitium labitur. Nondum agitur de posteriori hoc vinculo genere: sed tantum de priori. Cum autem eadem mens ita sit particeps cogitationis, hæc ut nequeat exui obscura, quin clara notione induatur, propterea Philosophia nunc ait fore ut mens Boëthii, si hæc bona falsa desinat intueri, vera inspiciat. 'Tu quoque falsa tuens bona prius, ...Vera dehinc animum subierint.'

## PROSA II.

TUM defixo paululum visu,<sup>o</sup> et velut in augustam<sup>m 11</sup> suæ mentis sedem<sup>p</sup> recepta, sic cœpit: Omnis mortalium cura,<sup>q</sup> quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle<sup>n</sup> procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem est bonum,<sup>r</sup> quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens: cui si quid abforet,<sup>o</sup> summum esse non posset; quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet<sup>p</sup> igitur, beatitudinem esse<sup>12</sup> statum bonorum omni-

<sup>m</sup> Regiam.    <sup>n</sup> Diversa quidem via.    <sup>o</sup> Abesset.    <sup>p</sup> Patet.

11 'Augustam a Lipsii bono boni scriptoris libro est: vulgati *angustam*.' Bernart.—12 *Esse beatitudinem* Delph. Hack.—13 Ms. Rittersh. *verendi*.—

## NOTÆ

<sup>o</sup> *Defixo paululum visu*] Sicut oculi huc illucque voluti inconstantem, sic fixi constantem mentis ad aliquid attendentis cogitationem significant.

<sup>p</sup> *In augustam ... sedem*] Quod enim Philosophia sit quædam regina, idcirco hanc decet 'augusta' sive regia sedes. Verum Philosophia instar Philosophi sive, ut loquuntur, 'in concreto' considerata et corpore et mente videtur constare. Quamdiu autem mens, corpore abrepta, pro hujus suasionem cogitat, tam diu errat, aut saltem errandi periculo subest, quod præcipitatione aut præjudicio ducatur. Quamobrem si mens philosophica voluerit optime cogitare, necesse est, ut ipsa, corpore veluti valere jusso, ad se redeat, suasque cogitationes attentius meditetur.

<sup>q</sup> *Omnis mortalium cura, &c.*] Hæc est propositio, quam Philosophia nunc suscipit probandam, videlicet omnes homines ad beatitudinem tendere, sed diversa via, quod ut exequa-

tur, primum proponit summi boni notionem.

<sup>r</sup> *Id autem est bonum*] Bonum generatim vocatur illud quod beare videtur: bonum quippe, ut censet Ulpianus, a beando dicitur: unde antiqui pro 'bonus' dixere 'benus'; ex quo in usu remansit 'bene' et 'bellus.' Sed quod beare videtur, Philosophis duplicis est generis: unum dicitur Res, alterum vocatur Modus: prius beatitudo objectiva: posterius beatitudo formalis iisdem appellatur: utrumque hic definit Philosophia. Prius sic: 'bonum, quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat,' atque hoc dicit 'summum bonum,' nimirum in genere rei. Posterius vero sic: 'statum bonorum omnium congregatione perfectum:' et hoc vocat 'beatitudinem.' Prius nobis dicitur Deus: posterius, cogitatio mentis Deo constanter adhærentis. Sed de his postea.



um congregatione perfectum. Hunc, uti diximus, diverso tramite<sup>q</sup> mortales<sup>s</sup> omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominum<sup>t</sup> veri boni naturaliter inserta<sup>r</sup> cupiditas: sed ad falsa devius<sup>v</sup> error abducit.<sup>u</sup> Quorum quidem alii<sup>v</sup> summum esse bonum nihilo indigere credentes, ut divitiis affluant, elaborant: alii vero bonum, quod sit dignissimum veneratione,<sup>w</sup> judicantes, adeptis honoribus, reverendi<sup>t</sup> <sup>13</sup> civibus suis esse nituntur. Sunt qui summum bonum in summa potentia<sup>x</sup> esse constituent: hi vel reg-

<sup>q</sup> Variis modis.    <sup>r</sup> Insita.    <sup>s</sup> Aberrans.    <sup>t</sup> Honorabiles.

#### NOTÆ

<sup>s</sup> *Hunc...diverso tramite mortales*] Deinde Philosophia probat, homines diversa via tendere ad beatitudinem; quod innatam summi boni notionem male applicent.

<sup>t</sup> *Est enim mentibus hominum, &c.*] Ut enim Deus mentem humanam propter semetipsum condidit, sic eidem menti statim ab ortu indidit non solum notionem, sed etiam voluntatem summi boni, quod nihil est aliud quam ipse Deus.

<sup>u</sup> *Ad falsa devius error abducit*] Quamdiu mens humana Deum et magistrum audit, et ducem sequitur, tamdiu et erroris et vitii est expers: sed vix eadem mens divina illa lege soluta est, cum consors corpus, imperari impatiens, in ipsa mente plures excitat perturbationes, quibus obscuritas primum et confusio; deinde multiplex error ejusdem mentis oritur. Ille autem error dicitur 'devius': non solum quod ille sit cogitatio mentis a vera judicandi norma aberrantis; sed etiam quod idem causa sit, cur appetitio, judicii antecedentis comes, a sua etiam lege aberraret: hinc dicitur 'abducere' ad falsa; falsa scilicet assumptione: ut jam probandum est de divitiis, honoribus, potentia, gloria, et voluptatibus, pri-

um quidem seorsum, postea comparate spectatis.

<sup>v</sup> *Quorum quidem alii, &c.*] I. Agitur de divitiis: qui his inhiant, sic argumentari videntur: summum bonum est 'nihilo indigere': quæ propositio est verissima: sed qui divitiis affluunt, hi nihilo indigent: quæ est assumptio falsissima: immo quo ditior est homo, eo pluribus indiget.

<sup>w</sup> *Alii vero bonum, quod sit dignissimum veneratione, &c.*] II. Agitur de dignitatibus sive honoribus, quibus qui student sic videntur ratiocinari: summum bonum est 'veneratione dignissimum': vera propositio: sed veneratione dignissimus homo non est, nisi is magistratu decoretur: falsa assumptio: siquidem ipse magistratus non colitur, nisi fuerit cum virtute conjunctus.

<sup>x</sup> *Sunt qui summum bonum in summa potentia, &c.*] III. Agitur de potentia, quam qui appetit, sic videtur argumentari: summa potentia est individua comes summi boni: vera propositio: sed homo non habet summam potentiam nisi regnando, aut regnantibus adhærendo: falsa assumptio: quandoquidem ipsi Reges non sunt potentes, nisi suis imperent perturbationibus.

nare ipsi volunt, vel regnantibus adhærere conantur. At quibus optimum quiddam claritas<sup>y</sup> videtur, hi vel belli vel pacis artibus gloriosum nomen propagare festinant. Plurimi vero boni fructum gaudio<sup>z</sup> lætitiæque metiuntur: hi felicissimum putant voluptate diffluere. Sunt etiam qui horum fines<sup>a</sup> causasque alterutro<sup>w</sup> permutant: <sup>14</sup> ut qui divitias ob potentiam voluptatesque desiderant, vel qui potentiam seu pecuniæ causa seu proferendi nominis petunt. In his igitur, ceterisque talibus, humanorum actuum votorumque versatur intentio,<sup>v</sup><sup>b</sup> veluti nobilitas, favorque popularis, quæ videntur quandam claritudinem comparare, uxor, ac liberi, qui jucunditatis<sup>15</sup> gratia petuntur. Amicorum vero, quod<sup>w</sup> sanctissimum quidem genus est, non in fortuna, sed in virtute numeratur. Reliquum vero vel potentiæ causa vel delectationis assumitur. Jam vero corporis bona promptum est<sup>x</sup> ut ad superiora referantur. Robur enim magnitudoque videntur præstare valentiam:<sup>y</sup> pulchritudo atque velocitas celebritatem: salubritas volupta-

<sup>u</sup> Ex prædictis bonis.      <sup>v</sup> Summa.      <sup>w</sup> Bonorum.      <sup>x</sup> Omnibus patet.  
<sup>y</sup> Efficere ut valeas.



14 Mss. *permutent.*—15 Uterque Thuan. Reg. et Vict. secundus: *quæ jucun-*

#### NOTÆ

<sup>y</sup> *At quibus optimum quiddam claritas, &c.]* iv. Agitur de fama, quam qui desiderant, sic videntur ratiocinari: Summi boni est esse clarum; quod verum est: sed clarus homo esse nequit nisi vel belli vel pacis artibus; quod falsum est: cum hæ artes sæpius sint vitiorum materies.

<sup>z</sup> *Plurimi vero boni fructum gaudio, &c.]* v. Agitur de voluptatibus, quibus qui indulgent, hi vere proponunt summum bonum non esse sine lætitiæ, sed falso assumunt, hanc lætitiæ accipi posse a rebus caducis. Sicque actum est seorsum de bonis caducis.

<sup>a</sup> *Sunt etiam qui horum fines, &c.]* vi. Agitur de prædictis omnibus in-

ter se comparatis: quibus modo pluribus, modo paucioribus, modo his, modo illis homo adhæret, pro diversa assumptione quam facit: quod ex solo orationis contextu videtur nobis notissimum.

<sup>b</sup> *In his...humanorum actuum votorumque versatur intentio]* Summa sive quicquid est desiderii operisque humani: sicut enim opus humanum sequitur humanum desiderium, sic desiderium humanum sequitur prædictam mentis assumptionem propositionemque: siquidem non agimus extrinsecus, nisi quod intrinsecus volumus; nec volumus, nisi quod judicavimus præstare; nec judicavimus, nisi quod sic visum est, sive



tem. Quibus omnibus solam beatitudinem desiderari liquet.<sup>16</sup> Nam quod quisque præ ceteris petit, id summum iudicat<sup>17</sup> bonum. Sed summum bonum beatitudinem esse definimus.<sup>18</sup> Quare beatum esse iudicat statum quem præ ceteris quisque desiderat. Habes igitur ante oculos<sup>z</sup> propositam fere formam felicitatis humanæ, opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates. Quæ quidem sola considerans Epicurus,<sup>c</sup> consequenter sibi summum bonum voluptatem esse constituit, quod cetera omnia jucunditatem animo videantur afferre. Sed ad hominum studia revertor: quorum animus, etsi caligante<sup>a</sup> memoria, tamen bonum summum repetit;<sup>19</sup> sed, velut ebrius,<sup>d</sup> domum quo tramite

<sup>z</sup> *Mentis.*

<sup>a</sup> *Obscurata.*

*ditatis.*—16 ‘*Desiderare liquet*] Emenda ex Mss. *desiderari liquet.*’ Sitzm. ‘*Reposui ex veteribus, oratione flagitante, desiderari.*’ Bernart.—17 *Id summum esse iudicat* Delph. Hack. Ms. et ed. Norimb. *id summum iudicat esse.*—18 Edd. Delph. et Hack. *definivimus.* Ms. Reg. *decrevimus.*—19 Uterque

#### NOTÆ

obscure, sive evidenter: quod Philosophia confirmat exemplis primum quidem quotidianis; deinde antiquioribus, ut Epicuri.

<sup>c</sup> *Quæ quidem sola considerans Epicurus, &c.*] Epicurus, Philosophus satis notus. Ille in physica quidem docuit, corpora ex atomis et inani componi: in ethica vero, summum bonum in voluptate versari statuit, quasi sic argumentatus: cum nulla alia sint bona præter opes, honores, potentiam, gloriam, et voluptates, quod bonum inter hæc omnia ceteris præstat, illud summum censi debet. Atqui voluptas inter hæc omnia ceteris præstat: quod hæc omnia non quærantur, nisi quia jucunditatem animo videantur afferre. Hinc homines voluptarii dici consueverunt Epicurei.

<sup>d</sup> *Velut ebrius*] Optima similitudo ad exponendam prædictam uniuscujusque hominis bono caduco adhæ-

rentis ratiocinationem. Sicut enim ebrius homo 1. quandam habet suæ domus ideam, quam, antequam egressus fuisset vinum bibiturus, ab ipsa domo acceperat: 2. hujus ideæ semper memor domum suam ceteris præfert, etiam sepultus vino; unde eandem repetere studet: 3. vino turbante memoriam, viam solummodo, qua revertatur, ignorat: 4. tenebris sensim crescentibus, alienis ædibus, ut suis, adhæret immotus: ita mens humana 1. quandam habet sui principii sui que finis, nimirum Dei, ideam, quam, antequam ab eo recessisset, corporeas voluptates haustura, ab ipso suo Auctore acceperat: 2. hujus ideæ nunquam omnino immemor, Auctorem suum ceteris rebus præferendum putat, etiam voluptatibus corporis indulgens; unde ad eundem reverti cupit: 3. corpore impediente notionem officii, viam, qua ad Deum redeat, nescit: 4. caligine sensim auc-

revertatur, ignorat. Num enim videntur errare hi<sup>e</sup> qui nihilo indigere nituntur? Atqui non est aliud quod æque perficere beatitudinem possit, quam copiosus bonorum omnium status; nec alieni egens, sed sibi ipse sufficiens. Num vero labuntur<sup>b</sup> hi qui quod sit optimum, id etiam reverentiæ cultu dignissimum putant?<sup>20</sup> minime. Neque enim vile quiddam, contemnendumque est quod adipisci omnium fere mortalium laborat intentio. An in bonis non est numeranda potentia? Quid igitur? Num imbecillum<sup>1</sup> ac sine viribus æstimandum est quod omnibus rebus constat esse præstantius? An claritudo nihili pendenda est? Sed sequestrari<sup>c</sup> nequit quin omne quod excellentissimum sit id etiam videatur esse clarissimum. Nam non esse anxiam tristemque beatitudinem, nec doloribus molestiisque subjectam, quid attinet dicere? quando in minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique delectet. Atqui hæc sunt quæ adipisci homines volunt; eaque de causa divitias, dignitates, regna, gloriam, voluptatesque desiderant, quod per hæc sibi sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem, lætitiā credunt<sup>2</sup> esse venturam. Bonum est igitur quod tam diversis studiis<sup>d</sup> homines petunt: in quo quanta sit naturæ vis,<sup>f</sup> facile monstratur,<sup>g</sup> cum licet

<sup>b</sup> *Judicando, id est, errant.*      <sup>c</sup> *Negari.*      <sup>d</sup> *Affectionibus.*



*Vict. bonum suum repetit.*—20 *Vict. secundus: putent.*—1 *Thuan. primus, et Vict. secundus: Numquid imbecillum.*—2 *Mss. edd. Delph. et Hack. lætitiāque credunt.*

#### NOTÆ

ta externis caducisque rebus, ut suo principio suoque proinde fini adhæret immota: quamobrem ut ebrius, sic mens humana non errat nisi assumptione præcipiti.

<sup>e</sup> *Num enim videntur errare hi, &c.]* Philosophia denique seorsum expendit prædictas propositiones de opibus, honoribus, potentia, gloria, et voluptatibus, hasque probat esse veras: ex quo conficit, homines hic non

errare nisi assumptione. De verbo 'sequestrari' supra dictum est.

<sup>f</sup> *Naturæ vis]* Nempe ideæ naturaliter insitæ mentibus humanis: in qua unusquisque videt comprehensum, quod prædictis propositionibus asseritur.

<sup>g</sup> *Facile monstratur]* Saltem a consequentibus, sive, ut Philosophi loquuntur, a posteriori.



variæ dissidentesque sententiæ,<sup>h</sup> tamen in deligendo boni fine<sup>e</sup> consentiunt.<sup>i</sup>

<sup>e</sup> *Summo bono.*

## NOTÆ

<sup>h</sup> *Licet variæ dissidentesque sententiæ]* Prædictæ nimirum assumptiones.

<sup>i</sup> *In deligendo boni fine consentiunt]* Propter prædictam summi boni ideam unicuique insitam, ratione cujus præ-

dictæ propositiones fiunt: ut sæpius dictum est: usque adeo ut in ceteris, sic in homine finis ad ortum debet recurrere.

---



---

 METRUM II.

QUANTAS rerum flectat habenas<sup>k</sup>  
 Natura potens,<sup>l</sup> quibus immensum  
 Legibus<sup>m</sup> orbem provida servet,  
 Stringatque ligans irresoluto  
 Singula nexu, placet arguto  
 Fidibus lentis promere cantu.

5

*Volo argute canere chordis tardis, quantas inclinationes rerum natura potens vertat, et quibus legibus eadem natura prospiciens tutetur mundum ingentem, contineat-*

## NOTÆ

<sup>k</sup> *Habenas]* Habenæ proprie dicuntur de equis, quippe quos his instrumentis ad nutum habemus tractamusque. Quod autem equi habenis huc illucque flectantur, factum est, ut habenæ dicantur modo de legibus, quibus res ceteræ reguntur; modo de ipsis rerum inclinationibus, quibus tanquam frænis, res ipsæ flectuntur. Sic Tullius de Amic. ‘commodissimum est,’ inquit, ‘quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas cum velis, vel remittas.’ Sic etiam Virg. Æneid. XII. vs. 498. ‘Terribilis sævam nullo discrimine cædem suscitât, irarumque omnes effundit habenas.’

<sup>l</sup> *Natura potens]* Natura, quod di-

catur a nasci, idem est, quod principium: quare, ut principium, sic natura multiplicis generis. Hic Deus est, a quo primæ rerum omnium inclinationes ut a primo principio oriuntur. Sic Tullius II. de Nat. D. ‘Natura,’ inquit, ‘est, quæ contineat mundum omnem eumque tueatur.’ Sic Lucret. I. I. ‘Denique ni minimas in partes cuncta resolvi Cogere consuesset rerum natura creatrix.’

<sup>m</sup> *Quibus . . . Legibus]* Ut enim corporibus ad movendum, sic mentibus ad cogitandum suæ sunt leges, ab eo, a quo res istæ habent primum ut moveantur et cogitent, Conditore constitutæ: quare, ut Deus est immutabilis, sic leges istæ firmæ sunt,

Quamvis Pœni pulchra leones <sup>n</sup>  
 Vincula gestent, manibusque datas  
 Captent escas, metuantque trucem  
 Soliti verbera ferre magistrum ; 10  
 Si cruor horrida tinxerit ora,  
 Resides olim redeunt animi,<sup>o</sup>  
 Fremituque gravi meminere sui ;  
 Laxant nodis colla solutis,  
 Primusque lacer dente cruento 15  
 Domitor rabidas imbuit iras.

*que omnia connectens vinculo indissolubili. Licet leones Africani gerant catenas splendidas, et capiant cibos porrectos manibus domini, et timeant ipsum dominum terribilem, soliti ab eodem capulare : si tamen sanguis, verberibus præsertim fusus, imbuerit vultus eorum horrendos, spiritus jampridem otiosi recurrunt, et leones memores sui, murmure ingenti, liberant sua colla, vinculis ruptis, et ipse dominus, primus discerptus ore crudeli, satiat furores sævos eorumdem. Si volucris, quæ loquax*

## NOTÆ

dignæ propterea, quæ tanquam propria philosophicæ meditationis materies, ab ipsa Philosophia considerentur, suisque auditoribus sen stricta sen etiam soluta oratione proponantur : ‘ arguto’ autem hoc ‘ cantu’ Philosophia ad probandum, id quod sibi proposuit, quatuor adhibet argumentorum genera : primum a leonibus, secundum a volucris, tertium a plantis, quartum ab ipso Sole desumitur.

<sup>n</sup> *Pœni pulchra leones]* I. Philosophia probatura, perpetuum esse cuiuslibet rei ad suum principium remeantis circuitum, argumentatur a leonibus, quos vocat Pœnos sive Africanos, quod ut populi, sic leones Africæ ferociores esse soleant. Virg. I. Æneid. vs. 306. ‘ Et jam jussa facit, ponuntque ferocia Pœni Corda, volente Deo.’ Seneca in Hippol. vs. 347. ‘ Pœni quatunt colla leones, Cum movit amor ; tum sylvæ gemit Murmure sævo.’ Quasi dicat : Quemadmodum leones feroces, vinculis, escis, et verberibus mansuefacti, statim atque sanguinem missum, ocu-

lis, præsertim naribus, perceperunt, veluti immemores suæ captivitatis, prioris vero suæ indolis memores, fremunt, vincula rumpunt, et ipsum domitorem lacerant : sic homo suæ originis memor ad suum principium conatur regredi : sic Martialis Epigram. 75. lib. II. ait, leonem cicurem sanguine ferarum gladiatorumque in arena amphitheatri effuso commotum pueros invasisse et miserabiliter in conspectu omnium laceravisse : ‘ Verbera securi solitus leo ferre magistri, Insertamque pati blandus in ora manum, Dedit pacem, subito feritate reversa, Quanta nec in Libycis debuit esse jugis : Nam duo de tenera puerilia corpora turba Sanguineam rastris quæ renovabat humum, Sævus et infelix furiali dente peremit : Martia non vidit majus arena nefas.’

<sup>o</sup> *Resides olim redeunt animi]* Illa scilicet corpuscula, quæ sunt pars sanguinis subtilior, quæque cerebrum ingressa nervos hinc exortos subeunt, ut ventus organa musica : hæc quippe corpuscula propter quandam



Quæ canit altis garrula ramis  
 Ales,<sup>p</sup> caveæ clauditur antro :<sup>q</sup>  
 Huic licet illita pocula melle,  
 Largasque dapes dulci studio 20  
 Ludens hominum cura ministret ;  
 Si tamen arcto saliens tecto,<sup>r</sup>  
 Nemorum gratas viderit umbras,  
 Sparsas pedibus proterit escas,  
 Sylvas tantum mœsta requirit, 25  
 Sylvas dulci voce susurrat.

*cantare solet in summis arboribus, includitur cavea, veluti carcere: quamvis homo diligens illic suppeditet eidem potum melle conditum, et escas copiosas, animi causa; eadem nihilominus volucris, si angusta in domo sua saltans, conspexerit umbras jucundas sylvarum, conculcat dapes dispersas, tristis repetit solum sylvas, et suavi*

## NOTÆ

similitudinem, quam habent cum vento ejusque motu, 'animi' vocantur et 'spiritus.' Virgil. 1. Georg. vs. 415. 'Hand equidem credo, quia sit divinitus illis Ingenium, aut rerum fato prudentia major: Verum ubi tempestas et cœli mobilis humor Mutavere vias, et Jupiter humidus Austris Densat, erant quæ rara modo, et quæ densa, relaxat; Vertuntur species animorum, et pectora motus Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat, Concipiunt: hinc ille avium contentus in agris, Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.' Similiter ergo illi spiritus in leonibus cicuribus propter vincula, escas, et verbera a solito itinere ita deflectuntur, ut otiosi et quasi resides videantur. At novo sanguinis fusi seu colore, seu odore, seu utroque viæ hactenus obstructæ aperiuntur: unde hi spiritus, qua data porta ruentes, iter a natura sibi præscriptum tenent, leonemque insolito quidem sed non minus naturali motu commovent: hinc leones fremunt, rumpunt vincula, et ipsum domitorem lacerant: ita ut hic dicatur illorum 'iras imbueri:' sicut Virgil. ait VII. Æneid. vs. 541. 'Pro-

missi Dea facta potens, ubi sanguine bellum Imbnit, et primæ commisit funera pugnæ.'

<sup>p</sup> Quæ canit . . . Ales] II. Philosophia propter prædictum finem argumentatur a volucris, quæ caveis inclusæ, quamvis ibi summa hominum cura nutriantur, omni quo possunt modo sylvas requirunt. Ales ergo hic, utpote quæ ab alis vocatur, est avis alis utens; quippe quæ ad altissima usque loca ascendere solita, difficilius ceteris mores alienos induit.

<sup>q</sup> Caveæ clauditur antro] Cavea generatim est quilibet locus cavatus obscurusque, hic autem 'caveæ' sunt carceres, quibus aves præsertim includere solemus, vulgo *des cages*: voluit vero Philosophia 'ramis altis,' in quibus ales garrire solet, opponere 'caveæ antrum,' quo ales includitur, ut magis denotaret, quantum hic alitis status a naturali distet.

<sup>r</sup> Arcto saliens tecto] In tecto, inquam, non e tecto saliens: alioquin nec 'sparsas pedibus proterere escas,' nec 'mœsta,' nec 'sylvas voce susurrare,' sed potius deseruisse escas, læta, et sylvis adesse diceretur. Nimirum cavea ceteraque corpora, qui-

Validis quondam viribus acta,  
 Pronum flectit virga<sup>s</sup> cacumen:  
 Hanc si curvans dextra remisit,  
 Recto spectat vertice cœlum. 30  
 Cadit Hesperias Phœbus in undas;<sup>t</sup>  
 Sed secreto tramite<sup>u</sup> rursus  
 Currum solitos vertit ad ortus.<sup>v</sup>

*garrulitate murmurat sylvas easdem. Qui ramus olim coactus forti robore, demittit ad terras verticem curvatum, hic, statim atque manus flectens laxavit illum, respicit cœlum cacumine erecto. Sol labitur in aquas vespertinas: at iterum detorquet plastrum ad Orientem consuetum, occulta via. Omnia requirunt regressus*

## NOTÆ

bus ales inclusa circumdatur, sic mutant vias, quibus animi sive spiritus diffundi solent, ut hi spiritus otiosi videantur. At ubi recens aut color, aut sonus, aut odor umbrosi nemoris ad cerebrum usque diffusus aut raram densavit, aut relaxavit densum, tunc mutatis meatibus vertuntur cursus animorum, ita ut his et alæ ad saltandum, et pedes ad prote-rendas escas, et fames ad susurrandas sylvas commoveantur. Ovid. l. II. de Ponto, Eleg. 4. 'Cum bene sint clausæ cavea Pandione natæ, Nititur in sylvas quæque redire suas.'

<sup>s</sup> *Validis quondam viribus acta . . virga*] III. Philosophia prædictum ob finem argumentatur a plantis, quibus inest vis illa, quam philosophi elasticam vocant, *vertu de ressort*; quæque in hoc versatur, quod corpus compressum tensusve ultro citroque quam minus resistitur, facta libertate resiliat. Hæc virtus occurrit non solum in quibusdam metallis, verum etiam in pluribus plantis: quare si virga hujus generis 'recto spectans vertice cœlum,' ad terram majori 'dextræ' virtute curvetur, eadem, facta redeundi facultate, ad cœlum recurrit.

<sup>t</sup> *Cadit Hesperias Phœbus in undas, &c.*] IV. Philosophia hanc ob causam

argumentatur a Sole, quem Poëtæ fabulantur occidentem sese in undas æquoreas condere, ut pulvere ceterisque sordibus, quas per diem contraxerit, purgatus, mane purior oritur. Hesperia undæ sive vespertina dicuntur ab Hespero, sive stella, quæ prima post occasum Solis nobis apparet. Phœbus vero Sol dicitur, a Græco *φῶβος*, splendidus, ut sæpius diximus.

<sup>u</sup> *Secreto tramite*] Via quippe, qua Sol ab Occasu ad Ortum remeat, ignota est, omnibus quidem hominibus, quos sibi ex adverso stantes antipodas ceteri homines habent: quod Sol his et illis hominibus simul non appareat, sed præsertim Poëtis, qui et occidentem Solem in aquas præcipitare, et orientem ab iisdem aquis consurgere mentiuntur.

<sup>v</sup> *Currum solitos vertit ad ortus*] Nam Sol ab iisdem Poëtis vehi fingitur curru, cujus sint axis, rotæ, equi: Ovid. II. Metam. vs. 63. 'Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enituntur equi; medio est altissima cœlo . . . Ultima prona via est, et eget moderamine certo. Tunc etiam quæ me subjectis excipit undis Ne ferar in præceps Tethys solet ipsa vereri.'



Repetunt proprios quæque recursus,<sup>w</sup>  
 Redituque suo singula gaudent. 35  
 Nec manet ulli traditus ordo,  
 Nisi quod fini junxerit ortum,  
 Stabilemque sui fecerit orbem.<sup>x</sup>

*suos, et cuncta delectantur recursu suo. Ordo unicuique rei præscriptus non servatur, nisi hæc conjunxerit suum finem cum suo principio, et fecerit circulum sui constantem.*

## NOTÆ

<sup>w</sup> *Repetunt proprios quæque recursus, &c.*] Singula conantur ad eum, unde digressa sunt, statim recurrere, hocque statu recuperato veluti gaudent: sic bestię priores mores, plantę priores situs, Sol ipse priorem locum appetere et quantum in se est repetere videtur. Horatius Epist. l. I. Ep. 10. ‘Naturam expellas furca, tamen usque recurret.’

<sup>x</sup> *Stabilemque sui fecerit orbem*] Ut unus sit cujuslibet rei in suum principium remeantis circuitus. Sic Ecclesiastę I. ‘Oritur Sol et occidit,

et ad locum suum revertitur: ibique reuascens gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.’ Atque ex his omnibus Philosophia concludendum relinquit homines a Deo tanquam a principio ortos, quendam sui orbem facturos, instar ceterorum, ad Deum tanquam ad suum finem recurrere.

## PROSA III.

Vos quoque, o terrena animalia,<sup>f y</sup> tenui licet imagine,<sup>g z</sup> vestrum tamen principium somniatis,<sup>h a</sup> verumque illum beatitudinis finem,<sup>b</sup> licet minime perspicaci, qualicumque

<sup>f</sup> *Homines.*    <sup>g</sup> *Obscura quamvis cogitatione.*    <sup>h</sup> *Cogitatis.*

## NOTÆ

<sup>y</sup> *Terrena animalia*] Homines rebus terrenis addicti.

<sup>z</sup> *Tenui licet imagine*] Specie sive idea ingenita, quæ corporis consortis impressionibus obscuratur.

<sup>a</sup> *Vestrum principium somniatis*] Deum obscure, instar somniantium, percipitis: sicut jam explicuimus.

<sup>b</sup> *Verumque . . . finem*] Ut homo instar ceterarum rerum ‘stabilem sui faciat orbem,’ necesse est ut quod fuit illi principium, idem sit finis cogitandi: quamobrem si homo, obscure saltem, suum agnoscat principium, idem homo, obscure pariter, suum finem cognoscat, necesse est.

tamen cogitatione <sup>c</sup> perspicitis,<sup>3</sup> eoque vos et ad verum bonum naturalis ducit intentio,<sup>d</sup> et ab eodem multiplex error abducit.<sup>e</sup> Considera namque, an per ea quibus se homines adepturos beatitudinem putant, ad destinatum finem valeant pervenire. Si enim vel pecuniæ, vel honores,<sup>4</sup> ceteraque tale<sup>5</sup> quid afferunt<sup>6</sup> cui nihil bonorum abesse videatur, nos quoque fateamur fieri aliquos horum adeptione felices. Quod si neque id valent efficere quod promittunt, bonisque pluribus carent, nonne liquido <sup>i</sup> falsa in eis beatitudinis species deprehenditur? Primum igitur teipsum, qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo.<sup>f</sup> Inter illas <sup>g</sup> abundantissimas opes nunquamne animum tuum concepta ex qualibet injuria confudit anxietas? Atqui, inquam, tam libero me fuisse animo, quin aliquid semper angeret,<sup>h</sup><sup>7</sup> reminisci nequeo.<sup>8</sup> Nonne quia vel aberat quod abesse non velles, vel

<sup>i</sup> Evidenter.      <sup>h</sup> Cruciaret.

//////////

<sup>3</sup> *Prospicitis* edd. Delph. Hack.—<sup>4</sup> *Pecunia, vel honores* edd. eædem.—  
<sup>5</sup> ‘*Meus codex: talia, bene.*’ Bernart.—<sup>6</sup> Ms. Rittersh. *quid appetunt.*—  
<sup>7</sup> Mss. omittunt particulam *tam*: et pro *angeret* habent *angerer.*—<sup>8</sup> Reg. et

#### NOTÆ

<sup>c</sup> *Licet minime perspicaci, qualicumque tamen cogitatione*] Prædicta scilicet obscuraque specie sive idea, quæ quod sit in nobis et hujus proxime conscii sumus, merito vocatur ‘cogitatio.’

<sup>d</sup> *Ad verum bonum naturalis ducit intentio*] Quod enim mens nostra divinitus informetur prædicta specie, in qua quædam attributa naturaliter videt comprehendi, propterea eadem nostra mens judicando veras naturaliter format de summo bono propositiones, quas, propter necessitudinem, quæ est inter judicium appetitumque boni, ‘naturalis intentio’ sequitur.

<sup>e</sup> *Ab eodem multiplex error abducit*] Nimirum dum eadem mens prædictis propositionibus convicta, præjudiciis ita deflectitur, ut falsis assumptionibus judicium intentionemque habeat

de eo, cui ante captæ summi boni proprietates non conveniunt: sicut de unoquoque seorsum probandum est, videlicet de divitiis, dignitatibus, regno, gloria, et voluptatibus: ac primo quidem de divitiis.

<sup>f</sup> *Primum igitur teipsum, qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo*] Boëthius quippe, priusquam apud Theodoricum male audiret, ditissimus fuit: unde expertus novit, quomodo homo afficiatur erga amissas, amittendas, et præsentibus quoque divitiis, potestque propterea interroganti Philosophiæ respondere, divites nec anxietate animi, nec metu, nec pluribus aliis affectibus vacare.

<sup>g</sup> *Inter illas, &c.*] I. Ergo argumentatur Philosophia ab anxietate animi. ‘Anxietas,’ quasi ‘anctietas,’ a supino ‘anctum:’ hoc autem ab ‘ango,’<sup>a</sup>



aderat quod adesse noluisses? Ita est, inquam. Illius igitur præsentiam, hujus absentiam desiderabas. Confiteor, inquam. Eget vero, inquit, eo quod quisque desiderat? <sup>9</sup> Eget, inquam. Qui vero eget aliquo, num est usquequaque sibi ipse sufficiens? <sup>10</sup> Minime, inquam. Tu itaque hanc insufficientiam plenus, inquit, opibus sustinebas? <sup>11</sup> Quidni? inquam. Opes igitur nihilo indigentem, sufficientemque sibi facere nequeunt; et hoc erat quod promittere videbantur. Atqui hoc quoque maxime considerandum puto, <sup>h</sup> quod nihil habeat suapte natura pecunia, ut his a quibus possidetur, invito nequeat auferri. Fateor, inquam. Quidni fateare, cum eam quotidie valentior aliquis eripiat invito? Unde enim forenses querimoniæ, <sup>l</sup> nisi quod vel vi vel fraude a nolentibus pecuniæ repetuntur ereptæ? Ita est, inquam. Egebit igitur, inquit, extrinsecus petito præsidio, quo suam pecuniam quisque tueatur. Quis id, <sup>12</sup> inquam, neget? Atqui non egeret eo, nisi possideret pecuniam quam possit amittere. <sup>13</sup> Dubitari, inquam, nequit. In contrarium igitur relapsa res est: nam quæ sufficientes sibi <sup>m</sup> facere putabantur opes, alieno potius præsidio faci-

<sup>l</sup> Lites.      <sup>m</sup> Hominibus.

Vict. secundus: *non queo*.—9 Ms. Rittersh. *Eget vero quisque, inquit, eo, quod desiderat*.—10 Mss. *sibi ipsi sufficiens*.—11 ‘Hic meus: *opibus sustentabas: placet*.’ Bernart.—12 Edd. Delph. et Hack. omittunt voculam *id*.—13 *Possit*

#### NOTÆ

quod est constringo: quamobrem ‘anxietas’ hic idem quod ‘animi angor’: sed angor, teste Tullio, est ægritudo premens; ita ut animus, instar partium corporis compressi, videatur ‘confundi’ propter ‘aliquam injuriam’: unde sic argumentari videtur Philosophia. Ubi est animi anxietas, ibi felicitas non est: anxietas enim illa, utpote animi ægritudo, est felicitati contraria. Atqui in divitibus semper quædam est animi anxietas: quod his vel absit, quod abesse non vellent, vel adsit, quod adesse nollent: sicut Boëthius expertus fa-

tetur. ‘Insufficiencia’ vox Latina non videtur.

<sup>h</sup> *Hoc quoque maxime considerandum puto*] II. Eadem Philosophia argumentatur a timore, cujus divites nunquam sunt expertes, hac fere ratione. Ubicunque est timor, ibi non est felicitas: quod timere sit malum: felicitas autem omne malum expellat. Atqui in divitibus semper est timor; saltem ne ipsi ‘a potentioribus spoliarentur invito’: cum ‘pecunia vel vi vel fraude invito domino quotidie eripiatur, ut forenses querimoniæ probant,’ et ipse Boëthius expertus est:

unt indigentes. Quis autem modus<sup>i</sup> est quo pellatur divitiis indigentia? Num enim divites esurire nequeunt? num sitire non possunt? num frigus hybernum pecuniosorum membra non sentiunt? Sed adest, inquires, opulentis quo famem satient, quo sitim frigusque depellant. Sed hoc modo consolari<sup>k</sup> quidem divitiis indigentia potest, auferri penitus non potest. Nam si hæc<sup>n</sup> hians<sup>l4</sup> semper, atque aliquid poscens, opibus expletur,<sup>l5</sup> maneat necesse est quæ possit expleri. Taceo, quod naturæ minimum, quod avaritiæ nihil satis<sup>l</sup> est. Quare si opes nec summoveere indigentiam possunt, et ipsæ suam faciunt, quid est quod eas<sup>m</sup> sufficientiam præstare credatis?

<sup>n</sup> *Indigentia.*



*amittere* Vulg.—14 Ms. Rittersh. *Nam si hæc inhians.*—15 Vallinus ait se edendum putasse, *non expletur*, ut ex serie orationis stet Boëthii sententia: licet libri repugnent: quanquam, ait, et sensus aliquis esse potest dispuncta negativa dictione. *Non expletur* exhibent Delph. Hack.

#### NOTÆ

quare tantum abest, ut divitiæ satisfacere possint, ut ‘ alieno potius præsidio faciant indigentes.’

<sup>i</sup> *Quis autem modus, &c.]* III. Philosophia argumentatur a pluribus aliis affectibus, quos opes impedire nequeunt, immo sæpius excitant augentque: quod potest sic contrahi. Ubi est fames, sitis, frigus, ceteræque ejusmodi affectiones menti incommo-dæ, ibi non est felicitas: quod bonum his malis contrarium absit. Atqui in divitibus, non secus ac in pauperibus, est fames, sitis, frigus, et cetera hujusmodi, quæ quamvis opibus possint differri, opibus tamen omnino auferri non possunt.

<sup>k</sup> *Consolari]* Verbum hoc sæpius actionem significat: sed in contrarium etiam partem dictum invenies

apud optimos auctores: Asinius in Epist. Cic. ‘ consolabar ob ea quæ timui.’

<sup>l</sup> *Naturæ minimum, . . . . avaritiæ nihil satis]* Natura hic corpus est, avaritia est mens appetens: corpori autem minimum sufficere potest: sicut minimus cibus famem, minimus potus sitim, minimus calor frigus expellere potest: at menti appetenti nihil satis est: nam, ut ait Juvenalis, ‘ Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.’

<sup>m</sup> *Quid est quod eas, &c.]* Quare, o homines, arbitramini divitias instar summi boni vobis posse sufficere? Vere quidem proponitis, illud esse summum bonum quod sufficere potest: sed falso assumitis, divitias posse sufficere: nam—



## METRUM III.

QUAMVIS fluente dives auri gurgite <sup>n</sup>  
 Non expleturas cogat avarus <sup>o</sup> opes,  
 Ornetque <sup>16</sup> baccis colla <sup>p</sup> rubri littoris,  
 Ruraque centeno <sup>q</sup> scindat opima bove:

*Etiamsi dives auri flumine manante avidus congreget divitias non satiaturus ipsum; etiamsi idem gravet suum collum unionibus maris rubri; etiamsi colat agros*



16 Ms. Erfurt. et edd. Norimb. Delph. Hack. *Oneretque baccis.* 'Nec dam-

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Fluente dives auri gurgite*] I. Agitur de pecunia. Hic autem primus versus tanta industria compositus est, ut duplex esse possit legitima illius significatio. Primum enim recte intelligitur 'dives auri:' sicut apud Virgilium dicitur 'dives pecoris,' et apud Horatium, rerum multarum 'dives.' Deinde non male intelligitur 'fluente auri gurgite,' cogitato quodam auri flumine, quemadmodum Pactolus et Tagus dicuntur auro fluere: gurgis enim a sono sic dictus, significat profundiorum quendam locum, in quem aqua, aliusve similis liquor affluens volvendo murmurat. Sic suprema faucium extremitas vocari solet gurgulio: unde qui abdomini natus helleationibus indulget, hic 'gurgis' et 'vorago' patrimonii dicitur ipsi Tullio. Sic etiam mare et flumen apud Poëtas nomine gurgitis significatur. Virgil. I. Æneid. vs. 122. 'Apparent rari nantes in gurgite vasto.'

<sup>o</sup> *Avarus*] Avarus, quasi avidus æris, ex quo antiquitus pecunia fiebat, non satiatur opibus: quod expertus præsentis parvi faciat; inexpertus vero absentes magni ducat.

<sup>p</sup> *Ornetque baccis colla*] II. Agitur de gemmis: 'bacca' enim primum

est minutus rotundusque arboris fructus, cujusmodi sunt olivæ, ut baccæ distinguantur a pomis, quæ majores sunt arborum fructus. Virg. Eclog. x. vs. 27. 'Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.' Deinde bacca est gemma rotunda, sive unio, sic vocata quod instar baccæ arboreæ rotunda aut saltem ovata, figuræ sit uniusmodi: propterea enim cepa Gallis vocatur *oignon*. Horatius Epod. Od. 8. 'Nec sit marita quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet.' Mare autem rubrum, quod Græcis dicitur *Ἐρυθραῖον*, ejusmodi uniones magnitudine, figura, et colore præstantissimos ferre asserunt inter alios Plinius l. ix. cap. 35. et Tibullus l. iv. Carm. 2. 'Quascumque niger rubro de littore conchas Proximus Eois colligit Indus aquis.'

<sup>q</sup> *Ruraque centeno*] III. Agitur de agris, quorum eximia tum quantitas, tum etiam qualitas exprimitur: quantitas quidem centeno numero boum, quibus agri colantur: centum enim apud Auctores numerus magnus est. Horat. l. ii. Carm. Od. 16. 'Te greges centum Siculæque circum Mugiunt vaccæ.' Qualitas vero agris 'opimis.'

Nec cura mordax<sup>r</sup> deserit superstitem,<sup>17</sup> 5  
 Defunctumque leves non comitantur opes.

*pingues bobus innumeris: hæc divitiæ ut mordaces angunt viventem, sic inconstantes non comitantur mortuum.*

nes scriptum, *Oneretque.* Bernart.—17 Reg. et Vict. primus: *deseret superstitem.* Vict. secundus: *deserat.*

## NOTÆ

<sup>r</sup> *Nec cura mordax, &c.*] Quamvis, inquit Philosophia, dives abundet pecunia, gemmis, et agris opimis, non propterea felix erit: nam vel superstes vitam aget, vel vita defunctus morietur. Si vivat, anxiferis cruciabitur curis, sive ad conservandas veteres, sive ad comparandas novas opes. Si vero moriatur, quicquid ex suis opibus sperare poterat consolationis, illud ipsum ‘non comitabitur;’

opes enim, utpote caducæ vitæ famulantes, hac recedente recedunt, transituræ ad hæredem, quem similibus curis ita afficient, ut si te tangat illius amor, opes novum tibi esse debeant doloris argumentum: falso igitur assumes eam, quam naturaliter cognoscis appetisque, felicitatem in divitiis reperiri. Videamus dignitates.

## PROSA IV.

SED dignitates<sup>o</sup> honorabilem reverendumque, cui provenerint, reddunt.<sup>s</sup> Num vis ea est magistratibus<sup>p</sup> ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui<sup>q</sup> non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent: quo fit ut indignemur, eas sæpe nequissimis hominibus contigisse:

<sup>o</sup> *Objicit Boëthius.*    <sup>p</sup> *Reponit Philosophia.*    <sup>q</sup> *Non certe.*

## NOTÆ

<sup>s</sup> *Dignitates honorabilem reverendumque . . . reddunt*] Id quidem objicit Boëthius Philosophiæ: sed hæc reponit, has dignitates non tam ratione sui, quam opinione vulgi honorabilem reverendumque Magistratum reddere; ex quo fit, ut nec ubique nec semper Magistratus honore afficiantur.

<sup>t</sup> *Num vis ea est magistratibus, &c.*] I. Philosophia reponit dignitates rati-

one sui non reddere hominem honorabilem et reverendum. Cum enim honor et reverentia sit intrinsecus quidem cogitatio, extrinsecus vero nota optima meriti alieni, idcirco honor et reverentia ita comitantur virtutem, ut quicquid ratione sui hominem reddit honorabilem et reverendum, illud, si virtus ipsa non sit, ‘virtutem mentibus inserere’ debeat adeoque ‘vitia depellere.’ Atqui digni-



unde Catullus<sup>u</sup> licet in curuli Nonium sedentem, strumam appellat.<sup>18</sup> <sup>v</sup> Videsne quantum dedecus malis<sup>19</sup> adjiciant<sup>20</sup> dignitates? Atqui minus eorum patebit indignitas si nullis honoribus inclarescant.<sup>1</sup> Tu quoque num tandem tot peri-

<sup>r</sup> *Magistratum.*

18 Edd. Delph. et Hack. *strumam tamen appellat.*—19 *Malis dedecus* edd. æadem.—20 Thuan. *primus adjiciunt.*—1 *Veteres: clarescant.*—2 *Vict. se-*

#### NOTÆ

tates sive magistratus non ita se habent: quandoquidem ‘illustrare potius nequitiam solent, quam fugare; quo fit ut indignemur eas sæpe nequissimis contigisse:’ sicut Catullus ‘Nonium,’ et ipse Boëthius ‘Decoratum’ ægre tulit magistratum gerere.

<sup>u</sup> *Unde Catullus]* Poëta notissimus, qui, quod in versibus ita fuerit mordax, ut ne Cæsari quidem pepercerit, non dubitavit Nonium Magistratum, sive, ut nunc dicitur, ‘in curuli sedentem,’ ejusdem cognomini alludens, convitio consecrari. Carm. 53. ‘Quid est, Catulle, quid moraris emori? Sella in curuli struma Nonius sedet: Per consulatum pejerat Vatinius. Quid est, Catulle, quid moraris emori?’

<sup>v</sup> *Licet in curuli Nonium sedentem, strumam appellat]* Plures hic putant, Boëthium ignorasse strumam esse cognomentum Nonii: ‘Boëthius allucinatur,’ inquit Josephus Scaliger ad prædictos versus Catulli, ‘qui strumam non cognomen Nonii putat, sed convitium.’ Unde Sitzmannus hic, ‘notanda,’ ait, ‘hoc loco ἀνιστορησία nostri Boëthii, in eo quod strumam non cognomen Nonii putat:’ et Bernartius hic quoque, ‘videamus,’ inquit, ‘ne guttulam hauserit e flumine Lethes vir maximus.’ Idem putat Murelius. At Boëthius, pace tantorum virorum, accusandus non est hic aut ignorantiae aut erroris: quamvis enim

‘struma’ cognomen fuerit Nonii, Nonius tamen a Catullo instar convitii ‘struma’ vocari potuit. Scilicet quod cognomen ab aliquo, sive corporis, sive mentis, vitio desumitur, illud potest veluti convitium proponi, iis præsertim quibus primo impositum: ut ei qui primum dictus est Servius a servo, *un esclave*; Spurius a spurio, *un bastard*; Brutus a bruto, *un stupide*, cognomen tanquam convitium objici potest. Immo id cognominis nunquam reperias apud veteres Romanos cum nomine eorum, in quos invehuntur, conjunctum, nisi convitii causa. Sic ‘Marrucinus,’ quo cognomine donatur Asinius Asinii Pollionis frater, iudice prædicto Scaligero, ut convitium eidem Asinio objicitur a Catullo Carm. 12. ‘Marrucine Asini manu sinistra Non belle uteris in joco atque vino.’ Sic ‘Superbus,’ cognomen Tarquinii, ut convitium ipsi Tarquinio proponitur a Propertio l. III. Eleg. 10. ‘Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures, Nomine quem simili vita superba notat?’ Atqui ‘struma’ cognomen est Nonii, et quidem ipsi primo datum, quod cognomen ex vitio corporis, strumis videlicet, Gallice *des escrouelles*, desumitur. Adde quod ad strumas, hujus cognominis originem, eo potius alludere visus est Catullus, quod Nonio Prætori in prædicto Carmine Catullus jungat Vatiniū Consulem, qui, quod strumis laboraret, ab ejus

culis adduci potuisti<sup>2</sup> ut cum Decorato<sup>w</sup> gerere magistratum putares, cum in eo mentem nequissimi scurræ<sup>s</sup> delatorisque respiceres?<sup>3</sup> Non enim possumus ob honores reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos. At si quem sapientia præditum videres, num posses eum vel reverentia, vel ea qua præditus est, sapientia, non dignum putare? Minime. Inest enim dignitas propria virtuti, quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta, transfundit. Quod quia populares<sup>t</sup> nequeunt facere<sup>4</sup> honores,<sup>x</sup> liquet, eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere. In quo illud est animadvertendum magis: nam si eo abjectior est, quo magis a pluribus quisque contemnitur,

<sup>s</sup> Sannionis, qui videlicet omnibus modis risum movere nititur. <sup>t</sup> Exhibiti a populo.

cundus abduci potuisti.—3 ‘Melius Mss. vidisses.’ Bernart.—4 *Facere* nequeunt Delph. Hack.—5 Mss. cum edd. Norimb. Florent. Delph. et Hack. *facere*

## NOTÆ

inimico Cicerone sæpius ‘strumæ’ aut ‘strumosi tumoris’ nomine denotatur. Pro Sestio: ‘medentur civitati, qui exsecant pestem aliquam tanquam strumam:’ in Vatin. ‘strumæ denique ab ore improbo denigrarunt:’ et alibi: ‘tumidum habemus oratorem.’ Hæc de Nonio.

<sup>w</sup> *Cum Decorato*] Decoratus hic est ille, ad quem Theodoricus apud Casiodorum Var. l. v. Ep. 31. scribit, ut compellat quosdam pecuniam solvere postulatam, si revera eos forte constiterit debitores: quod Adjutor Magistro Officiorum judicanti adesset: et propterea, solito officii nomine, ibidem vocatur ‘devotus,’ ‘devotio tua:’ quod non obstat quin vere nunc dicatur ‘nequissimus scurra’ et ‘delator:’ (‘Scurra’ quidem, quod potentes secutus, dicteriis sibi victum aut aliud commodum aucuparetur. Juvenal. ‘Mimum agit ille, Urbani qualem facundus scurra Catulli.’ ‘Delator’ vero, quod alios calumniatus

occulte accusaret:) ejusmodi enim homines puniri jussit Domitianus: ‘princeps,’ inquiebat hic Imperator apud Suetonium, ‘qui delatores non castigat, irritat.’ Propterea Boëthius convictus Magistratum non efficere meliores, ‘adduci,’ etiam ‘periculis, non potuit, ut cum illo Decorato magistratum gereret.’

<sup>x</sup> *Quod quia populares nequeunt facere honores*] II. Eadem Philosophia innuit, honorem dignitatum ab opinione vulgi pendere: unde nunc vocatur ‘popularis,’ sive a populo exhibitus. Scilicet honor et reverentia, ut jam monuimus, nihil est aliud, quam intrinsecus quidem cogitatio, extrinsecus vero nota optima meriti alieni: unde sive illa cogitatio, sive hæc nota ita honorantis est, ut honoratum nequeat reddere ‘honorabilem et reverendum;’ solius virtutis est honoratum reddere honorabilem: unde sola virtus est ‘propria dignitatis pulchritudo.’



cum <sup>u</sup> reverendos facere nequeant,<sup>5</sup> quos pluribus ostentat despectiores, potius <sup>v</sup> dignitas improbos<sup>6</sup> facit.<sup>7</sup> Verum non impune: <sup>w</sup> reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant. Atque ut agnoscas <sup>z</sup> veram illam reverentiam per has umbratiles dignitates non posse contingere, sic collige.<sup>7</sup> Siquis multiplici consulatu functus in Barbaras nationes forte devenerit, venerandumne Barbaris honor faciet? <sup>x</sup> Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio suo quoquo gentium <sup>y</sup> nullo modo cessarent: sicut ignis ubique terrarum, nunquam tamen calere desistit. Sed quoniam id eis non propria vis, sed hominum fallax annectit opinio, vanescunt illico cum ad eos venerint qui dignitates eas esse non æstimant. Sed hoc apud exteras nationes. Inter eos vero apud quos ortæ sunt, num perpetuo perdurant? <sup>z</sup> Atqui præfectura <sup>a8</sup> magna olim potestas, nunc inane nomen<sup>a</sup>

<sup>u</sup> Dignitates.      <sup>v</sup> Eadem.      <sup>w</sup> Sine pœna.      <sup>x</sup> Non sane.      <sup>y</sup> Ubique.  
<sup>z</sup> Minime vero.      <sup>a</sup> Dignitas Præfecti.

nequeat.—6 *Improbos dignitas* duæ edd. ultimæ prædictæ.—7 ‘Mss. posteriora illa verba, *sic collige*, non habent; et omitti sane optime possunt.’ *Sitzm.* omittunt edd. Delph. et Hack. Nostra lect. est ex ed. Florent.—8 ‘*Præfectura*: Ea lectio fuit codicis Thuanæi secundi: male alii omnes, *præfectura*, quod nomen nihil, tempore quidem Boëthii, significabat.’ *Vallin.* ‘Rectissime Ms. Erfurt. *Atqui Prætura.*’ *Sitzm.* *Prætura* dant edd. Delph. et Hack. et idem probat doctiss. Ja. Cujacius.

## NOTÆ

<sup>y</sup> *Despectiores . . dignitas improbos facit*] Contemptus enim, utpote honori contrarius, intrinsecus quidem est cogitatio, extrinsecus vero nota pessima meriti alieni: quare cum improbus eo vitiosior videatur quo sublimiori dignitate affectus est, sicut dictum est Pros. 6. lib. II. propterea ‘dignitas improbos facit abjectiores despectioresque.’

<sup>z</sup> *Atque ut agnoscas, &c.*] III. Inquit Philosophia, si dignitates ratione sui potius, quam vulgi opinione hominem redderent honorabilem et venerandum, sicut ‘ignis semper et ubique terrarum calet,’ sic quicumque

dignitatibus afficerentur, hi semper et ubique essent honorabiles: sed res non ita se habet. Primum enim qui dignitatibus afficiuntur, hi non sunt ubique honorabiles: nam ‘si quis multiplici consulatu functus in Barbaras nationes forte devenerit,’ non propterea his videbitur honorabilis; sed iis solum, qui quodam præjudicio consulatum honore dignum existimant. Deinde qui dignitatibus decorantur, hi non semper videntur honorabiles: siquidem apud easdem gentes, quæ uno tempore magni, hæ alio parvi penduntur dignitates: nam

est, et senatorii census gravis sarcina.<sup>b</sup> Si quis quondam populi curasset annonam,<sup>c</sup> magnus habebatur. Nunc ea præfectura quid abjectius? Ut enim paulo ante diximus, quod nihil habet proprii decoris, opinione utentium nunc splendorem accipit, nunc amittit. Si igitur reverendos facere nequeunt dignitates, si ultro improborum contagione sordescunt, si mutatione temporum splendere desinunt, si gentium æstimatione vilescunt, quid est quod in se expectandæ pulchritudinis habeat, nedum aliis præstent?

<sup>b</sup> Onus.    <sup>c</sup> Præfectus annonæ.

## NOTÆ

<sup>a</sup> Præfectura [prætura] magna olim potestas, nunc inane nomen] Prætores Romani, ut docent Jurisperiti, ab initio, jure magistratus edicta tantum proponebant, de quibus rebus, et quomodo jus dicturi essent: progressu autem temporis, non obnitente populo, hoc simul usurparunt, ut edicendo etiam jus constituerent: sed tandem suis sumtibus Circenses et Scenicos duntaxat ludos exhibebant: unde 'inane nomen et gravis sarcina' tunc erat illa Prætoris dignitas. Similiter

<sup>b</sup> Si quis quondam populi curasset annonam, &c.] Præfectus annonæ tantus olim erat apud Romanos, ut Au-

gustus ipse acceptam a populo annonæ præfecturam, quoad vixit, tenuerit, aut certe paulo ante mortem substituerit sibi C. Turrianum, qui inter primos in verba Tiberii juravit, quasi inter præcipuos Magistratus: sed Boëthii temporibus Præfectus annonæ nullam nisi in pistorum urbis negotiatoresque suarios censuram et animadversionem habebat: ut colligitur ex formula hujus præfecturæ quam refert Cassiodorus l. vi. Variar. form. 18. Falluntur ergo sua assumptione qui summum bonum putant versari in dignitatibus sive magistratibus.

## METRUM IV.

QUAMVIS se Tyrio superbus ostro<sup>c</sup>  
Comeret,<sup>d</sup> et niveis lapillis,

*Etiamsi Nero se adornaret, insignis purpura Tyria, gemmisque candidis, idem*

## NOTÆ

<sup>c</sup> Tyrio superbus ostro] Ostrum ab ostreo dicitur. Ostreum autem, Græcis ὄστρεον, generatim illud omne animalis genus significat, quod testa in-

clusum latet. At inter ista conchylium unum est, inquit Plinius, ex cujus concha incisa colligitur succus tingendis vestibus expetitus; et hoc



Invisus tamen omnibus vigebat<sup>e</sup>

Luxuriæ Nero sævientis.<sup>f</sup>

Sed quondam dabat improbus verendis

5

Patribus indecores curules.<sup>g</sup>

*nihilominus imperator luxus furentis, vivebat odiosus cunctis. At idem imperator sceleratus, olim tribuebat fasces infames Senatoribus venerandis. Quis ergo credat,*

#### NOTÆ

proprie dicitur ‘ostrum.’ Hinc ‘ostrum’ accipitur non solum pro concha, sed etiam pro colore purpureo, qui ex conchæ istius sanie conficitur, immo pro vestibus, quæ hoc colore imbuuntur. Tyrus autem urbs Phœniciæ ejusmodi conchylii piscatu celeberrima fuit: quare ostrum dicitur Tyrium ab urbe, et Phœniceum a provincia. Est porro purpura alia rubra, alia violacea. Virgil. Geor. II. vs. 506. ‘Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.’ Et III. Geor. vs. 17. ‘Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro.’ Et Æneid. I. vs. 643. ‘Arte laboratæ vestes, ostroque superbo.’

<sup>d</sup> *Comeret*] ‘Comere’ ornare est, generatim quidem corpus, speciatim vero capillos: dicitur enim a Græco κοσμεῖν: unde comtus, ornatus; et coma, capilli studio exculti. Id autem merito dicitur de Nerone, quippe qui, ut ait Suetonius, ‘circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit: ac plerumque synthesinam indutus, ligato circa collum sudario prodierit in publicum sine cinctu, et discalceatus.’

*Niveis lapillis*] Hoc est, gemmis pretiosissimis. Si enim, ut de eo loquitur Suetonius, ‘nullam vestem bis induit;’ si ‘piscatus est rete aurato purpura coccoque funibus nexis;’ si ‘nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis;’ si ‘divitiarum et pecuniæ

fructum non alium putabat, quam profusionem;’ certe credibile est, ipsum oneratum fuisse ‘gemmis et margaritis, quarum,’ auctore eodem Suetonio, ‘per omnes dies singula quotidie millia populo spargebat.’

<sup>e</sup> *Invisus tamen omnibus vigebat*] Id patet non solum ex maledictis convitiisque, quæ dum viveret, patientius tulit; sed etiam ex eo, quod mors illius tantum gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret.

<sup>f</sup> *Luxuriæ Nero sævientis*] Summa fuit Neronis luxuria, ut jam diximus: sed non minor ejus crudelitas; nam parricidia et cædes a Claudio exorsus est. Britannicum non minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est: matrem, amitam, uxores, et conjunctissimos occidit.

<sup>g</sup> *Dabat... Patribus... curules*] Curulis erat sella eburnea cœlataque, currui, quo præstantiores Magistratus in Curiam vehi solebant, imposita, supra quam iidem Magistratus considerent. Hinc ‘ebur curule,’ ‘sella curulis,’ et ‘curulis,’ substantive sæpe, ut nunc, majorem Senatoris dignitatem significant. Horatius Epist. I. I. Ep. 6. ‘Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule Cui volet importunus ebur: Frater, Pater, adde.’ Ovid. I. IV. de Pont. El. 9. ‘Signa quoque in sella nossem formata curuli Et totum Numidæ sculptile dentis

Quis illos igitur putet beatos?<sup>9</sup>  
 Quos miseri tribuunt honores?<sup>h</sup>

*dignitates illas, quas homines infelices dant, afferre felicitatem?*

9 *Quis illos igitur putes beatos* Vulg.

NOTÆ

opus.' Lucanus l. III. 'Prætor adest, vacuæque loco cessere curules.' Has autem Senatorum dignitates Nero iis, qui magis placerent, patribus conferebat, causatus quenquam principum non scisse quid sibi liceret: sed hæc dignitates nequissimi Imperatoris arbitrio potius, quam meritis delatæ ipsis Magistratibus erant 'indecores.'

<sup>h</sup> *Quis ... putet beatos Quos miseri tribuunt honores*] Beatum nunc dicitur quod beatitudinem afferre potest: quemadmodum 'rus et arva beata'

ab Horatio; 'commoda beata' a Catullo; 'terra beata' ab Ovidio; et 'opes beatæ' a Statio vocantur. Atqui tales non sunt magistratus, quos Philosophia nunc appellat 'honores;' præsertim 'si hos miseri tribuant:' causa enim non dat, nisi quod ipsa aliqua ratione in se contineat: fallitur ergo quisquis temeraria assumptione, quam naturaliter sibi proponit amatque summi boni proprietatem, hanc magistratibus sive dignitatibus attribuit. Videamus, utrum melius iudicetur de regno.

---

PROSA V.

AN vero regna Regumque familiaritas<sup>i</sup> efficere potentem valent?<sup>k</sup> Quidni,<sup>d</sup> quando eorum felicitas perpetuo perdurat? Atqui plena est exemplorum vetustas,<sup>e</sup> plena etiam præsens ætas,<sup>f</sup> qui Reges felicitatem calamitate

<sup>d</sup> *Dicet aliquis.*    <sup>e</sup> *Inquit Philosophia.*    <sup>f</sup> *Eorum hominum.*

NOTÆ

<sup>i</sup> *An vero regna Regumque familiaritas*] Inter omnes imperii formas præstantissima et potentissima ea est, quæ principatus sive regnum appellatur: quandoquidem ceteræ plurimum, hæc unius duntaxat est: et vis collecta seipsa dispersa major est: quare si quæ naturaliter cognoscitur appetiturque summi boni potentia cuiquam hominum imperio merito at-

tribui possit, maxime regno atque iis, qui regni aliquatenus sunt participes. Sed neque regno neque regni participibus id convenit: quia nullatenus

<sup>k</sup> *Efficere potentem valent*] Eo scilicet modo, quo naturali summi boni notione et iudicamus et appetimus potentiam: hæc enim potestas et perpetua, et immensa, et segura esse



mutaverint. O præclara potentia, quæ nec <sup>10</sup> ad conservationem quidem sui satis efficax invenitur! Quod si hæc regnorum potestas beatitudinis auctor <sup>g</sup> <sup>m</sup> est, nonne, si qua parte defuerit, felicitatem minuat, miseriam importet? Sed quamvis late <sup>n</sup> humana tendantur <sup>h</sup> imperia, plures necesse est gentes relinqui quibus Regum quisque non imperet.

<sup>g</sup> Causa.

<sup>h</sup> Proferantur.

10 Ne Delph. Hack.

#### NOTÆ

debet: perpetua quidem, ne aliquando fatiscens infirmitate mutetur: immensa, ne finibus circumscripta majoribus vincatur, aut impediatur æqualibus; segura denique, ne quibus præest, mutatis vicibus, metuat subesse. Atqui neque regno neque regni participibus id convenit: ut seorsum probandum est.

<sup>1</sup> *Plena est exemplorum vetustas, plena etiam præsens ætas*] I. Regnum perpetuum non esse et antiquioribus et recentioribus demonstratur exemplis. Antiquioribus quidem: nam Diomedes Rex Thraciæ, dum equos suos humana carne aleret in Tyrida oppido truculentus, ab Hercule equis ipsis ad devorandum objectus est. Agis Lacedæmoniorum Rex, qui cum Atheniensibus cruentissima bella gessit, a suis tandem civibus in carcere necatus est. Perses Macedonum Rex ab Æmilio victus Romanque ductus periit in carcere. Cræsus Lydorum Rex a Cyro in servitutem redactus est, &c. Recentioribus vero quæ nimirum circa [tempora Boëthii contigerunt. Alaricus Tolosensium Rex a Francis: Syagrius Romanorum Rex a Clodovæo: alique ab aliis occisi sunt. 'Sic nimirum,' inquit Vallinus hic, 'mortales agi sinit Deus, et moribus principum populorumque offensus urbes affligit, provincias pessumdat, regna evertit.'

<sup>m</sup> *Potestas beatitudinis auctor*] Id est,

causa. Sic Plautus dixit 'auctorem habere rem:' quamvis Servius malit dicere *auctricem*. Hanc controversiam videtur dirimere Valerius Probus: 'auctor,' inquit, 'si sit tractum a verbo augeo, auctrix facit: si non venit a verbo, sed significat principem, quod nomen non venit a verbo, etiam fœminino genere auctor facit: sicut Virgilius ex persona Junonis: Auctor ego audendi, princeps: non quæ angeat, nam auctrix diceret.' Scilicet triplex est sententia de origine hujus vocis, 'auctor.' Alii putant hanc oriri a Græco *αὐτὸς*, ut 'auctor' idem sit quod *αὐτοῦργος*: alii ab inusitato supino verbi 'aveo;' ut ab 'autum' dicatur 'autor;' sicut a 'cautum,' 'cantor,' et a 'fautum,' 'fautor:.' quomodo 'autor' is erit qui avet ac cupit aliquid fieri sive a se sive ab alio: alii denique arbitrantur oriri ab 'augendo:.' ita ut primum 'auctor' dictus fuerit ille, qui rem ab alio cœptam promoveret; deinde ille etiam qui inciperet ac suaderet: cui ultimæ sententiæ favent antiquiores inscriptiones, in quibus non 'auctor,' sed 'auctor' scribitur. Quicquid sit: potestas regia non potest esse beatitudinis auctor sive efficax: quoniam hæc certis continetur finibus: nam

<sup>n</sup> *Quamvis late, &c.*] II. Regnum hominis immensum non est, quod, quamvis Rex vel maximus multis

Qua vero parte beatos faciens desinit potestas, hac impotentia subintrat, quæ miseros facit : hoc igitur modo majorem Regibus inesse necesse est miseriæ portionem. Expertus sortis suæ<sup>o</sup> periculorum Tyrannus,<sup>i</sup> regni metus pendentis supra verticem<sup>k</sup> gladii terrore simulavit. Quæ est igitur hæc potestas quæ solitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit? Atqui vellet ipsi vixisse securi, sed nequeunt: dehinc de potestate gloriantur. An tu potentem censes quem videas velle quod non possit efficere? Potentem censes qui satellite latus ambit: qui quos terret ipse plus metuit: qui ut potens esse videatur, in servientium manu situm est?<sup>11</sup> Nam quid

<sup>i</sup> *Dionysius Siciliae Rex.*<sup>k</sup> *Damoclis ex ejus assentatorum numero.*11 Vict. secundus et Flor. situs est.—12 ‘Sic Vict. secundus, recte.’ *Vallin.*

## NOTÆ

gentibus imperet, pluribus tamen non imperat: quare si felicitatem imperio metiaris, plus in hoc Rege miseriæ inest, quam felicitatis.

<sup>o</sup> *Expertus sortis suæ*] III. Regnum hominis securum non esse satis evincit notissima Dionysii Tyranni historia: ‘nam,’ inquit Cicero v. Tusc. ‘cum quidam ex ejus assentatoribus Damocles, commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse: Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, et fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento auroque cœlato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter

ministrare. Aderant unguenta, coronæ: incendebantur odores: mensæ exquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspicebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam: jam ipsæ defluebant coronæ: denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendat?’ Id respiciens Horatius l. III. Carm. Od. 1. canit: ‘Districtus ensis cui super impia Cervice pendet, non Siculae dapes Dulcem elaborabunt saporem, Non avium citharæque cantus Somnum reducent.’ Falsa igitur illa assumptio, qua judicas summum bonum versari in regno. Sed felicior non est Regum familiaritas.



ego de Regum familiaribus disseram,<sup>p</sup> cum regna ipsa tantæ imbecillitatis plena demonstrarem, quos quidem regia potestas sæpe incolumis, sæpe autem lapsa prosternit? Nero Senecam, familiarem<sup>q</sup> præceptoremque suum, ad eligendæ mortis coëgit arbitrium. Papinianum, diu inter aulicos potentem, militum gladiis Antoninus<sup>12 r</sup> objecit. Atqui uterque potentiæ suæ renuntiare voluerunt: quorum<sup>l</sup> Seneca opes etiam suas tradere Neroni, seque in otium conferre conatus est. Sed dum ruituros moles<sup>s</sup> ipsa<sup>m</sup> trahit, neuter, quod voluit, effecit. Quæ est igitur ista potentia,

<sup>l</sup> *Inter quos aulicos.*

<sup>m</sup> *Divitiarum et potestatis.*

#### NOTÆ

<sup>p</sup> *Quid ego de Regum familiaribus disseram, &c.*] Regum familiares majorem habere non possunt potestatem, adeoque felicitatem, quam ii, quorum familiares sunt, Reges, quorum tamen, ut probavimus, potestas infirma est: immo multominorem habent: vel enim regia potestas incolumis perseverat, vel labitur. Si labatur, hæc Regum familiares sua secum ruina involvit. Si vero stet, eadem prædictos familiares sæpe prosternit. Testis Seneca, testis Papinianus: nam

<sup>q</sup> *Nero Senecam familiarem*] ‘Nero,’ inquit Suetonius, ‘Senecam præceptorem ad necem compulit: quamvis sæpe comæatam petenti bonisque cedenti persancte jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei.’ ‘Postquam enim unus ex Centurionibus,’ ait Tacitus, ‘necessitatem ultimam Senecæ denunciasset: neque aliud inquit superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret: post quæ Seneca et uxor ejus eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus, et parvo victu tenuatum, lenta effugia sanguini præ-

bebat, crurum quoque et poplitum vevas abrumpit.’

<sup>r</sup> *Papinianum...Antoninus*] Papinianus legum ita peritus, ut omnes ante pariter et post se Romanos Jurisconsultos superasse dicatur. Hic præterquam quod Scævola, cujus discipulus fuerat, in advocatione fisci successit, Severo imperatori per secundam uxorem affinis, et eidem adeo familiaris et amicus, ut Severus moriens huic suos filios commendaverit. At Antoninus cognomine Caracalla, qui post Severum tenuit imperium Romanum, occiso Geta fratre, prædicto Papiniano mandavisse fertur, ut in Senatu et apud populum facinus dilueret: Papinianus renuit, causatus parricidium facilius fieri, quam velari; aliudque esse parricidii genus, accusare innocentem occisum: quod Antoninum Papiniano infestum adeo irritavit, hunc ut ille a militibus occidi imperaverit: gladione an securi, cujus pœna gravior ignominiosiorque censetur, peractum facinus, incertum. Non dicitur hic interfectus, sed tantum ab ‘Antonino objectus militum gladiis.’

<sup>s</sup> *Moles*] Hoc est, ingens cum divitiarum tum potestatis sarcina, quæ

quam pertimescunt habentes : quam nec cum habere velis, tutus sis, et cum deponere cupias, vitare non possis? An præsidio sunt amici,<sup>n t</sup> quos non virtus, sed fortuna conciliat? Sed quem felicitas amicum fecit,<sup>o</sup> infortunium faciet inimicum. Quæ vero pestis efficacior ad nocendum,<sup>u</sup> quam familiaris inimicus?

<sup>n</sup> *Nomine tenus.*    <sup>o</sup> *Tibi.*

## NOTÆ

ruentes sua ruina Senecam et Papinianum prostraverunt.

<sup>t</sup> *An præsidio sunt amici, &c.*] Amicorum duplex genus hic notatur, pro duplici nimirum modo, quo alius et aliena æstimari amarique possunt, amicus scilicet virtutis, et amicus fortunæ. Prior cetera bona flocci faciens solam virtutem alterius æstimat et amat: unde hic æquo semper animo est erga amicum virtute præditum. Posterior virtutem parvi ducens cetera quæ vulgo habentur bona æstimat

et amat: quamobrem hic inconstantis instar fortunæ est volubilis: adeo ut 'quem felicitas amicum fecit,' eidem 'infortunium faciat inimicum:' eoque magis noceat:

<sup>u</sup> *Quæ vero pestis efficacior ad nocendum*] Quod enim familiaris sit, hinc novit modum, quo tibi nocere possit; inde vero tu non cogitas, quomodo ejusdem insidias vitare possis. Usque adeo falsa est assumptio, qua putas, regnum Regumque familiaritatem habere rationem summi boni: quare—

## METRUM V.

QUI se volet esse potentem,<sup>v</sup>  
Animos domet ille feroces,<sup>w</sup>

*Quicumque cupit haberi potens, hic subigat suos spiritus contumaces, neque sub-*

## NOTÆ

<sup>v</sup> *Qui se volet esse potentem*] Præcipua sui parte, nimirum mente, haberi potentem.

<sup>w</sup> *Animos domet ille feroces*] Animus prima significatione ventus est, non secus ac Græca vox *ἀνεμος*, unde videtur oriri. Quare quemadmodum ventus, quatenus hic a tempestate differt, nihil aliud est, quam tenuis aquæ vapor huc illucque, qua minus resistitur, discurrens; ita animus prima significatione nihil est aliud,

quam subtilior sanguinis vapor e cerebro per nervos, qua data porta, egressurus. Sic Virg. i. Georg. vs. 420. 'Vertuntur species animorum, et pectora motus Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat, Concipiunt.' Et Georg. iv. vs. 86. 'Hi motus animorum atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent.' Sic etiam nunc potentia dicitur versari in animis domandis: quod nimirum Mens nostra



Nec victa libidine colla<sup>x</sup>  
 Fœdis summittat habenis.  
 Etenim licet Indica longe  
 Tellus<sup>y</sup> tua jura tremiscat,<sup>13 z</sup>  
 Et serviat ultima Thule;<sup>a</sup>  
 Tamen atras pellere curas,<sup>b</sup>

5

*jiciat se voluptati superatum imperiis turpibus. Nam quamvis India procul dissita metuat tuam ditionem, et Thule ultima imperii Romani insula pareat tibi; nihil-*

13 Mss. Rittersh. *timescat*.

## NOTÆ

nihil possit in nostrum corpus, nisi ope spirituum illorum: at quod iidem spiritus, iter tritum facto agmine subire contententes, instar ferarum difficilius regi et veluti mansuefieri possint; idcirco nunc dicuntur 'feroces,' ita ut ipsorum moderamen majus sit fortitudinis et potentiae argumentum.

<sup>x</sup> *Nec victa libidine colla*] Similitudo desumta ex captivis, qui colla catenis vincta solent gerere: quamobrem colla hic intelliguntur et de mente et de corpore; libidine sive mala voluntate victis: libido quippe generatim est mala voluntas, quasi mens malo libitu a recta via deflectens labatur. 'Omne, quod male libet, libido est,' inquit S. August. l. iv. Hypogn.

<sup>y</sup> *Indica . . . Tellus*] India, ab Indo flumine sic dicta. Est autem vasta terrarum regio Asiam ad Ortum terminans; quamobrem hic accipitur pro Ortum.

<sup>z</sup> *Tua jura tremiscat*] 'Jus,' sicut docet Sanctius, prima sua significatione signat olera aut pulstem: sed quia in conviviis pares unicuique partes dabantur, ideo 'jus' translatum ad significandum quod cuique suum est: ex quo societas hominum instituta ad reddendum unicuique quod suum est, 'jus' forense dicitur; ita ut ho-

mo dicatur vocari in 'jus.' Quoniam vero principes præsertim a Deo constituti sunt, ut populi suum quique haberent, propterea principum voluntas et edictum appellatur 'jus,' et ad hujus similitudinem aliæ leges 'jura' dicuntur: hinc 'jura' hic cuiuslibet potentis jussa sunt.

<sup>a</sup> *Serviat ultima Thule*] Thule insula terrarum, quas Romani olim noverint, ultima, et maxime Septemtrionalis versus Occidentem: unde hic notat Occasum. Vulgo dicitur Islandia. De hac regione loquitur Virgil. l. Georg. vs. 29. 'An Deus immensi venias maris: ac tua nautæ Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule.'

<sup>b</sup> *Atras pellere curas*] 'Cura atra' nunc vocatur prædicta libido. Est quidem libido cura, quod mens libidine præsertim saucia uratur; unde Virg. iv. Æneid. vs. 1. 'At regina gravi jam dudum saucia cura, Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.' At eadem libido est cura atra sive damnosa: nam apud antiquos candor boni, nigror mali ominus est: unde Æthiopsis occursus infortunium credebatur portendere: hinc melancholia, quæ pluribus malis effectibus infamis est, 'atra bilis' appellatur: prædicta autem libido non solum corpori, sed etiam menti est damnosa.

Miserasque fugare querelas<sup>c</sup>  
 Non posse, potentia non est.<sup>d</sup>

10

*ominus non eris potens, quamdiu non poteris remove libidinem funestam et repellere querimonias miseris.*

## NOTÆ

<sup>c</sup> *Miserasque fugare querelas*] Querelæ nunc dicuntur miseræ et a causa et ab effectu, quod a miseriis ortæ producant novas miseras.

enim ex eo solum potens est, quod sui domina perturbationibus moderetur: quod nisi præstent Reges Regumque familiares, falso assumunt, se esse felices. Sequitur gloria.

<sup>d</sup> *Non posse, potentia non est*] Mens

---



---

 PROSA VI.

GLORIA<sup>e</sup> vero quam fallax sæpe,<sup>f</sup> quam turpis est! Unde non injuria Tragicus<sup>p</sup> exclamat: ὦ δόξα, δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν, οὐδὲν γεγάσσι, βλοτον ὄγκωσας μέγαν.<sup>q</sup> Plures enim magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt: quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falso prædicantur,

<sup>p</sup> *Euripides in Andromacha.*

<sup>q</sup> *O gloria, gloria, fecisti millibus mortalium nullius meriti magnam vitam.*

## NOTÆ

<sup>e</sup> *Gloria*] Gloria est honos cum laude pervagatus alienorum meritorum. Primum quidem gloria est honos: videlicet judicium significatum de excellentia alterius: ‘summa enim et perfecta gloria,’ inquit Tullius II. Offic. ‘constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat:’ quamobrem Metro I. vs. 7. primi libri diximus honorem esse genus gloriæ: vide sis. Deinde eadem gloria est honos cum laude conjunctus: nam ‘gloria,’ inquit Cic. III. Tusc. ‘est consentiens laus honorum, incorrupta vox bene judicantium de eccellente virtute.’ Atque in hoc gloria differt ab honore sim-

pliciter dicto, qui non est semper cum ista laude conjunctus. Postremo honor ille, qui dicitur gloria, debet esse cum laude pervagatus, ita ut etiam ad optimates pervenerit: in quo gloriâ differt a fama, quæ vulgi solius esse potest. Hinc gloria alia est falsa, quæ est dissentanea, alia vera, quæ consentanea est meritis sive propriis sive externis ejus, qui prædicatur. Atqui neque falsa neque vera gloria, sive hæc propriis sive externis tuis meritis fundetur, rationem habet summi boni: sicut seorsum probandum est.

<sup>f</sup> *Quam fallax sæpe*] I. Agitur de gloria falsa: hæc autem, quod meritis sit dissentanea, tantum abest ut



suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Quæ si etiam meritis<sup>g</sup> conquisitæ sint, quid tamen sapientis adjece- rint conscientiaë, qui bonum suum non populari rumo- re,<sup>r</sup> sed conscientiaë veritate metitur? Quod si hoc ip- sum propagasse nomen, pulchrum videtur;<sup>h</sup> consequens est ut fœdum non extendisse judicetur. Sed cum, uti paulo ante disserui, plures gentes esse necesse sit ad quas unius fama hominis nequeat pervenire, fit ut quem tu æs- timas gloriosum,<sup>14</sup> proxima parte<sup>15</sup> terrarum videatur in- glorius.<sup>r</sup> Inter hæc vero popularem<sup>t</sup> gratiam<sup>16</sup> ne com- memoratione quidem dignam puto, quæ nec iudicio pro- venit, nec unquam firma perdurat. Jam vero quam sit inane, quam futile<sup>u</sup> nobilitatis nomen,<sup>i</sup> quis non videat? quæ<sup>v</sup> si ad claritudinem refertur, aliena est. Videtur nam- que esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus paren- tum. Quod si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est qui prædicantur. Quare splendidum te,

<sup>r</sup> Vulgi.<sup>s</sup> *Inhonoratus.*<sup>t</sup> Vulgi.<sup>u</sup> *Leve.*<sup>v</sup> *Nobilitas.*

14 Uterque Thuan. Reg. Vict. secundus, et Ms. Rittersh. *æstimas esse glo- riosum.*—15 *Pro maxima parte:* Hactenus editi et uterque Thuan. habebant, *proxima:* sed lectionem codicis Victorini secundi et Regii sequi maluit Val- lius, ut e quibus hauriretur sensus præstantior. *Editor Delph. Pro maxima exhibent Delph. et Hack.*—16 Ms. Rittersh. *gloriam.*

## NOTÆ

habeat rationem summi boni, ut poti- us sit error, adeoque malum: unde ‘non injuria’ Poëta ‘Tragicus,’ scili- cet Euripides, ab Archelao Macedo- num Rege summo in honore habitus, in Andromacha cecinit: ὦ δόξα, δόξα, &c. hoc est, ‘O gloria, gloria, fecisti millibus mortalium nullius meriti magnam vitam.’

<sup>g</sup> *Quæ si etiam meritis]* II. Agitur de gloria vera meritis propriis funda- ta, quæ idcirco non habet rationem summi boni, quod hæc, utpote extra eum qui honoratur, nihil boni adjiciat menti sive conscientiaë sapientis; qui tamen, utpote peritus suæ mentis, nihil sibi esse bonum existimat, nisi quod in sua mente fuerit, et cujus

eadem mens sit conscia.

<sup>h</sup> *Quod si hoc ipsum propagasse nomen, pulchrum videtur]* At demus, quod ta- men non est, inquit Philosophia, ipsi etiam sapienti videri bonum, et ex- trinsecus laudari et intrinsecus mag- ni fieri a populis, necesse erit, secun- dum legem contrariorum, non laudari et non magni fieri a populis, eidem sapienti esse malum: quare cum ex dictis longe plures sint homines, a quibus ille sapiens ignoratur, quam a quibus cognoscatur laudabilis honora- bilisque, idem sapiens plus habebit mali, quam summi boni.

<sup>i</sup> *Futile nobilitatis nomen]* III. Agi- tur de gloria vera meritis alienis, nempe genere fundata: quæ vulgo

si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur ne a majorum virtute degenerent.

## NOTÆ

dicitur nobilitas, quæque nunc definitur 'quædam de meritis veniens laus parentum;' sed hæc inane et futile nomen est, nisi quorum sanguinem participas, horum imiteris virtutem. Juvenal. Sat. VIII. vs. 19. 'Tota licet veteres exornent undique ceræ Atria, nobilitas sola est atque

unica virtus. Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto: Hos ante effigies majorum pone tuorum: Præcedant ipsas illi te Consule virgas. Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi Justitiæque tenax factis dictisque mereris, Agnosco procerem.'

## METRUM VI.

OMNE hominum genus<sup>17 k</sup> in terris  
 Simili surgit ab ortu:  
 Unus enim rerum pater est,<sup>1</sup>  
 Unus cuncta ministrat.

*Universum genus humanum in terris oritur ab eodem principio: nam unus est parens rerum omnium Deus, unus gubernat omnia. Hic dedit splendorem Soli,*

17 Omne humanum genus Vulg.

## NOTÆ

<sup>k</sup> Omne hominum genus] Homo non est corporeus solum, ut bestia, neque solum incorporeus, ut bonus malusve Genius: sed admirabilis quædam est animi corporisque conjunctorum compositio, quæ 'in terris surgit,' ubi cum corpore instar cujusdam hospitii parato mens divinitus infusa jungitur, et quidem 'simili ab ortu:' cum idem sit principium non solum mentis et corporis istius, verum etiam mutuæ utriusque conjunctionis. Idem, inquam, est principium corporis et mentis hominis, videlicet Deus:

*Delph. et Var. Clas.*

cum enim tam hæc, quam illud res sit; cumque res non possit nisi a Deo creari; propterea idem Deus mentis corporisque hominis principium sit necesse est. At Deus etiam est principium mutuæ mentis corporisque illius conjunctionis: quod neque corpus in mentem, neque mens in corpus, nisi Deo dante, agat. Atque hæc omnia speciatim nunc dicet Philosophia, postquam generatim dixerit omnia esse a Deo.

<sup>1</sup> Unus enim rerum pater est] I. Generatim omnia ita sunt a Deo, ut Deus

*Boëth.*

R



Ille dedit Phœbo radios,<sup>m</sup>  
 Dedit et cornua Lunæ.<sup>n</sup>  
 Ille homines etiam terris  
 Dedit,<sup>o</sup> et sidera cœlo.

5

*et Lunæ vultum crescentis decrescentisque. Hic quoque dedit homines terris, et*

## NOTÆ

sit omnium pater: pater quippe idem est, quod causa non solum producens, sed etiam conservans: Deus vero est omnium causa producens et conservans. Hinc Deus vocatur 'pater' a Christianis, Judæis, et ipsis etiam Ethnicis: Christiani enim orando dicunt, 'Pater noster qui es in cœlis.' Matth. 6. Judæis dicitur Deuter. 32. 'Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?' Denique Horatius ait, 'Gentis humanæ pater atque custos:' et Virg. 'Pater ipse colendi haud facilem esse viam voluit.'

<sup>m</sup> *Ille dedit Phœbo radios*] Sol Poëtis vocatur Phœbus a specie et nitore: *φοῖβος* enim adjectivum, est splendidus, lucidus, purus. Soli autem Deus dedit radios: quamvis enim a corporibus obviis Sol videatur habere, quod hoc vel illo modo luceat, idem tamen a solo Deo habet, quod luceat. Scilicet duo observari possunt in Mundo effectorum genera: generalia quædam; alia, ut barbare loquuntur philosophi, particularia: priorum generalis, posteriorum vero peculiaris causa quærenda est. Sic quærenti cur me loquente auditor moveatur, non generalis, sed peculiaris causa afferenda, ut quod aër a meo ore ad illius aures continuatus meis pulmonibus, lingua, dentibus, et labris sic moveatur, ut eodem aures auditoris commoveantur. At quærenti cur commoto auditoris cerebro cogitationes in ejusdem auditoris mente excitentur, non peculiaris, sed generalis causa responderi debet.

Similiter quærenti cur iris 'mille trahat varios adverso Sole colores,' causa peculiaris, nempe pluvia cadens respondetur: sed quærenti cur Sol radios mittat, causa generalis, nimirum Deus, optime redditur. Sic Deus

<sup>n</sup> *Dedit et cornua Lunæ*] Luna, quod hæc sit corpus opacum, lumen a Sole acceptum ita remittit, ut modo crescens, modo decrescens, modo silens, modo plena videatur: sive, ut ait Plinius, 'modo curvata in cornua, modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem, maculosa eademque subito prænitens immensa orbe pleno, ac repente nulla.' Virg. III. *Æn.* vs. 645. 'Tertia jam Lunæ se cornua lumine complent.' Verum quod corpus illud opacum lumen sic remittat, hoc utpote effectum generale Deo tanquam causæ generali acceptum referri debet.

<sup>o</sup> *Ille homines etiam terris Dedit*] II. Speciatim homo a Deo tanquam a patre oritur, primum quidem ratione corporis, quod ex terra formatum in terris collocavit Deus, (Genes. 1. 'formavit Dominus Deus hominem de limo terræ,') non secus ac sidera ex cœlo formata in cœlo posuit: Genes. 1. 'fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.' Hinc Psal. 113. 'Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.' Quin ipse Tullius II. de Nat. D. 'homines,' inquit, 'humo excitati quasi cultores terræ constituti sunt.'

Hic clausit membrīs animos <sup>P</sup>  
 Celsa sede petitos. 10  
 Mortales igitur cunctos  
 Edit nobile germen.<sup>18 q</sup>  
 Quid genus, et proavos strepitis?  
 Si primordia vestra,  
 Auctoremque Deum spectes, 15  
 Nullus degener extat,  
 Ni vitiis pejora fovens  
 Proprium deserat ortum.

*astra cælo. Hic inclusit corporibus humanis mentes ortas ex loco sublimi. Nobile ergo semen emittit omnes homines. Quare jactatis originem Majoresque vestros, Mortales? si consideretis vestrum principium et vestrum conditorem Deum, nemo ante degenerat, quam peccando recedat a Deo suo principio.*



18 'Edit, nobile germen] Ita lego, ut sit appositio.' Sitzm. sic etiam ed. Hack.

## NOTÆ

<sup>P</sup> *Hic clausit membrīs animos]* III. Idem homo a Deo tanquam a patre oritur etiam ratione mentis, quippe quæ, cum hujus nulla sit, nisi exterior causa, judicio philosophorum creatur: solius autem Dei est creare: hinc Philosophia nunc dicit 'animos celsa sede petitos.' Neque vero corpus et mens humana a Deo solum creantur, sed a Deo veluti a causa generali mutuo conjunguntur: quærenti enim cur mens humana aliquando et aliquamdiu cum corpore humano conjungatur, nulla alia generalis afferri potest causa, nisi voluntas Dei, qui 'omnia quæcumque voluit, fecit in cælo et in terra.' Psal. 113. Hinc Deus, judicio Philosophiæ, 'clausit membrīs animos.' Lactantius l. i. Div. Instit. cap. 21. 'Corpusculum hoc,' inquit, 'quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo neque tangi, neque aspici, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc quod videtur.' Claudian. l. i. de Raptu Proserp. vs.

55. inducit Lachesim sic loquentem: 'O maxime noctis Arbitrator, umbrarumque potens, cui nostra laborant Stamina; qui finem cunctis et semina præbes, Nascendique vices alterna morte rependis; Qui vitam letumque regis: nam quicquid ubique Gignit materies, hoc te donante creatur, Debeturque tibi, certisque ambagibus ævi Rursus corporeos animæ mittuntur in artus.'

<sup>q</sup> *Mortales cunctos Edit nobile germen]* Quod germen sit et præenit effectum, et subeuntis causa corporis, idcirco video duplicem esse hujus textus interpretationem. Prima est Theodori Sitzmanni, qui arbitratus germen hic significare sobolem, ait nobile germen esse appositionem, ut significetur Deus, de quo in superioribus versibus agitur, edere 'cunctos mortales,' qui mortales sunt 'nobile germen,' quod potest confirmari ex eo quod 'germen,' quasi 'genimen,' dicatur id quod ex semine 'genitur.' Altera est aliorum, qui, pu-



## NOTÆ

tantes germen hic significare principium, dicunt esse syntaxim, quam Grammatici dicunt 'Nominativi et verbi,' ut significetur nobilis origo mortalium: quod potest confirmari etiam ex eo quod 'germen' quasi 'gerimen' dicatur, quod sobolem gerit: sed quicquid sit de utraque hac nominis hujus interpretatione, posterior sententia nobis videtur rectius et concludi ex dictis, et statui pro principio statim dicendorum. Quasi dixerit Philosophia: Cum homines omnes, cum ratione corporis mentis-

que, tum etiam ratione mutuæ harum partium conjunctionis, a Deo oriuntur, propterea homines omnes a nobilissimo parente oriuntur: quare iidem homines, contemptis genere et proavis terrestribus, nobilissimi sunt, nisi 'vitiis proprium deserant ortum.' Falsa ergo assumptione falluntur, qui quam summi boni naturaliter norunt appetuntque nobilitatem, hanc in sola Majorum mortalium nobilium serie versari putant. Supersunt voluptates corporis.

## PROSA VII.

QUID autem de corporis voluptatibus<sup>r</sup> loquar? quarum appetentia<sup>w s</sup> quidem plena est anxietatis,<sup>r</sup> satietas<sup>y</sup> vero pœnitentiæ. Quantos illæ<sup>z</sup> morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitiae, fruendum solent referre corporibus! quarum motus quid habeat jucunditatis,

<sup>w</sup> *Appetitio.* . . <sup>r</sup> *Angoris.* . . <sup>y</sup> *Usus.* . . <sup>z</sup> *Voluptates.*

## NOTÆ

<sup>r</sup> *Quid autem de corporis voluptatibus*] Voluptas est cogitatio, cujus mens conscia, jucunditate quadam perfunditur: 'in eo enim,' inquit Tullius II. de Fin. 'voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quæ sensum aliquem moveat, jucunditas.' Quare quod mens nostra et effectum Dei, et forma nostri corporis, jucundam cogitationem habere possit dupliciter; primum quidem ab ipso Deo, a quo et propter quem condita est, deinde a corpore, cum quo conjungitur; propterea voluptas duplicis est generis. Una animi, de qua hic non agi-

tur: altera corporis, in qua rationem summi boni non versari sic Philosophia videtur probare. Hæc corporis voluptas vel lege prohibetur, vel non. Si lege prohibeatur, et desiderii antecedentibus, et doloribus consequentibus ita circumfunditur, ut plus amari quam jucundi admistum habeat. Si vero lege permittatur, hujus fructus liberi parentibus sæpe adeo sunt infensi, ut carens liberis suo videatur infortunio felix: quæ omnia seorsum nunc exponentur.

<sup>s</sup> *Quarum appetentia*] I. Agitur de illicita corporis voluptate, cujus futuræ concipitur 'appetentia:' 'du-

ignoro. Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. Quæ si beatos explicare<sup>a</sup> possunt, nihil causæ est quin pecudes<sup>t</sup> quoque beatæ esse dicantur; quarum omnis ad explendam corporalem lacunam<sup>b</sup> 19 festinat intentio. Honestissima quidem conjugis<sup>u</sup> foret liberorumque jucunditas; sed nimis e natura dictum est,<sup>c</sup> nescio quem filios invenisse tortores: quorum quam sit mordax quæcumque conditio,<sup>d</sup> neque alias expertum te, neque nunc anxium necesse est admo-

<sup>a</sup> *Demonstrare.*    <sup>b</sup> *Indigentiam.*    <sup>c</sup> *Experientia rerum naturalium nimis probat.*    <sup>d</sup> *Quorum liberorum conditio quantas excitet in parentibus curas.*

19 Sic omnes libri.

#### NOTÆ

plex enim,' inquit Tullius I. Offic. 'est animorum vis atque natura. Una pars in appetitu posita est, quæ est ὄρμη Græce, quæ hominem huc atque illuc rapit. Altera in ratione, quæ docet et explanat quid faciendum fugiendumque.' Illa autem voluptatis illicitæ 'appetentia' plus mali admistum habet quam boni: quoniam 'plena est anxietatis,' illius nimirum cogitationis, qua mens veluti compressa angitur: sicut 'ejusdem satietas pœnitentiæ.' Pœnitentia enim, a pœnitendo dicta, est cogitatio mentis, ea quæ suo consilio et voluntate facta sunt dolentis: quæ quidem tristis cogitatio individua est voluptatis illicitæ comes, quod Deus tum hominem de peccato commisso moneat. Neque vero in sola mente versantur pœnitendi hujus voluptatis fructus; sed in corpus etiam diffunduntur: hinc morbi, dolores, mortes, et cetera id genus.

<sup>t</sup> *Nihil causæ est quin pecudes]* Præterea beari ita videtur proprium hominis, ut nemo putet beatitudinem versari in eo quod bestiis etiam convenire potest: vacare autem iis unde voluptates corporis nascuntur, homi-

ni et pecudibus commune est, quandoquidem huc omnes pecudum motus videntur tendere, ut satisfaciant corpori; quod idcirco nunc appellatur 'lacuna,' quia, quemadmodum lacuna aquam continet, sic corpus nihil aliud sit, quam plurimum vas suum quodlibet liquorem continens. Nisi dicas 'lacunam' hic esse indigentiam, ut apud Tullium IV. in Verr. 'ut illam lacunam rei familiaris exple- rent.'

<sup>u</sup> *Honestissima quidem conjugis, &c.]* II. Agitur de licita corporis voluptate, nimirum conjugii: hæc autem 'honestissima' dicitur, quatenus voluntate divina, quæ est prima morum regula, capitur: 'pertinet quippe ad virtutis officium,' inquit S. Aug. I. XIX. de Civ. D. cap. 1. 'et vivere patriæ, et propter patriam filios procreare; quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate.' Illa tamen voluptas sæpius etiam tristifica est: quandoquidem liberi non raro sunt parentum 'tortores;' si non quod spectat corpus; quemadmodum aiunt Œdipum orta inter Phocenses seditione ignarum occidisse patrem Laium Thebanorum Regem, qui tumul-



nere. In quo Euripidis mei <sup>e</sup> sententiam probo, <sup>v</sup> qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem.

<sup>e</sup> *Philosophi.*

#### NOTÆ

tum conabatur reprimere; saltem quoad mentem attinet, quatenus parentes propter Liberos perpetuis cruciantur curis, quibus ceu quibusdam canibus videntur morderi: unde 'mordax conditio' nunc appellatur. Hinc apud Plutarchum: 'Tristitia ex nato tempus in omne patri.'

<sup>v</sup> *Euripidis mei sententiam probo]*

Euripides, poëta licet, fuit tamen Philosophus, teste Tullio, Anaxagoræ discipulus: unde non immerito Philosophia nunc 'suum' vocat, ejusque probat sententiam quam in Andromacha exponit, scilicet, 'carentem liberis infortunio esse felicem: quia, inquit, habere liberos dulce inexpertis, expertis triste.

---

### METRUM VII.

HABET omnis hoc voluptas,  
 Stimulis agit fruentes;  
 Apiumque par volantum,  
 Ubi grata mella fudit,  
 Fugit, et nimis tenaci  
 Ferit icta corda morsu.

5

*Voluptas omnis id obtinet, quod pungit aculeis eos, qui huic indulgent, et similis apibus abeuntibus, postquam emisit mella jucunda, evolat, et dente tenaciori lacerat pectora, quæ tetigit.*

#### NOTÆ

Pulcherrima hæc allegoria, in qua similitudinem habes cum translatione conjunctam: nam et voluptates apibus similes perhibentur, et voces apibus propriæ transferuntur ad voluptates: quemadmodum Ciceroni pro Mur. 'major' dicitur 'Comitiorum quam Euripi inconstantia.' Voluptates, inquam, apibus dicuntur similes in hoc, quod sicut apes sic voluptates jucunditatem et tristitiam eidem homini afferant. Voces vero apibus propriæ, videlicet 'stimulis,' 'volantum,' 'grata mella,' 'tenaci morsu,' transferuntur ad voluptates: præser-

tim vero observabis hæc verba: 'ferit icta corda:' his quippe et modus, quo aculeus corpora, et modus, quo voluptas corporea mentem pungit, optime videtur significari: sicut enim illic continuato motu apis carnem; ita hic continuata cogitatione voluptas mentem, repetitis veluti ictibus, videtur lancinare: unde ut prior motus corporis, sic posterior cogitatio mentis haberi potest. Quamobrem fallitur, quisquis, præcipitatione et præjudicio assumens, putat summum bonum versari in voluptate corporis.

## PROSA VIII.

NIHIL igitur dubium est, quin hæ ad beatitudinem viæ devia<sup>f</sup> 20 quædam sint, nec perducere eo quenquam<sup>1</sup> valeant ad quod se perducturas esse promittunt. Quantis vero implicitæ malis sint,<sup>2</sup> brevissime monstrabo. Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? danti supplicabis: et qui præire ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiamne desideras? subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis. Gloriam petis?<sup>3</sup> sed per aspera quæque distractus, securus esse desistis.<sup>4</sup> Voluptariam vitam degas: sed quis non spernat atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei corporis<sup>g</sup> servitium?<sup>5</sup> Jam vero qui bona præ se corporis ferunt, quam exigua, quam fragili possessione nituntur! Num enim elephantēs<sup>6</sup> mole, tauros robore superare poteritis? num tigres velocitate præibitis? Respicite cœli spatium, firmitudinem, celeritatem, et aliquando desinite vilia mirari. Quod quidem cœlum non his potius est, quam sua, qua regitur, ratione<sup>h</sup> mirandum. Formæ vero nitor ut rapidus est, ut velox, et vernalium<sup>i</sup> florum mutabilitate fugacior! Quod si, ut Aristoteles ait,<sup>k</sup> lynceis oculis<sup>w</sup> homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne, introspectis visceribus,

<sup>f</sup> *Aberrantes.*<sup>g</sup> *Cujusmodi est corpus.*<sup>h</sup> *Arte.*<sup>i</sup> *Vernorum.*<sup>k</sup> *Liber ille Aristotelis nunc videtur desiderari.*

20 *Viæ devix* edd. Delph. et Hack.—1 *Quenquam eo* edd. eædem.—2 '*Quamvis vero implicitæ malis sint*] Tenebras tibi has illuminavi literula mutata ex scriptis: *Quantis vero implicitæ.*' Bernart. Sitzm.—3 *Uterque* Thuan. et Reg. *gloriam petas.*—4 Ms. Rittersh. *securus esse desistes.*—5 *Corporis servum* omnes veteres et recentiores libri.—6 *Elephantos* Delph. et Hack.—7 *Redi-*

## NOTÆ

<sup>w</sup> *Lynceis oculis*] Lynceis oculis videre, Lynceo perspicacior: proverbium est ex eo, ut arbitramur, ortum, quod Lynceus primus feratur reperisse fodinas metallorum, æris, ar-

genti, et auri: hinc enim fabulati sunt Lynceum usque adeo fuisse perspicacem, ut etiam terram ipsam oculorum acie penetraret, quæque apud Inferos fierent, pervideret. 'Quis



illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus,<sup>x</sup> turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri,<sup>y</sup> non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.<sup>y</sup> Sed æstimate, quam vultis nimio corporis bona; dum sciatis hoc quodcumque miramini, triduanæ febris igniculo<sup>z</sup> posse dissolvi. Ex quibus omnibus illud in summam redigere<sup>7</sup> licet: quod hæc, quæ nec præstare, quæ pollicentur bona, possunt, nec omnium bonorum congregatione perfecta sunt, ea nec ad beatitudinem, quasi quidam calles,<sup>m</sup> ferunt, nec beatos ipsa perficiunt.

<sup>i</sup> Quod pulcher videaris, id.      <sup>m</sup> Viæ.

gere in summam edd. eædem.

#### NOTÆ

est tam Lynceus,' inquit Tullius, 'qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?' Horatius Epist. 1. 1. Ep. 1. 'Non possis oculo quantum contendere Lynceus, Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.'

<sup>x</sup> *Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus*] Alcibiades non fuit 'mulier pulcherrima,' quemadmodum ait Thomas Anglicus, auctor commentariorum Boëthii, sed imperator Atheniensium, ingenio præstans, et corpore pulcherrimus, qui vitiis primum, deinde, docente Socrate, virtutibus studuit.

<sup>y</sup> *Oculorum . . . infirmitas*] Si enim tanta esset oculorum perspicacitas, ut etiam viscera iisdem paterent, cor-

pus, propter majorem deformium quam formosarum partium multitudinem, deforme potius quam formosum haberetur: et eo quidem certius, quod pulchritudo non nisi integra perfectione, deformitas vel minimo defectu oritur.

<sup>z</sup> *Triduanæ febris igniculo*] Quæcumque enim fuerit corporis amplitudo, quodcumque robur, quæcumque agilitas, quæcumque pulchritudo, hæc corpore per triduum æstu febrique jactato evanescent. Usque adeo verum est rationem summi boni, quod homo naturaliter cognoscit appetitque, non versari in ullo ex prædictis bonis, quibus homines falsa assumptione ducti adhærent.

## METRUM VIII.

EHEU, quam miseros tramite devio <sup>8</sup>  
 Abducit ignorantia! <sup>a</sup>  
 Non aurum in viridi quæritis arbore, <sup>b</sup>  
 Nec vite gemmas carpitis; <sup>c</sup>  
 Non altis laqueos <sup>d</sup> montibus abditis, 5  
 Ut pisce ditetis dapes;  
 Nec, vobis capreas si libeat sequi,  
 Tyrrhena captatis vada. <sup>e</sup>

*Heu qualis ignoratio avertit vos infelices a via recta aberrantes! Non quæritis aurum in arbore viridi, neque accipitis uniones ex vinea. Non absconditis retia in montibus altis, ut addatis piscem epulis. Neque ingredimini mare Tyrrhenum, si*

<sup>8</sup> *Eheu, quæ miseros tramite devios Delph. et Hack.*

## NOTÆ

<sup>a</sup> *Tramite devio Abducit ignorantia]* Errant quidem homines præcipiti assumptione putantes summum bonum versari in divitiis, voluptatibus corporis, et ceteris ejusmodi, ut sæpius dictum est: sed causa istius erroris ignorantia est: ut enim, præsertim in Philosophia, cognitio clara et distincta ita est veritatis regula, ut si hanc sequamur, nunquam erremus; sic ignorantia ita est erroris principium, ut nunquam erremus, nisi quia ignoramus.

<sup>b</sup> *Non aurum in viridi quæritis arbore]* Aurum in visceribus terræ, non in arboribus, præsertim virentibus, generari solet, quod nec semen auri hinc adduci, nec adductum formari possit.

<sup>c</sup> *Nec vite gemmas carpitis]* Uniones in terris aut in aquis, non in plantis consueverunt reperiri, propter prædictam de auro rationem.

<sup>d</sup> *Non altis laqueos, &c.]* Homines non piscantur in aëre, nec apros venantur in mari. Hæc ab omni ho-

minum cogitatione adeo aliena sunt, ut adagii loco usurpentur ‘ad significandos eos,’ inquit Erasmus, ‘qui præpostere ibi quærunt aliquid, ubi ne sperari quidem possit: ut si quis in magistratibus vitam tranquillam, in voluptatibus beatam, in opibus felicem quærat. Itaque Libanus servus (apud Plautum in *Asinaria*) ab hero suo Demæneto jussus, ut uxorem ipsius argento defraudaret, significans nulla ratione fieri posse, ut a muliere tenacissima quicquam auferretur: Jube, inquit, una me opera piscari in aëre, venari autem jaculo in medio mari.’

<sup>e</sup> *Tyrrhena . . . vada]* Mare Tyrrhenum: est autem illa maris Mediterranei pars, quæ Meridionale Italiæ latus, sicut sinus Adriaticus Septentrionale alluit: unde hoc superum, illud inferum mare vocatur. De hoc loquitur Virgil. i. *Æn.* vs. 71. ‘Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.’



Ipsos quinetiam fluctibus abditos  
 Norunt recessus æquoris, 10  
 Quæ gemmis niveis unda feracior,  
 Vel quæ rubentis purpuræ :<sup>f</sup>  
 Nec non quæ tenero pisce, vel asperis  
 Præstent echinis<sup>g</sup> littora.  
 Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum, 15  
 Nescire cæci sustinent :  
 Et quod stelliferum trans abiit polum,<sup>h</sup>  
 Tellure demersi petunt.<sup>i</sup>

*vultis venari capreas. Immo vero homines cognoscunt ipsos recessus maris absconditos aquis : cognoscunt quænam aqua abundantior sit unionum candidorum, aut quænam abundantior purpuræ rubræ : cognoscunt quænam maria antecellant piscibus mollibus, aut echinis crustatis. At cæci homines non indignantur se ignorare, ubi nam occultetur bonum, quod desiderant ; quodque transcendit Olympum stellantem,*

## NOTÆ

<sup>f</sup> *Gemmis . . . feracior, Vel quæ rubentis purpuræ]* Valla quidem ait rarum esse duos casus, licet ab eodem seorsum regi possint, cum eodem simul conjungi: ut hic junguntur, 'gemmis et purpuræ feracior:' id tamen vitiosum non est ; quod in Syntaxi, quam figuratam vocant, non tam voces jungantur, quam earum sensus. Sic Tullio dicitur : 'em centum aureis et pluris.' Est vero purpura proprie conchæ genus, cujus liquore vestes olim tingebantur : hunc liquorem nigrantis rosæ colore sublucere docet Plinius l. ix. c. 36. unde nunc vocatur 'rubens:' cæruleus tamen, violaceus, et quicumque formosus color non raro dicitur purpureus: sic fluctus, violæ, et generatim flores omnes vocantur purpurei: sicut jam dictum est.

<sup>g</sup> *Quæ tenero pisce, vel asperis Præstent echinis]* Quemadmodum canente Virgilio, 'non omnis fert omnia tellus,' sic non omnia littora omnes ferunt pisces ; illic molles, hic felicius veniunt crustati pisces. Echinus generatim est bestia asperis undique

capillis armata : hinc propter quandam similitudinem spinosum castaneæ operculum, nec non etiam asperum quoddam architecturæ opus appellatur 'echinus.' Sed bestia, quæ vocatur echinus, alia est terrestris, alia marina. Echinus terrestris capite pedibusque implexis globi speciem ita induit aliquando, ut anteriores posterioresque ejus partes distinguere non possint. Marinus autem echinus, judicio ipsius Aristotelis, in cibum apponi solet : Thomas Anglicus hic piscem hunc male vocat 'remoram,' quæ dicitur 'echeneis,' deceptus videlicet similitudine vocabulorum : melius Horatius Satyr. l. ii. Sat. 4. 'Sed non omne mare est generosæ fertile testæ. Murice Baiano melior Lucrina Peloris : Ostrea Circæis, Miseno oriuntur echini ; Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.'

<sup>h</sup> *Stelliferum trans abiit polum]* Est enim Deus.

<sup>i</sup> *Tellure demersi petunt]* In rebus caducis 'animus ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in

Quid dignum stolidis mentibus imprecer ?<sup>k</sup>

Opes, honores ambient,<sup>l</sup>

20

Et cum falsa gravi mole paraverint,

Tum vera cognoscant bona.<sup>m</sup>

*illud in terris involuti quærent. Quid infausti petam, dignum stultis mentibus? Utinam quærant undique divitias et honores, cumque accumulaverint bona falsa magno labore, tum agnoscant bona vera.*

## NOTÆ

terram,' ut loquitur Tullius, falsa assumptione putat versari summum bonum.

<sup>k</sup> *Quid : . . . imprecer*] Imprecari est aliquid mali in caput alicujus precari. Sic Virgil. iv. Æneid. vs. 628. 'Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.'

<sup>l</sup> *Opes, honores ambient*] Circumeundo supplicent: ambio enim dicitur ab ambe, circum, et eo; quod Romani undique irent populorum aut etiam judicium captaturi suffragia: et hoc est malum, quod Philosophia in caput hominum stolidorum precatur: sed quia non decet Philosophiam, magistram illam virtutum, imprecarum malum, nisi propter bonum, quod ex hoc oriri possit, addit,

<sup>m</sup> *Et cum falsa . . . paraverint, Tum*

*vera cognoscant bona*] Exemplo scilicet Solomonis, qui postquam omnibus prædictis bonis impiam operam dedisset, tandem aliquando ad Deum rediit, exclamans, 'vanitas vanitatum, et omnia vanitas.' 'Gravi mole' interpretamur magno labore: nam, ut puto me jam monuisse, 'moles' primum dicitur de corporibus, quæ ob insitam plurimarum partium quietem difficulter moveri possunt: unde non inepte moles derivatur a Græco *μοχλεύω*, vectibus summoveo: hinc lapis ingens dici solet molaris: hinc etiam moliri idem est quod viribus collectis aliquid movere. Deinde moles propter quandam similitudinem dicitur de omni negotio difficili: sicut Virg. i. Æn. vs. 37. 'Tantæ molis erat Romanam condere gentem.'

---



---

 PROSA IX.

HACTENUS<sup>n</sup> mendacis formam felicitatis ostendisse

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Hactenus*] i. Quidem Philosophia nunc utitur transitione, cujus frequens est et utilis usus apud Oratores et Poëtas. Sic Tullius: 'quoniam,' inquit, 'de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.' Sic Virgil. ii.

Georg. vs. i. 'Hactenus arborum cultus et sidera cæli; Nunc te, Bacche, canam, nec non sylvestria tecum Virgulta, et prolem tarde crescentis olivæ.'



suffecerit; quam si perspicaciter<sup>9</sup> ° intuearis,<sup>10</sup> ordo est deinceps, quæ sit vera monstrare. Atqui video, inquam,<sup>n</sup> nec opibus sufficientiam, nec regnis potentiam, nec reverentiam dignitatibus, nec celebritatem gloria,<sup>11</sup> nec lætitiâ voluptatibus posse contingere. An etiam causas cur id ita sit,prehendisti? °<sup>12</sup> Tenui quidem veluti rimula<sup>p</sup> mihi videor intueri: sed ex te<sup>r</sup> cognoscere apertius malim.<sup>13</sup> Atqui promptissima ratio est.<sup>r</sup> Quod enim simplex est,<sup>p</sup> indivisumque natura, id error humanus separat, et a vero atque perfecto, ad falsum imperfectumque traducit. An tu arbitraris, quod nihilo indigeat, egere potentia? Minime, inquam.<sup>s</sup> Recte tu quidem: ‘ nam si quid est quod in ulla re imbecillioris valentiæ<sup>u</sup> sit, in hac præsidio necesse est egeat alieno. Ita est, inquam.<sup>v</sup> Igitur sufficientiæ potentiæque una est eademque natura. Sic videtur. Quod vero hujusmodi sit, spernendumne esse censes, an contra rerum omnium veneratione dignissimum? At hoc, inquam,

<sup>n</sup> Ego Boëthius.    ° Inquit Philosophia.    <sup>p</sup> Inquit Boëthius.    ° O Philosophia.  
<sup>r</sup> Inquit Philosophia.    <sup>s</sup> Ego Boëthius.    <sup>v</sup> Inquit Philosophia.  
<sup>u</sup> Virtutis.    <sup>v</sup> Ego Boëthius.



9 ‘ Mens: si veraciter.’ Bernart.—10 Intueris Delph. et Hack.—11 ‘ Malim: celebritati gloriam.’ Bernart.—12 Ms. Rittersh. *An etiam causas, cur ita sit, dep.*—13 *Malim apertius* Delph. Hack.—14 *Quid igitur?* edd. eædem.—15

#### NOTÆ

° *Perspicaciter*] An vox ista Latina est? dicerem, *perspicue, evidenter*.

<sup>p</sup> *Quod enim simplex est, &c.*] II. Philosophia proponit, copiam, potentiam, et cetera ejusmodi esse modos summi boni, non partes, ut vulgo putantur: quare ut hæc et sequentia intelligantur, animadvertendum discrimen quod occurrit inter partem, et modum. In hoc autem differunt, quod pars possit, modus non possit, sua seorsum idea clare et distincte cogitari. Sic mens et corpus sunt partes hominis, quod mens sine corpore, et corpus sine mente, sua quodlibet idea clare et distincte cogitari possit. Sic

figura, quies, et motus sunt modi corporis, quod neque figura, neque quies, neque motus possit clare et distincte cogitari, non cogitato corpore. Sic etiam notio et voluntas, quarum neutra potest, non cogitata mente, clare et distincte cogitari, sunt modi mentis. Atqui prædicta bona, quæ homines falsa assumptione tribuunt rebus creatis, non possunt clare et distincte cogitari non cogitata aliqua re superiori, videlicet Deo, ut seorsum Philosophia probat, et quidem ita evidenter, ut nulla alia interpretatione videatur indigere.

ne dubitari quidem potest. Addamus igitur sufficientiæ, potentiæque reverentiam, ut hæc tria unum esse judicemus. Addamus, siquidem vera volumus confiteri. Quid vero,<sup>14</sup> inquit, obscurumne hoc, atque ignobile censes esse, an omni celebritate clarissimum? Considera vero, ne quod nihilo indigere, quod potentissimum, quod honore dignissimum esse concessum est, egere claritudine, quam sibi præstare non possit, atque ob id aliqua ex parte videatur abjectius. Non possum, inquam,<sup>15</sup> quin hoc uti est, ita etiam celeberrimum esse confitear. Consequens igitur est ut claritudinem superioribus tribus nihil differre fateamur. Consequitur, inquam. Quod igitur nullius egeat alieni, quod suis cuncta viribus possit, quod sit clarum atque reverendum, nonne hoc etiam constat esse lætissimum? Sed unde huic, inquam, tali mœror ullus obrepat, ne cogitare quidem possum: <sup>w</sup> quare plenum est lætitiæ, siquidem superiora manebunt, necesse est confiteri. Atqui illud quoque per eadem necessarium est, sufficientiæ, potentiæ, claritudinis, reverentiæ, jucunditatis, nomina quidem esse diversa, nullo vero modo discrepare substantiam.<sup>z</sup> Necesse est, inquam. Hoc igitur quod est unum simplexque natura, pravitas humana <sup>y</sup> dispertit, et, dum rei quæ partibus caret, partem conatur adipisci, nec portionem, quæ nulla est, nec ipsam, quam minime affectat, assequitur. Quonam, inquam, modo? Qui divitias,<sup>16</sup> inquit, petit penuriæ fuga, de potentia nihil laborat: vilis obscurusque esse mavult, multas etiam sibi naturales quoque subtrahit voluptates, ne pecuniam quam paravit, amittat. Sed hoc modo ne <sup>17</sup> sufficientia quidem contigit <sup>18</sup> ei, quem valentia<sup>z</sup> deserit, quem molestia pungit, quem vilitas abjicit, quem recondit obscuritas. Qui vero solum posse desiderat: profligat <sup>19</sup>

<sup>w</sup> Nulla tristitia videtur inesse posse rei, quæ ejusmodi est.  
esse unicam rem pluribus affectam modis.

<sup>z</sup> Ista omnia  
<sup>z</sup> Vis.

<sup>y</sup> Male judicando.

~~~~~  
Non possumus, inquam, Vulg. Mss. cum ed. Flor. et Norimb. Non possum, inquam.
—16 'Veteres duxere ad veri latebras: vulgata lectio confusa, nec sanæ mentis, Quid divitias.' Bernart. Ms. Rittersh. Qui divitias.—17 Nec ed. Hack.—18 Contingit eadem ed. et Delph.—19 'Meus cod. profligit.'

opes, despicit voluptates, honoremque potentia carentem, gloriam quoque nihili pendit. Sed huic quoque ^{2o} quam multa deficient, vides. Fit enim ut aliquando necessariis egeat, ut anxietatibus mordeatur; cumque hæc depellere nequeat, etiam id quod maxime petebat, potens esse desistit.¹ Similiter ratiocinari de honoribus, gloria, voluptatibus licet. Nam cum unumquodque horum idem quod cetera, sit,^a quisquis horum aliquid sine ceteris petit, ne illud quidem quod desiderat, apprehendit. Quid igitur? inquam. Si quis ² cuncta simul cupiat adipisci, summam quidem ille beatitudinis velit: sed num in his eam reperiet quæ demonstravimus, id quod pollicentur, non posse conferre? Minime, inquam. In his igitur quæ singula quæque ³ expetendorum præstare creduntur, beatitudo nullo modo investiganda est. Fateor, inquam, et hoc nihil dici verius potest. Habes igitur, inquit, et formam falsæ felicitatis, et causas: deflecte nunc in adversum mentis intuitum;^b ibi enim veram, quam promisimus, statim videbis. Atqui hæc, inquam, vel cæco perspicua est eamque tu paulo ante monstrasti, dum falsæ beatitudinis causas ⁴ aperire conabar.⁵ Nam, ni fallor, ea vera est et perfecta felicitas, quæ sufficientem, potentem, reverendum, celebrem, lætumque perficiat. Atque ut me interius animadvertisse ^c cognoscas, quæ unum horum, quoniam idem cuncta sunt, veraciter præstare potest, hanc esse plenam beatitudinem sine ambiguitate cognosco. O te, alumne, hac opinione felicem sentio,⁶ siquidem hoc, inquit, adjeceris. Quidnam? inquam. Essene aliquid in his

^a *Unica res pluribus modis se habens. mentis attentione.*

^b *Cogita contrarium.*

^c *Ipsa*

Bernart.—20 Ms. Erfurt. item Edd. Norimb. Flor. Delph. et Hack. *Sed hunc quoque.*—1 Mss. cum edd. prædictis: *potens esse desistat.*—2 Sic locum hunc restituit Vallinus ex conjectura, quam postea libri confirmarunt.—3 ‘Nonne melius Mss.?’ *quæ singula quædam.* Bernart.—4 ‘*Dum falsas causas aperire conabar*] Prætuli jure quod in scriptis: *dum falsæ beatitudinis causas.*’ Idem. Mss. cum edd. Norimb. Flor. et Hack: *dum falsæ causas.*—5 Thuan. secundus: *conaris.*—6 ‘Mss. et ed. Flor. [Delph. et Hack.] non habent voculam *sentio*: et, ni fallor, melius.’ *Sitzm.*

mortalibus caducisque rebus putas quod hujusmodi statum possit afferre? Minime, inquam, puto; idque a te, nihil ut amplius desideretur, ostensum est. Hæc igitur vel imagines veri boni, vel imperfecta quædam dare bona mortalibus videntur: verum autem atque perfectum bonum conferre non possunt. Assentior, inquam. Quoniam igitur agnovisti, quæ vera illa sit, quæ autem beatitudinem mentiantur, nunc superest ut unde veram hanc petere possis, agnoscas. Id quidem, inquam, jam dudum vehementer expecto. Sed cum, uti in *Timæo Platoni*, inquit, nostro placet,⁹ in minimis quoque rebus divinum præsidium debeat implorari; quid nunc faciendum censes ut illius summi boni sedem reperire mereamur? Invocandum, inquam, rerum omnium patrem, quo prætermisso, nullum rite fundatur exordium. Recte, inquit; ac simul ita modulata est:

NOTÆ

⁹ *Uti in Timæo Platoni, inquit, nostro placet*] *Timæus* inter sua *Carmina* hoc retulit *Pythagoræ præceptum*, ‘*Finem dein ante precatus Numina, opus facito.*’ Ex quo *Plato* ait in libro qui inscribitur ‘*Timæus*:’

‘*omnes qui vel minimam sanæ mentis particulam habent, cum aliquid sive parvum sive magnum aggrediuntur, semper solent Deum invocare:*’ quo nihil melius dici, fieri, cogitari potest.

METRUM IX.

O^r QUI perpetua mundum ratione gubernas,

O Creator cæli et terræ, qui regis mundum lege immutabili, qui imperas tempus

NOTÆ

^r O] Est hæc precatio et *Philosophiæ* et *materiæ tractandæ dignissima*. Est quidem precatio; cogitatio scilicet mentis aliquid recte desideratum petentis a Deo: hinc quæ a *S. Thoma* 1. 2. q. 83. at. 17. probantur esse precatationis partes, videlicet ‘*ascensus intellectus in Deum; gra-*

tiarum actio; et petitio, hæc hic animadvertuntur: ‘*O*’ enim interjectio ut admirantis sic invocantis, notat primum; enumeratio rerum conditarum, et modorum quibus reguntur, secundum; lux rogata, tertium. Est etiam precatio hæc *Philosophiæ dignissima*: cum enim *Philosophia* sit

Terrarum cœlique sator,³ qui tempus ab ævo
Ire jubes,⁴ stabilisque manens das cuncta moveri;⁵

fluere a prima ætate mundi, et constanter immotus facis omnia moveri, quem causæ

NOTÆ

naturale lumen, tenebris sensim recedentibus, elucens, nihil aliud nunc petitur, quam aliquod Philosophiæ incrementum. Est denique eadem precatio materiæ nunc tractandæ dignissima: ut enim decet mentem sui finis notionem rogare, sic decet hanc notionem rogare mundi Conditorum, quippe qui et prima causa et primus doctor ejusdem mentis est. ‘Nolite putare,’ inquit S. August. in Joan. ‘quenquam hominem aliquid discere ab homine; admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui doceat, iuanis fit strepitus noster.’

³ *Terrarum cœlique sator*] Philosophia precatur Creatorem mundi: sator enim sive seminator primum est ille, qui parato effecti semine sive materia ejusdem effecti auctor est; qua ratione ‘mundus ipse,’ iudice Tullio II. de Nat. ‘omnium rerum sator et seminator est,’ deinde est quicumque auctor: Deus autem est primus auctor cœli et terræ. Virg. I. Æn. vs. 258. ‘Olli subridens hominum sator atque Deorum.’ Sed quod Deus sit mundi creator, propterea mundus legibus a Deo constitutis regitur: unde nunc dicitur: ‘perpetua mundum ratione gubernas.’

⁴ *Tempus ab ævo Ire jubes*] Difficunt apud Philosophos æternitas, ævum, et tempus; quæ dicuntur quædam genera diuturnitatis, sive, ut loquuntur, durationis, Gallice *durée*, quæ nihil est aliud, quam perseverantia rei existentis. Æternitas est rei sine principio et sine fine existentis, nimirum Dei. Ævum est rei

sine fine quidem, sed non sine principio existentis: nimirum rei creatæ, qualis est mens et corpus, quorum nulla est nisi exterior causa: hoc enim et illa a Deo aliquando creata æternum perseverabunt. Tempus est rei nec sine principio nec sine fine existentis: formæ videlicet corporeæ, qualis est forma bestię, forma plantæ, et forma corporum inanimatorum: hæ enim formæ ut fugatis contrariis aliquando incœperunt, ita aliquando a contrariis formis fugatæ evanescent. Atqui vix materia mundi facta est ævum habitura, cum hæc quibusdam formis per aliquod tempus duraturis juxta leges divina voluntate sancitas, affecta fuit: quamobrem Deus ‘tempus ab ævo Ire jubet.’

⁵ *Stabilisque manens das cuncta moveri*] Deus etenim immotus omnia movet. Primum quidem omnia quæ moventur, a Deo moventur necesse est: cum enim motus nihil sit aliud, quam corpus quod sua extremitate extremitatem tangit majorem, ab eo habent omnia ut moveantur, a quo habent quod et extremitatibus circumscribantur, et extremitatibus suis majores tangant extremitates: sed id non possunt habere nisi ab eo, a quo ut creantur sic conservantur, cuiusmodi est solus Deus. Deinde Deus movendo omnia immotus manet: siquidem Deus est mens perfectissima. Malachiæ 3. ‘Ego Dominus et non mutator.’ Jacobi 1. ‘apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.’

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ^v
 Materiæ fluitantis opus,^w verum insita summi 5
 Forma boni,^x livore carens: tu cuncta superno
 Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
 Mundum mente gerens, similique in⁷ imagine formans,

exteriores non induxerunt ad formandam machinam materiæ motæ, sed potius species tibi insita summi boni, expers invidiæ: tu producis omnia ab exemplari summo, habens in mente mundum præclarum ipse præclarissimus, quem mundum simili



7 Vocula in omittitur in ed. Delph. Vid. Not. inf.

NOTÆ

^v *Non externæ pepulerunt fingere causæ*] Philosophis vulgo quatuor sunt causæ, nimirum finis, efficiens, materia, et forma; quarum duæ priores, exteriores; duæ vero posteriores, interiores appellantur. Corpora quæ vocant physica, cujusmodi est cælum et terra, et interiores et exteriores habent causas; mentes creatæ non habent quidem interiores, sed habent exteriores. Deus vero neque interiores neque exteriores habet: unde neque fine neque efficiente pelli potuit ad creandum mundum; sive

^w *Materiæ fluitantis opus*] Mundus quippe recte dicitur 'materia finitans.' 'Materia' quidem, cum Mundus sit res quoquoersus extensa, cujusmodi est materia. 'Finitans' vero, quandoquidem cælum, terra, et cetera corpora, ex quibus constat Mundus, perpetuis motibus cientur, si non ratione omnium, saltem ratione plurimum suarum partium.

^x *Verum insita summi Forma boni*] Licet Dei natura simplex sit et uniusmodi, non solum quatenus est expers partium, instar cujuslibet alterius mentis, sed etiam quatenus ne pluribus quidem cogitationibus sibi succedentibus afficitur, mens tamen humana, utpote Deo comprehendendo impar, Deum veluti quibusdam affec-

tum cogitationibus, adeoque formis, idea nimirum et voluntate cogitat: adeo ut nulla alia sit causa 'materiæ fluitantis,' præter ideam et voluntatem Dei: hæc rationem habent non solum finis, et efficientis, verum etiam exemplaris causæ. S. Thomas 1. p. q. 15. a. 1. 'Mundus,' inquit, 'non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agente, unde necesse est quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cujus Mundus est factus, et in hoc consistit ratio ideæ. . . Deus secundum essentiam suam est similitudo omnium rerum: unde idea in Deo nihil est aliud, quam Dei essentia.' Quod autem Deum, ad creandum mundum, 'externæ non pepulerunt causæ, sed insita summi boni forma,' sive infinita Dei sapientia et voluntas, propterea recte Deus dicitur 'livore carens:' cum enim, effectu pro causa posito, livor hic nihil sit aliud quam invidia, ille recte dicitur livore carere, qui non habet, cui invidere possit: Deus autem (utpote summum bonum) a quo et propter quem Mundus factus est, non habet, cui invidere possit: quandoquidem summo bono melius nihil excogitari potest. Hinc etiam Deus 'cuncta superno Ducit ab exemplo,' videlicet a divina idea et voluntate, quæ cum sit Deus, hac nihil superius

Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.¹
 Tu numeris elementa ligas,² ut frigora flammis, 10
 Arida convenient liquidis : ne purior ignis
 Evolet, aut mersas deducant pondera terras.

imagine formas, et præcipis eundem perfectum perficere suas partes. Tu concilias elementa talibus modis, ut frigida cum calidis, et sicca cum liquidis convenient, ne ignis purior sursum abeat, aut gravitas ferat deorsum terram depressam. Tu con-

NOTÆ

esse potest. Hinc Deus ‘Mundum mente gerit, similique imagine format.’ S. August. lib. LXXXIII. qq. q. 46. ‘singula propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est.’ Nonnulli putant hic legendum *similique in imagine* propter versum. Sed a pluribus omittitur vox illa, *in*, qua sublata rectius significabitur, ideam esse modum, quo Deus Mundum format, et stabit versus, ut apud Virgil. 1. Georg. vs. 281. ‘Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.’

¹ *Perfectasque jubens perfectum absolvere partes*] Ut enim divina sapientia, divinaque voluntate Mundus primo formatus est; sic eadem divina sapientia et voluntate Mundus perfectus suas partes perfectas videtur absolvere, servatis scilicet quibusdam legibus corporum divinitus constitutis. Sic ex eo quod materia, ratione quarundam partium, ab initio fuerit in orbem mota, servatis quibusdam legibus motus, oriri potuerunt primum quidem elementa, deinde generalis quædam anima Universi, postea peculiare quædam animæ corporeæ, de quibus omnibus deinceps tractabitur.

² *Tu numeris elementa ligas*] 1. Agitur de elementis: quæ enim corpora ex ‘materia quitante’ primum oriun-

tur, hæc vocantur elementa, quoniam ex his insitis reliqua corpora, quæ propterea dicuntur ‘mista,’ componuntur: hæc autem elementa cum multitudine, tum etiam qualitatibus sive modis ita inter se aptantur, ut et frigida cum calidis, et dura cum liquidis convenient, nec levia a gravibus inani quodam hiatu separentur: ubi Philosophia videtur facere mentionem qualitatum, quas Philosophi vulgo agnoscunt in elementis, quasque minus Latine vocant ‘alterativas’ et ‘motrices.’ ‘Alterativæ,’ inquit, ‘sunt calor et frigus, siccitas et humiditas,’ quæ significantur his verbis, ‘ut frigora flammis, Arida convenient liquidis.’ ‘Motrices vero sunt levitas et gravitas,’ quarum effecta merito hic timerentur, nisi elementa miro quodam modo a Deo certis locis continerentur; præsertim juxta vulgatam Peripateticorum opinionem. Si enim, ut Peripatetici optant, quatuor hæc elementa, nimirum ignis, aër, aqua, et terra, sive appetitu, sive inclinatione, sive qualitate naturali ita afficiantur, ut aër et ignis sursum sua levitate, aqua et terra deorsum sua gravitate tendant, quid obstat, nisi Deus perpetuo quodam miraculo, quin quatuor hæc elementa, quantumlibet permista, tandem aliquando a se invicem liberata, si non intercepto quodam inani hiatu, saltem suis quæque locis contineantur: quemadmodum aqua et oleum, quantumlibet permista, ita a sese in-

Tu triplicis mediam naturæ^a cuncta moventem
Connectens animam per consona membra resolvis.

jungens animam inter mentes insensiles et corpora sensilia mediam, moventemque omnia, distribuis eandem per membra consentanea, quæ anima instar corporis liquidi

NOTÆ

vicem liberantur, ut aqua deorsum subjiciatur, oleum vero sursum emineat: quamobrem recte Philosophia addit: 'ne purior ignis Evolet, aut mersas deducant pondera terras.'

^a Tu triplicis mediam naturæ, &c.]
II. Agitur de spiritu Universi, qui, positus ipsis naturæ legibus, statim post producta Mundi elementa nasci debet. Hic autem spiritus, de quo plura diximus in physica, merito hic dicitur, 1. 'anima,' 2. 'triplicis naturæ media,' 3. 'cuncta movere,' 4. 'a Deo connecti,' 5. 'per consona membra resolvi,' 6. 'secta circuire,' primum quidem per majores, deinde per minores mundi vortices, et tandem ad suum reverti principium, ut hoc exemplo demonstratur, hominem, qui a Deo tanquam a principio processit, ad Deum tanquam ad finem, facto quodam circuitu, revocandum esse: quæ omnia postquam exposita fuerint, 'illa suscepti operis pars,' non erit, sicut Vallino videtur, 'difficillima.' Primum quidem spiritus ille Universi agnoscitur non solum a sacris auctoribus Ecclesiastæ I. 'Iustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur;' sed etiam a profanis, ut Platone, Aristotele, pluribusque aliis: citabo unum Virgilium, qui VI. Æneid. vs. 724. canit, 'Principio cælum, ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agit molem, et magno se corpore miscet. Inde hominum pecndumque genus, vitæque volantium, Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus. Igneus

est ollis vigor et cœlestis origo Seminibus: quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus, moribundaque membra. Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque: nec auras Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.' Deinde idem spiritus recte dicitur 'anima:' cum enim 'anima' dicatur ab 'animus,' hic ab ἀνεμος ventus; cumque ventus quædam sit occulta plurimum motuum causa; propterea usus obtinuit, ut insitum occultumque perennis et continuatæ motionis principium vocaretur 'anima:' prædictus autem spiritus ita se habet, non solum in plantis et bestiis, sed in ipso quoque homine, in quo mens, sine illo spiritu famulante, manus et pedes ad nutum movere non potest. Præterea hæc anima dicitur 'triplicis naturæ media:' non quod ex insitis tribus elementis constet, quemadmodum putare possent illi Philosophi, quos ex arte vocant Chymicos, aut alii quos propter ducem appellant Cartesianos, quibus tria sunt Mundi elementa, sed potius quod ex tribus rebus, quas naturali lumine cognoscere possumus, hæc anima una sit, et quidem media: quandoquidem hæc media est inter mentem insensilem, et corpus sensile; ut et, instar corporis sensilis, sit res quoquoversus extensa, capax figuræ, quietis, et motus, et, instar mentis insensilis, sensum fugiens plurimumque effectorum principium: propterea a Virgilio supra vocatur 'spiritus' et 'mens.' Hic enim dici potuit 'anima media triplicis naturæ,' sicut lib. II. Pr. 3. dicitur 'duorum medius Consulum;'

Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes, 15
 In semet reditura meat, mentemque profundam
 Circuit, et simili convertit imagine cœlum.

divisa in minutas partes, postquam perfecit duplicem circuitum, per suum corpus iterum movetur, reversura in semetipsam, et circuit animam infimam, et circumagitur

NOTÆ

et a Cicerone, 'duorum fratrum medius;' et ab Horatio 'belli pacisque medius;' potnitque anima illa hanc 'triplicis naturæ' enumerationem instar partis subire, quemadmodum Capua subivit ternum maximarum urbium numerum, cujus tamen numeri ipsa fuerit pars: 'Capua,' inquit Florus supra citatus, 'quondam inter tres maximas Romam Carthaginiemque numerata.' Insuper ista anima perhibetur 'cuncta movere:' non quod cuncta corpora ab hac anima moveantur: plura enim solida sunt, quorum idcirco partes quiescunt: sed quod nulla corpora, nisi hac anima movente, moveantur: sic Joan. 1. 'omnia per Deum facta' dicuntur, non quod omnia simul facta fuerint a Deo, sed quod quæcumque facta sunt, hæc non nisi ab ipso Deo facta sint. Scilicet ut videmus quædam corpora sensilia moveri ab aliis corporibus sensilibus, v. g. baculum a manu, sic hæc sensilia ab insensilibus, v. g. manum a spiritibus, commoveri conjicimus, a notis ad minus nota progressi: donec aliquod primum invenerimus corpus quod ab ipso Deo moveatur, juxta illud Philosophorum effatum: corpus quod movetur, ab alio moveatur necesse est. Adde quod eadem anima dicitur a Deo 'connecti:' cum enim corpus non moveat nisi contactu, hæc anima non posset movere, nisi cum corpore movendo connecteretur: connectitur autem a Deo, a quo primum facta movetur, iis, quas ipse Deus constituit, naturæ legibus. Quinetiam hæc ani-

ma divinitus 'per consona membra resolvitur:' Resolvitur, inquam, per membra: anima enim illa corpus est liquidissimum, cujus partes ut moventur, sic in varia loca resolutæ varia subeunt corporis informati membra. Sed membra hæc sunt consona, sive convenientia, cum inter se, tum cum ipsa anima, a qua movenda sunt: ut scilicet minora primum ab anima, deinde majora et a minoribus et ab ipsa quoque anima moveantur: sic sal a mari, navis ab utroque contrita fatiscit. Immo prædicta anima 'secta circuit,' ita ut finem jungens principio suæ motionis, 'motum' videatur 'glomerare in orbem;' *en faire comme un ploton de fil*: glomus enim Gallice est *un ploton de fil*. Est quidem illa anima secta: quia, instar aquæ, aëris, et ipsius ignis, liquida, est congeries plurium corpusculorum, quæ, ut moventur, sic separantur a sese invicem. At ipsa anima 'circuit' per corpus, in quo reperitur: quoniam generatim corpus omne, qua minus resistitur, suum continuat motum: sic succus arboris ad summum potius arboris verticem ascendit, quam per tenuiorem corticem exeat: sed eidem animæ, corporibus diversis undique resistantibus, facilius est intra suum corpus circuire; quam extra idem corpus egredi. Eccl. 1. 'Lustrans universa,' inquit Spiritus Sanctus, 'in circuitu pergunt spiritus, et in circulos suos revertitur:' quare, ut nunc dicitur, hæc anima 'in semet reditura meat.' Verum hæc anima, habitata ratione machinæ, quam informat,

Tu causis animas paribus, vitasque minores^b
 Provehis, et levibus sublimes curribus aptans
 In cœlum terramque seris : quas lege benigna
 Ad te conversas reduci facis igne reverti. 20

cœlum forma uniusmodi. Tu producis animas et vitas minores simili modo, accommodansque altis corporibus levibus, easdem disseminas per cœlum et terram ; quas animas blanda lege facis ad te conversas redire, instar ignis, ad locum unde venerat,

NOTÆ

duplicis est generis : major una, quæ per majorem mundi vorticem, altera minor, quæ per minorem ejusdem mundi vorticem diffusa circuit : atque inter minores una est, circa quam cœlum, veluti rota circa axem, convertitur, quamque nunc Philosophia ‘mentem profundam’ vocat ; ‘mentem’ quidem, sicut ipse Virgilius ‘mentem’ nominavit, quoniam hæc, instar mentis, insensile est motus principium : ‘profundam’ vero, quia centri locum habet : in globo autem nulla pars est centro profundior. Forte hæc machina, quæ profunda illa mente nunc significatur informari, terra est : quamvis enim nulla demonstratione probari possit terra esse mundi centrum, terra tamen dici potest centrum illius vorticis, quem incolimus : ita ut major anima circa terram ‘simili imagine convertat cœlum :’ nam aër saltem, qui sæpius tam apud sacros, quam apud profanos auctores vocatur cœlum, terram circuit, nec ab alio corpore quam ab isto spiritu aërem circumagi satis probabile est : sicut simili semper imagine converti videtur : licet enim in isto aëre sive cœlo nubes, imbres, ventique cogantur, constans tamen est et uniusmodi hujus cœli circa terram circuitus, constansque ejusdem cœruleus color, qui nihil est aliud, quam lumen obviis vaporibus exhalationibusque modificatum. At nisi profunda illa anima fuerit terra, alia erit ex minoribus animabus, de qui-

bus jam locutura est ipsa Philosophia.

^b *Causis animas paribus, vitasque minores]* III. Philosophia agit seorsum de animabus corporeis, quas dicit 1. ‘animas, vitasque minores ;’ 2. ‘causis paribus a Deo provectas ;’ 3. ‘levibus curribus aptatas ;’ 4. ‘per cœlum terramque dispersas ;’ 5. ‘ad cœlum conversas reverti.’ Primum agitur hic duntaxat de animabus corporeis, utpote quæ similes sunt spiritui, de quo statim agebatur, aut quædam illius portio : ut enim spiritus Universi, sic animæ hæ adducuntur in exemplum, ut his cognitis mens humana suis cogitationibus ad Deum, unde egressa est, revertatur. Deinde hæ vocantur ‘animæ, vitæque minores ;’ quod, minoribus machinis inclusæ, minores circuitus absolvant, ut in plantis, in bestiis, et in ipso homine : cum hoc tamen discrimine, quod in homine præter hunc spiritum corporeum, sit mens sive res cogitans, cui spiritus ille famulatur : quo fit ut spiritus ille corporeus, utpote formæ principali famulatus, in homine nomen dignitatemque animæ amittat, dicaturque propterea in homine una duntaxat esse anima, eaque ratione prædita. Virgil. iv. Georgic. vs. 220. ‘Esse apibus partem divinæ mentis et haustus Ætherios dixere : Deum namque ire per omnes Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum. Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum, Quemque sibi

Da, pater,^c augustam menti conscendere sedem,
 Da fontem lustrare boni, da luce reperta
 In te conspicuos animi defigere visus.
 Disjice terrenæ nebulas et pondera molis, 25
 Atque tuo splendore mica: tu namque serenum,^d
 Tu requies tranquilla piis:^e te cernere, finis,

regredientis. Da, pater, da menti nostræ assurgere in Solium tuum regale; da quærere originem boni; da, lumine detecto, defigere in te claros conspectus mentis. Expelle nubem et gravitatem machinæ terrestri; et corusca tuo fulgore: nam tu serenitas es, tu quies tranquilla probis; et nostra de te notio finis; quod sis princi-

NOTÆ

tenues nascentem arcessere vitas.' Postea hæ minores animæ iisdem causis, quibus prædictus spiritus Universi, fiunt, videlicet ex eadem 'materia fluitante,' et ab ipso Deo, servatis iisdem naturæ legibus. Præterea eadem animæ dicuntur 'aptatæ levibus curribus,' hoc est, corporibus, quibus includuntur, quæque ipsæ movere et regere videntur, ut vector movere et regere currum solet: anima enim plantæ v. g. diversa est ab anima bestię: et anima bestię pro diversis bestiarum generibus iterum diversa est. Sic animæ apum, de quibus jam loquebatur Virgilius, dici possunt 'levibus curribus aptatæ.' Insuper his, prædictæ animæ 'per cælum terramque dispersæ' sunt: nam præterquam quod etiam in cælo stellifero forte occurrere potest similis quidam spiritus, qui per corpus in quo includitur prædictos circuitus agat; minores illæ animæ sunt in bestiis, quarum aliæ in terris, aliæ in cælo aërio vivunt. Tandem hæ animæ 'ad cælum conversæ revertuntur:' hæ enim animæ, utpote quæ generali corporum motorum lege, quæ nunc vocatur 'benigna,' qua minus resistitur, tendunt, in cælum, qua minus resistitur iisdem, nituntur: veluti 'igne reduci:' maxima quippe est similitudo inter has

animas et ignem: unde Virgilio prædictus spiritus appellatur 'igneus vigor.' Quoniam verò cælum habetur altissimum Dei domicilium; Matth. 5. 'non jurandum per cælum, quia thronus Dei est;' propterea Deus nunc dicitur 'facere has animas ad se conversas reverti:' et propterea nunc in exemplum adducuntur.

^c *Da, pater*] Sic vocatur Deus non solum a Christianis, sed etiam ab Ethnicis, ut jam notavimus. Hæc est autem petitio Philosophiæ, cujus gratia prædicta præmisit. Rogat vero Deum, ut hinc liberet mentem tenebris ab ipso corpore ortis: 'corpus enim,' Sap. 9. 'quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:' inde vero informet cognitione summi boni, ejusque amore.

^d *Tu namque serenum*] Serenans mentes: ut, quemadmodum tempus serenum fingitur fugare nubes, sic Deus mentis tenebras pellat.

^e *Tu requies tranquilla piis*] Dans cogitationes tranquillas; iis nempe, qui, dante Deo, suo erga Deum officio funguntur.

Te cernere, finis] Mens humana eo fine a Deo creata est, ut cogitet, adeoque ut cognoscat, Deum: Joan. 17. 'Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.'

Principium,^f vector, dux, semita, terminus idem.

pium, vector, dux, via, et terminus.

NOTÆ

^f *Principium*] Non minus necessarium est, mentem nostram suum principium, quam semetipsam cognoscere: ut, videlicet, primi beneficii a suo conditore accepti non immemor, se suaque eidem suo conditori devoteat. Deus autem ita mentis nostræ principium est, ut quamvis mens posset dubitare, utrum Deus foret principium corporum, eadem tamen, suæ tenuitatis conscia, semper convincatur, se non ab alio quam ab ipso Deo fuisse creatam. Hinc Deus dixit Apocal. 1. ‘Ego sum α et ω , principium et finis.’

Vector] Quia Deus conservat nostram mentem: cum enim conservatio nihil sit aliud, quam continuata productio, Deus conservando nostram mentem, hanc videtur portare sive velere. Ad Hebr. 1. Deus dicitur ‘portans omnia verbo virtutis suæ.’

Dux] Deus enim mentem humanam non tantum creat conservatque, sed eandem, etiam ab ortu, quibusdam informat cogitationibus, nimirum intelligentia et inclinatione, quasi, neglecto corporis impetu, mens ipsa sequatur, nunquam aberrabit.

Semita] Nam semita mentis alia in genere formæ, alia in genere causæ efficientis. Prior est cogitatio, qua mens a rebus caducis recedens ad Deum accedit. Sic Proverb. 4. ‘justorum semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectum diem.’ Posterior est ipse Deus, rectæ cogitationis auctor: sic Christus Joan. 14. ‘Ego,’ inquit, ‘sum via, et veritas, et vita.’

Terminus] Id vocatur terminus, ultra quod res, eodem finita, non diffunditur: sicut cæcis nationibus, rudis informisque lapis, ultra quem ager, hoc lapide finitus, non diffunditur, vocabatur ‘Deus Terminus.’ Atqui Deus est id ad quod mens humana cogitando diffundi debet; sed ultra quod eadem mens cogitando versari non potest. Joan. 6. ‘Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.’ Sicut autem omnia hæc recte dicuntur de Deo, ut jam expositum est, ita non male dicerentur de ipsa cognitione Dei, menti nostræ insita, quæ notatur his verbis, ‘Te cernere.’ Primo enim illa de Deo insita cognitio recte dicitur ‘finis:’ quoniam eo fine facti sumus a Deo, ut Deum ipsum cogitemus. Secundo eadem cognitio recte dicitur ‘principium;’ quia, ut omne nostrum bonum opus a bona nostra cogitatione, sic omnis nostra bona cogitatio ab ipsa Dei cognitione, velut a principio, oritur: ‘ignoti nulla cupido,’ quod vulgo dicunt. Tertia eadem Dei cognitio recte dicitur ‘vector,’ ‘dux,’ et ‘semita;’ quod hæc nostras cogitationes, nostraque omnia tam dicta, quam facta, ad Deum videatur ferre, movere, et ducere. Denique hæc Dei nostra cognitio recte dicitur ‘terminus:’ siquidem comparata ea, qua defuncti frui speramus, perfecta Dei cognitione, veluti comparato vitæ nostræ termino quiescemus. Joan. 17. ‘Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.’

PROSA X.

QUONIAM igitur quæ sit imperfecti, quæ etiam perfecti boni forma, vidisti, nunc demonstrandum reor, quoniam hæc felicitatis perfectio constituta sit.^d In quo illud primum arbitror inquirendum, an aliquid⁸ hujusmodi bonum, quale paulo ante definisti, in rerum natura possit existere, ne nos præter rei subjectæ veritatem cassa^e cogitationis⁹ imago decipiat. Sed quin existat, sitque hoc veluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit.⁵ Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id deminutione¹⁰ perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliquod¹¹ esse necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde illud, quod imperfectum perhibetur, extiterit, ne fingi quidem potest. Neque enim a deminutis,¹² inconsummatisque^f natura rerum cepit exordium, sed ab integris, absolutisque procedens, in hæc extrema atque effœta^g dilabitur. Quod si, uti paulo ante monstravimus,¹³ est quædam boni fragilis imperfecta felicitas; esse aliquam solidam, perfectamque,^h non potest dubitari. Firmissime,

^d Cognito modo tam imperfecti, quam perfecti boni, demonstranda est res illa quæ sit summe bona. ^e Inanis. ^f Imperfectis. ^g Debilia.
^h Felicitatem.



⁸ Aliquod Delph. et Hack.—⁹ Mss. cognitionis.—¹⁰ Ms. Erfurt. et ed. Norimb. id in minutione. Veteres: id imminutione.—¹¹ Aliquid ed. Hack.—¹² Mss. Neque ab diminutis. Thuan. primus: ab imminutis: uterque Vict. et Reg. deminutis. edd. Delph. et Hack. ab diminutis.—¹³ Mss. Rittersh. memoravimus.

NOTÆ

⁸ Quin existat...negari nequit] I. Philosophia demonstrat, aliquod esse summum bonum: quia cum ex dictis constet summum bonum idem esse quod perfectum, si existat aliquod perfectum, necesse est, ut aliquod summum bonum existat: existere autem aliquod perfectum hac proba-

tur demonstratione. Imperfectum in aliquo genere existere nequit, nisi in eodem genere aliquod perfectum existat: quandoquidem illud imperfectum nec dicitur, nec cogitatur, nec est, nisi facta comparatione cum hoc perfecto, cujus illud dicatur cogiteturque imminutio, et a quo ceperit

inquam,ⁱ verissimeque conclusum est. Quo vero, inquit, habitet,^k ita considera. Deum, rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio^l probat animorum. Nam cum nihil Deo melius excogitari queat, id, quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet? ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum in eo¹⁴ esse convincat. Nam ni tale sit, rerum omnium princeps esse non poterit: erit enim eo præstantius aliquid, perfectum possidens bonum, quod hoc prius atque antiquius esse videatur: omnia namque perfecta minus integris^m priora esse claruerunt: quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum est,¹⁵ summum Deum, summi, perfectique boni esse plenissimum. Sed perfectum bonum veram esse beatitudinem constituimus: veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse, necesse est. Accipio, inquam,ⁿ nec est quod contradici ullo modo queat. Sed quæso, inquit,^o te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum.^p Quonam, inquam,^q modo? Ne^r hunc rerum omnium patremⁱ illud summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter

ⁱ Ego Boëthius. ^k Cuinam rei insit illa felicitas, ait Philosophia. ^l Notio Dei omnibus humanis mentibus insita. ^m Imperfectis. ⁿ Ego Boëthius.
^o Philosophia. ^p Deum habere rationem summi boni. ^q Ego Boëthius.
^r Inquit Philosophia.

—14 *In eo bonum* ed. Hack.—15 *Confitendum esse eadem* ed.—16 Reg. Vict.

NOTÆ

exordium. Atqui in genere boni existit aliquod imperfectum: illud scilicet quod fragile est et caducum, de quo hactenus disputatum est.

^h Quo vero, inquit, habitet] II. Philosophia demonstrat, hanc summi boni qualitatem, Dei esse: quoniam rerum omnium princeps rationem sive qualitatem summi boni habeat necesse est: alioquin erit aliquid eo melius, perfectius, prius, atque antiquius; adeoque ille non erit princeps. Atqui Deus est rerum omnium princeps: ut 'communis humanorum

conceptio probat animorum: cum enim hæc conceptio nec de nihilo, nec a nihilo esse possit, si conceptio illa fuerit in omnibus mentibus humanis, (ut revera esse unusquisque hujus conscius experitur,) necesse est ut existat Deus, ille rerum omnium princeps, de quo et a quo sit illa 'communis animorum humanorum conceptio.'

ⁱ Ne hunc rerum omnium patrem] III. Philosophia demonstrat, hanc summi boni rationem sive qualitatem esse ab ipso Deo indistinctam: quia

habere præsumas, quasi, habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit eo quod acceperit, existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum, dignissime confitemur. Quod si natura quidem inest, sed ratione¹⁶ diversum, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Postremo quod a qualibet re diversum est, id non est illud a quo intelligitur esse diversum. Quare quod a summo bono diversum est sui natura, id summum bonum non est: quod nefas est de Deo cogitare, quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit existere: quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia^s summum esse bonum verissima ratione concluderim. Rectissime, inquam. Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est. Ita est, inquam. Igitur, inquit, Deum esse ipsam beatitudinem, necesse est confiteri. Nec propositis, inquam, prioribus refragari^t queo, et ab illis¹⁷ hoc illatum consequens esse

^s *Ratione sui.*^t *Adversari.*

secundus, et edd. Delph. Hack. *sed est ratione.*—17 Mss. *et illis.*—18 Ms. Er-

NOTÆ

cum Philosophiæ nefas sit judicare nisi præeuntibus notionibus, quas judicando inter se jungat aut separet, hæc non potest judicare rationem summi boni esse a Deo distinctam, nisi et summum bonum, et Deum, sua quemlibet seorsum notione, clare et distincte cogitare possit: ita ut vere cogitare possit summum bonum non esse Deum, et Deum non esse summum bonum: propterea enim eadem Philosophia judicat mentem nostram esse distinctam a nostro corpore: ex quo sequeretur rationem summi boni, quam Deus haberet, esse extrinse-

cus acceptam, adeoque esse aliquam Dei causam, quæ Deum et summi boni rationem inter se conjunxerit: non secus ac mens humana, qua corpus informatur, est extrinsecus accepta, agnoscitque aliquam sui causam, quæ mentem ipsam et corpus inter se conjunxerit. Atqui Philosophia non potest summum bonum et Deum sua quemlibet seorsum notione clare et distincte cogitare; quandoquidem ut Deus, sic summum bonum cogitatur, quo nihil constat esse præstantius, melius, prius.

perspicio. Respice, inquit, an hinc quoque^k idem firmitus approbetur, quod duo summa bona, quæ a se diversa sunt, esse non possunt. Etenim quæ discrepant bona, non esse alterum quod sit alterum, liquet: quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest.¹⁸ Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est: nullo modo igitur quæ summa sunt bona, ea possunt esse diversa. Atqui et beatitudinem, et Deum, summum bonum esse collegimus: quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem quæ sit summa divinitas. Nihil, inquam, nec re ipsa verius,¹⁹ nec ratiocinatione firmitus, nec Deo dignius concludi potest. Super hæc, inquit, igitur, veluti geometræ solent, demonstratis propositis, aliquid inferre, quæ *πορίσματα*^{u 20} ipsi vocant, ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo. Nam quoniam^m beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vero est ipsa divinitas, divinitatis adeptione fieri beatos,¹ manifestum est. Sed uti justitiæ adeptione justii, sapientiæ sapientes fiunt, ita divinitatem adeptos Deos fieri simili ratione necesse est. Omnis igitur beatus, Deus; sed natura² quidem unus, participatione vero nihil prohibet esse quam plurimos. Et pulchrum, inquam, hoc, atque pretiosum,³ sive *πόρισμα*,^v

^u Consectaria. ^v Consectarium.

furt. Cum alteri alterum deest.—19 Mss. Nihil inquam, nec hac re verius.—20 ‘Reg. quod *πόρισμα*, bene.’ Vallin.—1 *Beatos fieri* Hack.—2 Mss. *Omnis igitur beatus est Deus, sed nat.*—3 Mss. *Et pulchrum quidem hoc atque est preciosum.*—

NOTÆ

^k *Respice, inquit, an hinc quoque*] IV. Philosophia demonstrat, aliquid non posse cum Deo communicare prædictam summi boni rationem, sive, quod idem est, non posse esse duo summa bona: quia ex jam dictis quod habet rationem summi boni, sive quod est summum bonum, illud perfectum sit, necesse est. Atqui fieri non potest ut sint duo absolute perfecta: cum perfectum absolute nec dici nec cogitari nec esse possit,

nisi illud cui nihil deest: cumque ex duobus summis bonis, si adessent, alterutrum alteri deesset.

¹ *Quæ *πορίσματα**] V. Philosophia more Geometriæ ex demonstratis quædam infert, quæ Græcis *πορίσματα*, Latinis consectaria, vocantur, sive etiam corollaria, quædam scilicet præter debitum data, Normanis *le repiquet*.

^m *Nam quoniam, &c.*] Primum consectarium est, homines adeptione be-

sive corollarium vocari mavis. Atqui hoc quoque^a pulchrius nihil est quod his annectendum esse ratio persuadet. Quid? inquam. Cum multa, inquit, beatitudo continere videatur, utrumne hæc omnia in unum veluti⁴ corpus beatitudinis quadam partium varietate conjungant, an sit eorum aliquid quod beatitudinis substantiam compleat,^w ad hoc vero cetera referantur? Vellem, inquam, id ipsarum rerum commemoratione patefaceres. Nonne, inquit, beatitudinem bonum esse censemus?⁵ Ac summum quidem, inquam. Addas, inquit, hoc omnibus licet. Nam eadem sufficientia summa est, eadem summa potentia, reverentia quoque, claritas, et voluptas beatitudo esse judicatur. Quid igitur? Hæccine omnia bona, sufficientia,⁶ potentia, ceteraque veluti quædam beatitudinis membra sunt, an ad bonum, veluti ad verticem, cuncta referuntur? Intellego, inquam, quid investigandum proponas: sed quid constituas,⁷ audire desidero. Hujus rei⁸ discretionem sic accipe. Si hæc

^w *An hæc omnia sint unum et unum; an potius unum pluribus modis se habens.*

4 'Corruptus locus. Mens liber duabus vocibus auctior est: *cum multa membra virtutum beatitudo*: quam lectionem liquido veram nemo abnuet, qui totam sententiam ponderabit. *Cum multa . . . utrumque,* &c. Bernart. Mss. Rittersh. edd. Delph. et Hack. *Utrumne hæc omnia unum veluti corpus.*—5 Ms. Erfurt. *bonum esse censuimus.*—6 *Omnia, bonum, s.* Delph. Hack.—7 Ms. Rittersh. *quid investigandum proponas. Sed quid const.*—8 'Olere mendum quis

NOTÆ

atitudinis fieri Deos: quod quidem sic infertur. Est Deus 'natura;' est Deus 'participatione.' Deus 'natura,' est res summe perfecta: unde cum ex dictis non possit esse multiplex res summe perfecta, idcirco Deus 'natura' ita unicus est, ut non possit esse multiplex. Deus vero 'participatione' dicitur illa mens, quæ cogitatione divinæ simillima prædita est: sic Psalmo 81. 'Ego dixi, Dii estis et filii excelsi omnes.' Sic 2. Pet. 1. 'ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.' Atque hoc modo beati fiunt Dii: quoniam

cogitatione divinæ simillima afficiuntur; qua quidem cogitatione Dii fiunt participatione: sicut justus, justitiæ, et sapiens, sapientiæ adeptione fit.

^a *Atqui hoc quoque, &c.*] Secundum consecrarium est, hominem qui Dei adeptione beatus, adeoque Deus 'participatione' est, divitiis, potentia, claritate, et voluptate cumulari: quod sic infertur. Si divitiæ, potentia, et cetera id genus quædam essent summi boni membra, hæc possent ita a summo bono separari, ut summum bonum esse posset sine illis: ut enim

omnia beatitudinis membra forent, a se quoque invicem discreparent. Hæc est enim partium natura, ut unum corpus diversa componant. Atqui hæc omnia idem esse monstrata sunt. Minime igitur membra sunt: alioquin ex uno membro beatitudo videbitur esse conjuncta, quod fieri nequit. Id quidem, inquam, dubium non est: sed id quod restat, expecto. Ad bonum vero cetera referri palam est. Idcirco enim sufficientia petitur, quoniam bonum esse judicatur;⁹ idcirco potentia, quoniam id quoque esse creditur bonum. Idem de reverentia, claritudine, jucunditate, conjectare licet. Omnium igitur expetendorum summa atque causa bonum est. Quod enim neque re neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest. Contraque etiam quæ natura bona non sunt,¹⁰ tamen si¹⁰ esse videantur, quasi vera bona sint,¹¹ appetuntur. Quo fit uti summa, cardo, atque causa expetendorum omnium, bonitas esse jure credatur. Cujus vero causa quid expetitur,^p id maxime videtur optari. Veluti



neget? Mss. *Cujus rei. Non male.* Bernart. Sitzm.—9 Ms. Rittersh. *quod bonum esse credatur.*—10 Uterque Vict. Ms. Rittersh. edd. Delph. et Hack. *tamen etsi. Proba lectio, censente Sitzmanno.*—11 Thuan. primus, et Vict.

NOTÆ

partes sive membra sua quælibet seorsum idea cogitari possunt, sic a se invicem separari et separatim conservari possunt: quemadmodum constat de mente et corpore, quæ sunt hominis partes: quin si hæc prædicta essent de genere modorum, sine quibus res, cujus sunt, potest existere; sicut corpus potest existere sine quiete; posset etiam summum bonum existere sine prædictis, adeoque non sequeretur eum, qui frueretur summo bono, frui propterea prædictis: sed prædicta neque sunt membra summi boni, neque etiam modi, sine quibus esse possit summum bonum; quandoquidem summum bonum ex dictis nec partes habet, nec

modo afficitur, quo possit carere; alioqui non esset absolute perfectum: quare necesse est, ut, qui summo bono fruatur, hic et voluptate, et claritate, et ceteris ejusmodi fruatur. Immo neque divitiis neque alia ejusmodi expetimus, nisi quia videntur habere rationem summi boni, sive beatitudinis.

^o *Quæ natura bona non sunt*] Quicquid ab homine expetitur, id aut re ipsa aut specie saltem bonum est: unde aiunt Philosophi, 'nec bonum, qua bonum est, odio haberi, nec malum, qua malum, amari.'

^p *Cujus vero causa quid expetitur, &c.*] Hoc est axioma, quod a Philosophis solet sic exprimi: 'propter quod

si salutis causa quispiam velit equitare, non tam equitandi motum desiderat, quam salutis effectum. Cum igitur omnia boni gratia petantur, non illa potius, quam bonum ipsum desideratur¹² ab omnibus. Sed propter quod cetera opantur, beatitudinem esse concessimus:¹³ quare sic quoque sola quæritur beatitudo. Ex quo liquido^x apparet, ipsius boni et beatitudinis unam atque eandem esse substantiam. Nihil video, cur dissentire quispiam possit. Sed Deum veramque beatitudinem unum atque idem esse monstravimus. Ita, inquam. Secure¹⁴ igitur^y concludere licet, Dei quoque in ipso bono, nec usquam alio, sitam esse substantiam.

^x *Evidenter.* ^y *Certo.*

//////////

primus: *vere bona sint.*—12 Ms. Rittersh. *quam bonum desiderantur.*—13 ‘Non improbo veterem scripturam, *esse censuimus.*’ Bernart.—14 Uterque Thuan. Reg. et Vict. uterque: *seculo igitur.*

NOTÆ

unumquodque tale, illud magis tale est;’ quod etiamsi in aliis forte causarum generibus fallere possit; in genere tamen finis, in quo genere nunc adhibetur, constat.

METRUM X.

HUC^q omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas hebetans¹⁵ libido mentes.

Convenite huc omnes decepti, quos libido mendax, occupans mentes terrestres,

//////////

¹⁵ *Habitans* Vulg. Regius: *hebetans*: quod verbum quia Boëthio familiare est, hæc genuina Vallino loci hujus videtur esse scriptura.

NOTÆ

^q *Huc*] Ad prædictam summi boni notionem.

Omnes pariter venite capti] ‘Pariter’ intelligi potest jungi vel cum verbo ‘venite,’ ut significetur, ‘con-

venite;’ vel cum participio ‘capti,’ ut significetur, ‘similiter decepti:’ ‘captus’ enim generatim is dicitur, qui in alterius potestate est: unde ‘captivus:’ speciatim vero is est, qui

Hic erit vobis^r requies laborum,
 Hic portus placida manens quiete, 5
 Hoc patens unum miseris asylum.
 Non quicquid Tagus aureis arenis^s
 Donat, aut Hermus^t rutilante ripa,
 Aut Indus^u calido propinquus orbi,
 Candidis miscens virides lapillos, 10

constringit vinculis crudelibus. Hic quies laborum erit vobis: hic statio fruens tranquillitate perpetua: hoc unum refugium apertum miseris. Nec Tagus suis arenis aureis, nec Hermus suo littore rutilo, nec Indus, vicinus regioni calidæ, suis gemmis candidis viridibusque illuminant mentes, quin eas magis occæcutas invol-

NOTÆ

corpori suo morem gerens suis ducitur perturbationibus. Virg. iv. Æneid. vs. 194. 'Regnorum immemores turpique cupidine captos.' Hinc 'libido,' quæ merito dicitur 'fallax,' perhibetur 'ligare mentes terrenas improbis catenis.' 'Libido,' inquam, quæ nihil est aliud, quam cogitatio mentis motibus corporeis obsequentis, merito dicitur 'fallax,' quia mentem a Deo, qui est prima veritas primaque bonitas, abducens, in errorem vitiumque ducit. Eadem libido 'ligat mentes improbis catenis;' quia mentem impedit, quominus hæc ad summi boni, quod naturaliter cognoscit appetitque, adeptionem perveniat. At 'mentes,' quas 'libido habitat,' sive, ut sæpius Auctor noster loquitur, *hebetat*, sunt 'terrenæ;' quod terreno corpori obsequantur. 1. Cor. 15. 'Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cælestis, tales et cælestes.'

^r *Hic erit vobis, &c.*] Evidens enim summi boni notio, utpote principium cum veritatis tum virtutis, mentem liberabit a procellis errorum vitiorumque: unde erit 'requies,' 'portus,' et 'asylum.'

^s *Tagus aureis arenis*] Tagus est

fluvius Lusitaniæ, qui, in Celtiberis ortus, Lusitaniam dividit, et ultra Ulyssiponem, *Lisbone*, in Oceanum prorumpit. Hic, non secus ac Pactolus et Hermus, aureas arenas fertur volvere: unde hic versus: 'Aurifer est amnis Tagus, et Pactolus, et Hermus.' Juvenal. 'Quod Tagus et rutila Pactolus volvit arena.'

^t *Aut Hermus*] Hermus est fluvius minoris Asiæ, qui juxta Dorylaum Phrygiæ civitatem ortus, Pactoloque junctus, Smyrnæ campos irrigat, tandemque in Phocaicum sinum illabitur. Hic etiam aureas arenas trahere fertur: unde Virgil. ii. Georg. vs. 137. 'Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus.'

^u *Aut Indus*] Indus fluvius Orientis, qui, Indiam ab Occasu definiens, ei nomen dedit: hic autem fluvius, aut saltem tellus, cui nomen dedit, gemmis abundat: quamobrem Claudianus significaturus vestem gemmis contextam Carm. v. vs. 584. canit: 'Asperat Indus Velamenta lapis.' Gemmæ porro aliæ sunt candidæ, aliæ virides, aliæ cœruleæ, aliæ alterius coloris, pro varia luminis modificati ratione: unde 'Indus' hic dicitur 'miscere virides lapillos candidis:' et Lucret. l. ii. 'Interdum quo-

Illustrant aciem,^v magisque cæcos
 In suas condunt animos tenebras.
 Hoc quicquid placet, excitatque mentes,
 Infimis tellus aluit cavernis.
 Splendor^w quo regitur, vigetque cœlum, 15
 Vitat obscuras animæ ruinas.^x
 Hanc quisquis poterit notare lucem,^y
 Candidos Phœbi radios negabit.^z

vunt in suam caliginem. Terra nutrit in suis antris inferioribus hæc corpora, quæ delectant commoventque animos. At vero lumen, quo cœlum gubernatur et viget, caret lapsus caliginosus mentis: quare quicumque valebit animadvertere hoc lumen, ille negabit radios Solis esse æque puros.

NOTÆ

dam sensu fit uti videatur Inter cœruleum virides miscere Smaragdos.’

^v *Illustrant aciem*] Nempē mentis.

Magisque cæcos] Alludere videtur ad oculos, qui nimio auri, gemmæ, alteriusve corporis lucentis relucētis splendore offunduntur, necnon inducta caligine aliquando excæcantur: aurum enim et gemmæ, quamvis multo splendore oculis videantur splendere, mentis nihilominus aciem non illustrant, immo potius inducta perturbationum caligine mentem ita excæcant, ut hanc in obscura terræ, unde hæc corpora eruta sunt, viscera condere videantur; quatenus mens horum amore capta nil nisi terram cogitat.

^w *Splendor*] Summum bonum, sive Deus, qui ad Heb. 1. dicitur ‘splendor gloriæ,’ et Sap. 7. ‘candor lucis æternæ.’

Quo regitur, vigetque cœlum] Deus enim non solum corpora, sed mentes omnes creat, conservat, et regit. Speciatim vero cœlum viget regiturque motu, cujus Deus ita auctor est, ut hic non incipiat contineturque nisi statutis ab ipso Deo legibus.

^x *Vitat obscuras animæ ruinas*] Mentis utpote immortalis nulla est ruina, quoad rem spectat, sed duntaxat quoad modum, nimirum cogitationem. Est autem cogitatio mentis ruina tum, cum mens a recta iudicandi et eligendi norma recedens, in errorem et vitium labitur. Vitium mentis nullum sine errore, error nullus sine obscuritate; quamobrem ruina mentis ita obscura est, ut ab hac Lux æterna, Deus, longius distare, hancque propterea vitare dicatur: unde Deus efficit, ut quos illuminat, hi ejusmodi ruinam etiam vitent.

^y *Hanc quisquis poterit notare lucem*] Deum, qui est summum bonum.

^z *Candidos Phœbi radios negabit*] Candor color est omnium luci similis: hinc sive corpora sive mentes eo majori candore affici dicuntur, quo majori perfunduntur luce: sicut stella, scriptio, cogitatio, Horatio, Ciceroni, Ovidio dicitur modo magis, modo minus candida. Radii autem solares, quantumvis lucidi videantur, tantum nihilominus non lucent, quantum Deus, qui 1. ad Tim. 6. ‘lucem inhabitat inaccessibilem.’

PROSA XI.

ASSENTIOR, inquam. Cuncta enim firmissimis nexa rationibus constant. Tum illa, Quanti, inquit, aestimabis, si bonum ipsum quid sit,^a agnoveris? Infiniti, inquam:¹⁶ siquidem mihi pariter Deum quoque, qui bonum est, continget agnoscere. Atqui hoc verissima, inquit, ratione patefaciam, maneant modo quæ paulo ante conclusa sunt.^z Manebunt,^a inquam. Nonne, inquit, monstravimus,^b ea quæ appetuntur a pluribus,¹⁷ idcirco vera perfecta que bona non esse, quoniam a se invicem discreparent,^c cumque alteri abesset alterum, plenum, absolutumque bonum afferre non posse? Tum autem verum bonum fieri, cum in unam¹⁸ veluti formam atque efficientiam colliguntur, ut quæ sufficientia est, eadem sit potentia, reverentia, claritas, atque jucunditas. Nisi vero unum atque idem omnia sint, nihil habere quo inter expetenda¹⁹ numerentur. Demonstratum est, inquam, nec dubitari ullo modo potest. Quæ igitur cum discrepant, minime bona sunt; cum vero unum esse cœperint, bona fiunt: nonne hæc ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit? Ita, inquam,²⁰ videtur. Sed omne quod bonum est, boni participatione bonum esse concedis, an minime? Ita est.^b Oportet igitur idem esse

^z Si memor præteritorum, hæc concesseris. bonum est, id bonitate afficitur.

^a Hæc ita erunt.

^b Quod

16 'Manifeste verum est quod in scriptis, infinito inquam.' Bernart.—17 Vict. secundus: appetuntur pluribus.—18 Ms. Rittersh. Tum autem verum bonum fieri dicimus, cum in unam.—19 Thuan. primus, et Vict. secundus: quod inter expetenda.—20 Ms. Rittersh. Nonne hæc ut bona sint, adeptione unitatis

NOTÆ

^a Bonum ipsum quid sit] Bonum simpliciter, de quo nunc agitur, est summum: id sufficiat dixisse semel pro toto isto capite.

^b Montravimus] Prosa IX. hujus libri.

^c Bona non esse, quoniam a se invicem discreparent] 1. Philosophia pro-Delph. et Var. Clas.

ponit, bonum (quo nomine intelligit summum) esse unum hoc fere modo. Cum inter unum et multa nullum excogitari possit medium, necesse est ut summum bonum sit unum aut multiplex. Atqui summum bonum non potest esse multiplex: idcirco enim probatum est divitias, potestatem, et

Boëth.

unum atque bonum simili ratione concedas. Eadem namque substantia est eorum quorum naturaliter non est diversus effectus.^d Negare, inquam, nequeo. Nostine igitur, inquit, omne quod est,^e tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum; sed interire atque dissolvi pariter atque unum¹ esse destiterit? Quonam modo? Ut in animalibus, inquit, cum in unum coëunt, ac permanent anima corpusque, id animal vocatur. Cum vero hæc unitas utriusque separatione dissolvitur, interire, nec jam esse animal, liquet. Ipsum quoque corpus cum in una forma, membrorum conjunctione, permanet, humana visitur species. At si distributæ segregatæque partes corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat. Eoque modo percurrenti cetera proculdubio patebit subsistere unumquodque, dum unum est: cum vero unum esse desinit, interire. Consideranti, inquam, mihi plura, minime aliud videtur. Estne igitur, inquit, quod in quantum naturaliter agat, relicta sustinendi² appetentia,^c venire ad interitum, corruptionemque desideret? Si animalia, inquam, considerem, quæ habent aliquam volendi nolendique naturam, nihil invenio quod, nullis extra cogentibus,^d abjiciant manendi intentionem, et ad interitum sponte festinent.³ Omne nam-

^c *Fugata suæ conservationis appetitione. vi atque violentia.*

^d *Absque ulla causarum exteriorum*

feri contingit? Ita est, inquam.—1 Postquam unum vulg. Reg. cum unum.—2 'Spurium hoc et spurcum depuravi ex Mss. relicta subsistendi.' Bernart. subsistendi daut Delph. Hack. Norimb. et Florent.—3 Mss. et duæ edd. prio-

NOTÆ

cetera ejusmodi non habere rationem summi boni, quia sunt multa.

^d *Eadem namque substantia est eorum quorum naturaliter non est diversus effectus]* Non judicamus de causa nisi per ejusdem effectus: nude quorum non videmus diversos effectus, nullum argumentum habemus, quo judicemus hæc esse res diversas.

^e *Nostine igitur, inquit, omne quod est]* II. Philosophia proponit, omnia,

suo quæque modo, summum bonum appetere, sic: Cum unum et bonum sint eadem substantia, quicquid appetit unum, illud etiam appetat bonum necesse est. Atqui omnia appetunt unum: siquidem appetunt esse; ut videre est in animalibus, in plantis, in corporibus inanimatis. Quæ omnia tam clare proponuntur, ut explicatione nostra non indigeant. Moneo solum duplicem hic distin-

que animal tueri salutem laborat: mortem vero perniciem-
que devitat. Sed quid de herbis arboribusque, quid de
inanimatis omnino consentiam rebus, prorsus dubito. Atqui
non est quod de hoc possis⁴ ambigere,^e cum herbas atque
arbores intuearis, primum sibi convenientibus innasce locis,
ubi quantum earum natura queat, cito exarescere atque
interire non possunt.⁵ Nam aliæ quidem campis, aliæ monti-
bus oriuntur, alias ferunt paludes, aliæ saxis hærent, alia-
rum fœcundæ sunt steriles arenæ, quas si in alia quispiam
loca transferre conetur, arescant. Sed dat cuique natura
quod convenit, et ne, dum manere possunt, intereant, ela-

^e *Dubitare.*



res prædictæ: *abjiciat . . . festinet.*—4 *De hoc quoque possis* ed. Hack.—

NOTÆ

guendum esse appetitum; volunta-
rium unum, alterum naturalem. Ap-
petitus voluntarius est ipsa mentis
cognoscentis voluntas, cujus ita su-
mus consci, docente ipso nostræ men-
tis voluntatisque auctore, majorem
ut hujus intelligentiam a nullo homine
accipere possimus. Talis est ille
appetitus, quo volumus esse bea-
ti: talis est iste appetitus, ‘quo,’
inquit nunc Philosophia, ‘sæpe mor-
tem, cogentibus causis quam natura
reformidat, mens humana amplecti-
tur; aut gignendi opus interdum co-
ërcet.’ Sed ait Philosophia, ‘se
nunc non de his voluntariis animæ
cognoscentis motibus tractare.’ Ap-
petitus autem naturalis est instinctus
rei etiam insciæ ad ipsius conserva-
tionem divinitus impressus. Primum
quidem hic appetitus dicitur instinc-
tus: est enim impulsio; et quælibet
impulsio recte dicitur instinctus:
cum instinctus dicatur ab instigando,
hoc ab instando; quod qui instigat,
hic instat et urget. Deinde idem
appetitus est rei etiam insciæ: quan-
doquidem in corporibus inanimatis,

in quibus nulla potest esse cognitio,
locum habet. Præterea hic appeti-
tus divinitus impressus est: non se-
cus ac voluntarius: Deus enim mo-
vet omnia. Denique idem appetitus
est ad rei conservationem: ‘dedit
enim divina providentia,’ ut hic dici-
tur, ‘creatis a se rebus hanc vel
maximam manendi causam, ut quoad
possunt, naturaliter manere deside-
rent.’ Hoc appetitu, ‘ut quodam
naturæ principio, animalia manere
amant.’ Eodem ‘semper appetunt
gignendi opus, quo solo mortalium
rerum durat diurnitas.’ Hoc ap-
petitu ‘acceptas escas sine cogita-
tione transigimus.’ Eodem, ‘in som-
no spiritum ducimus nescientes.’ Hoc
denique appetitu ‘cuncta quæ sunt,
appetunt naturaliter constantiam
permanendi, devitant perniciem.’ Sic
in ove, viso lupo, spiritus a cerebro
per nervos fluere soliti ad eas decli-
nant ovis partes quæ ad fugam des-
tinantur: in formica vero, viso fru-
mento, iidem spiritus deturbantur ad
eas formicæ partes, quæ ad capien-
dum dispositæ sunt.

borat. Quid dicam, quod⁶ omnes, velut in terras ore demerso, trahunt alimenta radicibus, ac per medullas robur corticemque diffundunt? Quid, quod mollissimum quodque,⁷ sicuti medulla est, interiore semper sede reconditur, extra vero quadam ligni firmitate tegitur;⁸ ultimus autem cortex adversum cœli intemperiem, quasi mali patiens defensor,^f opponitur? Jam vero quanta est naturæ diligentia, ut cuncta semine multiplicato propagentur! quæ omnia non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque, quasi in perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse quis nesciat? Ea etiam quæ inanimata esse creduntur, nonne quod suum est quæque simili ratione desiderant? Cur enim flammæ quidem sursum levitas vehit, terras vero deorsum pondus deprimit, nisi quod hæc singulis loca motionesque conveniunt? Porro autem quod cuique consentaneum est, id unumquodque conservat: sicuti ea quæ sunt inimica, corrumpunt. Jam vero quæ dura sunt, ut lapides, adhærent tenacissime partibus suis, et ne facile dissolvantur, resistunt. Quæ vero liquentia, ut aër atque aqua, facile quidem dividendum cedunt, sed cito in ea rursus a quibus sunt abscissa, relabuntur. Ignis vero omnem refugit sectionem. Neque nunc nos de voluntariis animæ cognoscentis motibus, sed de naturali intentione tractamus. Sicuti est, quod acceptas escas sine cogitatione⁹ transigimus, quod in somno¹⁰ spiritum ducimus^g nescientes. Nam ne in¹¹ animalibus quidem manendi amor ex animæ voluntatibus, verum ex naturæ principiis venit. Nam sæpe mortem cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur: contraque illud quo solo mortalium rerum durat diuturnitas, gignendi opus, quod

^f *Validius resistens.*

^g *Respiramus.*

5 *Non possint eadem ed. cum Delph.*—6 *Quid, quod vulg.*—7 *Uterque Thuan. et Vict. uterque: quidque.*—8 *'Tegitur abest in Thuan. et Vict. utrisque, necnon in Flor. et tuto expungi potest.' Vallin.*—9 *Vict. secundus: sine cogitatione.*—10 *'Quod in summo'] Falsa lectio. Recte Mss. et ed. Flor. quod in somno.'* Sitzm. idem censet Bernart.—11 *Ms. Erfurt. Nam nec in. Ms. Rit-*

natura semper appetit, interdum coërcet voluntas. Adeo hæc sui caritas ^h non ex animali motione, sed ex naturali intentione procedit. Dedit enim providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam, ut, quoad possunt, naturaliter manere desiderent: quare nihil est quod ullo modo queas dubitare, cuncta quæ sunt, appetere naturaliter constantiam permanendi, devitare perniciem. Confiteor, inquam, nunc me indubitato cernere quæ dudum incerta videbantur.ⁱ Quod autem, inquit, subsistere ac permanere appetit, id unum esse desiderat: hoc enim sublato, ne ¹² esse quidem cuiquam permanebit. Verum est, inquam. Omnia igitur, inquit, unum desiderant. Consensi.¹³ Sed unum idipsum monstravimus esse quod bonum est. Ita quidem. Cuncta igitur bonum petunt: quod quidem ita describas licet, ipsum bonum esse quod desideretur ab omnibus. Nihil, inquam, verius ^f excogitari potest. Nam vel ad nihilum cuncta referuntur, et uno veluti vertice destituta, sine rectore, fluitabunt; aut si quid est ad quod universa festinent, id erit omnium summum bonorum. Et illa, Nimium, inquit, o alumne, lætor: ipsam enim mediæ ^k veritatis ^g notam mente fixisti: sed in hoc patuit tibi quod ignorare te paulo ante dicebas. Quid? inquam. Quis esset, inquit, rerum omnium finis.^h Id est enim ¹⁴

^h Amor erga semetipsum. ⁱ Me jam animadvertere tam evidenter ea de quibus antea dubitabam, ut de his non possim amplius dubitare. ^k Manifestæ.

tersh. et ed. Flor. Nam neque in.—12 'Mss. sublato, nec, scilicet, sæpe in his libris ne pro nec vel neque perperam editum fuisse.' Sitzm.—13 Ms. Concessi.—14 Is est enim vulg. ed. Hack. Id enim est.

NOTÆ

^f Nihil verius] Nam prædictus naturalis appetitus vel est a nihilo, vel est ab aliquo summo rectore, ad quem propterea veluti ad primum principium et ultimum finem revocandus est. Atqui fieri non potest, ut iste appetitus sit a nihilo: siqui-

dem nihilum non potest esse ullius rei causa.

^g Mediæ veritatis] Manifestæ: sic enim, interprete Servio, Virgil. Æn. II. vs. 533. 'Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur.'

^h Rerum omnium finis] III. Philoso-

perfecto quod desideratur ab omnibus: quod quia bonum esse collegimus, oportet, rerum omnium finem bonum esse fateamur.

NOTÆ

plia concludit rerum omnium finem esse bonum et quidem summum: quia quod ab omnibus rebus desideratur, id rerum omnium finis est. Atqui ex dictis summum bonum ab omnibus rebus desideratur.

METRUM XI.

QUISQUISⁱ profunda mente vestigat verum,
Cupitque nullis ille deviis falli,
In se revolvat^k intimi lucem visus,

Qui inquirat veritatem alto animo, idemque optat nullis decipi erroribus, hic revocet lumen interioris aspectus ad suam mentem, et convertens cogitationum lon-

NOTÆ

ⁱ *Quisquis*] Philosophus: nam Philosophus, spectata nominis interpretatione, is appellatur, qui 'tota mente vestigat verum,' sapientiæ studiosus. Nimirum, inquit Tullius Tusc. v. 'Pythagoræ ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsit ex eo, qua maxime arte confideret? ille artem quidem se scire nullam respondit, sed esse Philosophum... raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur, hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim, Philosophos.'

Profunda mente] Profundum dicitur primum quidem de corpore cujus porro fundus dimensionem terminat: sic profundum pelagus dicimus. Deinde vero propter quandam similitudinem de ipsa mente, cujus cogitatio penetrans est: sic consilium vocatur profundum a Quintil. Decl. II.

Vestigat verum] Verum sive veritas duplicis est generis, nempe res, et modus. Res vera est extra, modus verus est intra, mentem: unde posterius hoc verum sive veritas definiri potest cogitatio mentis recte percipientis aut judicantis. Agitur autem hic de hoc posteriori vero: unde statim dicitur vs. 6. 'animum id suis retrusum possidere thesauris.'

^k *In se revolvat, &c.*] Suam mentem inspiciat: mens enim humana in his, quæ naturali lumine cognoscenda sunt, nullum potest habere iudicium verum certumque (quod nunc dicitur verum investigandum) nisi præeunte et regente evidentia, quæ nihil est aliud, quam cognitio clara et distincta: evidentia autem hæc non autem haberi potest, quam mens seipsam cognoverit: unde illud, Nosce teipsum, de quo jam locuti sumus.

Longosque in orbem¹ cogat inflectens motus,
 Animumque doceat^m quicquid extra molitur, 5
 Suis retrusum possidere thesauris.ⁿ
 Dudum quod atra texit erroris nubes,
 Lucebit ipso perspicacius Phœbo.
 Non omne namque mente depulit lumen,
 Obliviosam corpus^o invehens molem.^p 10

gam seriem disponat in circuitum, et instruat mentem habere reconditum in suis thesauris id omne, quod extra se quærit: tum quod jampridem caligo nigra erroris velavit, id clarius ipso Sole fulgebit. Nam corpus, quamvis machina oblivionis

NOTÆ

¹ *Longosque in orbem, &c.*] Habeat cogitationem cogitationis, ipsiusque secundæ cogitationis tertiam cogitationem, et sic deinceps, ita ut fiat veluti circuitus cogitationum: hac enim solum ratione præcipitatio et præjudicium, duo veritatis inveniendæ impedimenta, vitari possunt.

^m *Animumque doceat*] Animum docere proprie solius Dei est, a quo animus conditus conservatusque primum informatur: frequenti tamen meditatione mens humana suas cogitationes attentius cogitans, ipsum etiam animum eo putatur docere, quod, mente veluti Deum interrogante, Deoque eidem respondente, naturale lumen sic diffundatur, ut quod ante latebat, id fugata caligine animadvertatur. Inter alia autem mens nostra, attenta hac suarum cogitationum meditatione, docetur, se in se possidere thesaurum, quem extra se invenire tentabat: unde additur

ⁿ *Quicquid extra molitur, Suis retrusum possidere thesauris*] ‘Molior’ dicitur a ‘mole:’ ‘moles’ forte a *μολέειν*, ‘vectibus summovere:’ quare quicquid majori sive corporis sive mentis virtute agimus, illud dicimur ‘moliri:’ sic corpore iter, mente insidias; utroque arcem dicimur ‘moliri.’ Mens ergo extra se tum intelligitur moliri verum, cum spretis suis cogitationibus, subjectam ipsis cogitationi-

bus materiam considerat attentius: quod quidem vitium non est: cum nostra cogitatio, utpote quæ non est nihili, a rebus exterioribus pendeat, velut effectus a causa, nec vitiosum sit, cognoscendi effecti gratia, causam considerare. Verum cum plura esse possint in causa, quam in effecto, nihil vero in effecto, quod non sit in causa; propterea mens humana, inveniendo veritatem, melius suas cogitationes, quam subjectam cogitationum materiam primum contempletur: sicque in se, sive suis in thesauris cognoscet, se possidere, quod extra se reperire tentabat: sic inveniet evidentiam sive claram distinctamque cogitationem, qua inventa non solum ‘atram nubem,’ hoc est, ignorantiam, erroris causam, fugabit, sed ipsum etiam errorem vitabit. Nimirum

^o *Non omne namque mente depulit lumen, Obliviosam corpus*] Homo non est sola mens, neque solum corpus; sed compositio mentis et corporis in sese invicem agentium: hinc corpus sua in mentem actione inuatum ipsius mentis lumen non extinguunt quidem, sed offundit. Non extinguunt, inquam: ut enim Deus, hujus luminis naturalis auctor, constantissimus est; sic lumen illud tamdiu, quamdiu mens durabit, duraturum perpetuum est. At offundit: ‘corpus enim quod cor-

Hæret profecto semen introrsum veri,^q
 Quod excitatur ventilante doctrina.
 Nam cur rogati^r sponte recta censetis,
 Ni mersus^s alto viveret fomes corde ?

parens, non fugavit ex animo omnem lucem. Certe semen veritatis intus manet, quod diffunditur, agente magistro. Quomodo enim interrogati recte responderetis proprio Marte, nisi fomes veritatis menti profundæ insitus vigeret? Quod

NOTÆ

rumpitur,' Sapientiæ 9. 'aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:' hinc corpus nunc dicitur

^p *Obliviosam . . . invehens molem*] Cujus propositionis explicandæ duplex est modus: alter Platonicius et falsus: alter philosophicus et verus. Platonici quidem existimarunt, omnes hominum mentes, antequam hæc cum corporibus conjungerentur, conditas fuisse, omnique doctrinarum genere instructas; sed propter aliquod suum crimen in corpora immixtas infelici commercio omnia, veluti hausto oblivionis poculo, oblitas fuisse, ita ut et corpus oblivionis causa, et mens ipsa deinceps addiscens reminisci dicatur: sed sententia hæc falsa est, cum mens humana non prins creata, quam ipsius corporis forma fuerit. Philosophi vero, saltem ii qui præjudiciis non ducuntur, putant, mentem humanam inter Deum, cujus ipsa est effectus, et corpus, cujus eadem est forma, mediam a Deo quidem statim ab ortu optimis informari cognitionibus affectibusque de summo bono, sed a corpore adversis cogitationibus ita turbari, his ut illæ aut pellantur aut saltem obscurantur: tamen

^q *Hæret profecto semen introrsum veri*] Semen, illud dicitur, ex quo insito aliquid fit; quare semen veri, introrsum sive intra nostram mentem existens, nihil est aliud quam cogitatio, ex qua insita fit verum iudicium:

cogitatio autem illa est notio; siquidem iudicium verum non fit nisi ex præeuntibus notionibus: quamobrem si non obstante impetu corporis, in mente nostra supersit semper aliqua notio sive idea, 'hæret profecto semen introrsum veri:' at ejusmodi notio semper superest, ea saltem, quam ab ortu divinitus accepimus, ab eo et de eo 'quod est;' nimirum Deo: hinc 'verum' iudicium 'excitatur ventilante doctrina,' quatenus, Magistro monente, naturale illud lumen, instar ignis aura commoti, paulo longius diffunditur. Seneca Ep. 94. 'omnium enim honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non aliter quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum explicat.'

^r *Cur rogati, &c.*] Cur quicumque literis operam non dedistis, interrogati de iis, quæ vulgo vocantur 'axiomata,' ut 'an totum sit sua parte majus; an alteri faciendum quod tibi fieri non vis?' recte responderetis? Sic Socrates et Plato feruntur, pueros de Mathematicis interrogasse, quibus pueri, ceu periti, responderint.

^s *Ni mersus, &c.*] Nisi in mente ipsa quædam præesset notio, quæ sit veluti fomes et materia hujus veri rectique iudicii: quod enim in mente ejus, qui cæcus natus est, nulla præsit talis colorum notio sive idea, idcirco frustra ejusmodi cæcum docetis frustra que interrogabis de colo-

Quod si Platonis Musa ^t personat verum, 15
 Quod quisque discit, immemor recordatur.

si Musa Platonis dicit verum: quod unusquisque addiscit, hujus reminiscitur ante oblitus.

NOTÆ

ribus, nunquam verum rectumque de his feret iudicium. Propterea Logici docent, in omni methodo semper fieri progressum a notioribus ad minus nota.

^t *Platonis Musa*] Non approbat quidem Philosophia sententiam Platonis, in hoc quod docuerit, mentes humanas conditas fuisse antequam hæ conjunctæ fuerint cum corpori-

bus; siquidem id naturali lumine cognosci non posse videtur; sed in hoc quod putaverit, cognitionem Philosophicam ita ab innata oriri, ut Philosophica nihil aliud sit, quam modus innatæ, sive innata modificata: quemadmodum appetitio libera divitiarum nihil aliud est, quam modus necessariæ appetitionis circa bonum generatim. Propterea—

 PROSA XII.

TUM ego, Platoni,^l inquam, vehementer assentior: ^u nam

^l *Citato versu 15. Metri superioris.*

NOTÆ

^u *Platoni, inquam, vehementer assentior*] Prædicta Platonis sententia de recordatione in duobus versatur. Alterum est, mentes humanas, antequam hæ corporibus jungerentur, fuisse conditas, et rerum omnium doctrina præditas: sicut Aristoteles ait II. de Gen. Alterum, easdem mentes propter suum cum corpore commercium præteritæ suæ doctrinæ oblitus fuisse, donec suo magistrorumque labore discentes antiquæ suæ eruditionis veluti memores recordarentur. Primum quibusdam etiam Christianis placuit, ut Origeni: sed refutatur cum Epist. Leonis I. ad Turibium Asturicensem episcopum;

tum Concil. Braccharensi I. c. 6. Alterum vero a Boëthio potuit approbari, quatenus mens humana in omni methodo semper a notioribus ad minus nota progreditur, ita ut quæcumque notio recens habeatur, illa sit alicujus prænotionis modus: quemadmodum quælibet nova appetitio prioris semper est appetitionis modus. Et certe cum cogitatio sit ipsa mentis humanæ vita, cumque mens eadem non potuerit creari nisi vitæ particeps, consequens videtur, mentem humanam a primo suo ortu prædictis cogitationibus, generali scilicet notione et appetitione summi boni, affectam fuisse.

me horum jam secundo commemoras.^{m v} Primum, quod memoriam corporea contagione, dehinc cum mœroris mole pressus, amisi. Tum illa, Si superiora,¹⁵ inquit, concessa respicias, ne illud quidem longius aberit, quin recorderis, quod te dudum nescire confessus es. Quid? inquam. Quibus, ait illa, gubernaculis mundus regatur. Memini, inquam, me inscitiam meam¹⁶ fuisse confessum: sed quid afferas, licet jam prospiciam, planius tamen ex te audire desidero. Mundum hunc, inquit,¹⁷ a¹⁸ Deo regi paulo ante minime dubitandum putabas. Ne nunc quidem arbitrator, inquam; nec unquam dubitandum putabo, quibusque in hoc rationibus accedam, breviter exponam. Mundus hic^w ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset qui tam diversa conjungeret; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret, atque divelleret, nisi unus esset qui quod nexuit contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitibus explicaret, nisi unus esset qui has mutationum¹⁹ varietates manens ipse disponeret. Hoc quicquid est, quo condita manent, atque agitantur, usitato cunc-

^m *Hæc iterum in meam memoriam revocas.*



¹⁵ 'Arridet magis scripta lectio, mole compressus amisi. Tum illa si priora. Ms. Erfurt. et ed. Norimb. *Tum illa inquit: si priora. Si priora* etiam uterque Thuan. Reg. et Vict. uterque.—¹⁶ Ms. Rittersh. *me inscientiam meam.*—¹⁷ *Mundum, inquit, hunc* ed. Hack.—¹⁸ Vict. uterque et Flor. omittunt præpositionem *a.*—¹⁹ 'Mihi placeat e scriptis legere, qui has motionum.' Bernart.

NOTÆ

^v *Horum . . . commemoras*] Quasi dicat, horum memoriam commemoras: hac enim duntaxat lege verba recordationis Grammaticis dicuntur genitivum regere.

^w *Mundus hic*] i. Boëthius probat Mundum a Deo regi hoc argumento. Cum contrariorum aut nullus, aut

brevis, aut saltem inæquabilis esse debeat concursus, si mundus sit perpetuus æquabilisque contrariorum concursus, ut revera est, necesse est ut mundus regatur a Deo, a quo illa contraria conjungantur, conjuncta contineantur, contentaque suis quælibet officiis donentur.

tis vocabulo Deum nomino. Tum illa, Cum hæc, inquit, ita sentias, parvam mihi²⁰ restare operam puto, ut felicitatis compos patriam sospes²¹ revisas: sed quæ proposuimus, intueamur. Nonne in beatitudine^x sufficientiam numeravimus, Deumque beatitudinem ipsam esse consensimus?¹ Ita quidem. Et ad mundum igitur, inquit, regendum nullis extrinsecus² adminiculis indigebit: alioquin si quo egeat, plenam sufficientiam non habebit. Id, inquam, ita est necessarium. Per se igitur solum cuncta disponit. Negari, inquam, nequit. Atqui Deus ipsum bonum esse monstratus est. Memini, inquam. Per bonum igitur cuncta disponit: siquidem per se regit omnia, quem bonum esse concessimus; et hic est veluti quidam clavus atque gubernaculum, quo mundana machina stabilis atque incorrupta servatur. Vehementer assentior, inquam, et id te paulo ante dicturam, tenui licet suspitione,³ prospexi. Credo, inquit: jam enim, ut arbitror, vigilantius ad cernenda vera oculos^o deducis: sed quod dicam non minus ad contuendum patet.^p Quid? inquam. Cum Deus,^q inquit, omnia bonitatis clavo^y gubernare jure credatur, eademque omnia, sicuti docui, ad bonum naturali intentione festinent, num dubitari potest, quin voluntarie

ⁿ Incolumis. ^o Mentis. ^p Prospici potest.

—20 Ms. Rittersh. et ed. Delph. *parvam tibi*.—1 Vulg. *concessimus*. ‘Hic et paulo post ex Mss. legendum: *consensimus*.’ Sitzm. quod etiam probat Vallin.
—2 *Extrinsecus* deest in Vict. primo et Reg.—3 Ms. Rittersh. *Tenui licet ima-*

NOTÆ

^x *Nonne in beatitudine*] II. Philosophia utens prænotione Boëthii ipsum Boëthium docet, ‘bonitatem esse veluti clavum atque gubernaculum quo mundana machina’ regatur: sic autem videtur argumentari. Cum summum bonum, utpote sibi sufficiens, alieno præsidio non indigeat ad aliquid moliendum; cumque Deus sit summum bonum, Deus, alienæ opis non indigus, per se solum, adeoque per suam bonitatem, faciat necesse

est quod ab ipso fit. Si ergo mundus a Deo regatur, ut regi fateris, mundus divina bonitate regatur necesse est.

^y *Cum Deus, inquit, omnia bonitatis clavo*] Ex prædicta propositione infert Philosophia, omnia voluntarie et sponte regi: quia quæcumque summo bono sive bonitate reguntur, hæc voluntarie et sponte reguntur: ‘cum omnia ad bonum naturali intentione festinent.’ Sed omnia summo bono

regantur,⁴ seque ad disponentis nutum,⁹ veluti convenientia, temperataque⁵ rectori, sponte convertant? Ita, inquam, nec beatum regimen esse videretur, siquidem detrectantium jugum foret, non obtemperantium salus. Nihil est igitur quod, naturam servans, Deo contraire^r conetur. Nihil, inquam. Quid si conetur,² ait, num tandem proficiet quidquam adversus eum quem jure potentissimum beatitudinis^{s 6} esse concessimus? Prorsus, inquam, nihil valeret.⁷ Non est igitur aliquid quod summo huic bono vel velit, vel possit obsistere. Non, inquam, arbitror. Est igitur, inquit, summum bonum quod regit cuncta fortiter, suaviterque disponit.^t Tum ego, Quam, inquam, me non modo ea⁸ quæ conclusa est, summa rationum, verum multo magis hæc ipsa verba,^u quibus uteris, delectant,⁹ ut tandem aliquando stultitiam magna latrantem¹⁰ sui pudeat. Accepisti, inquit, in fabulis lacessentes cœlum Gigantes:^a sed illos quoque, uti condignum fuit, benigna fortitudo deposuit.^{v 11} Sed visne rationes ipsas invicem collidamus? forsitan ex hujusmodi conflictatione

¹ *Voluntatem.* ^r *Adversari.* ^s *Quia beatitudo est.* ^t *Ut dicitur*
Sapientiæ 8. ^u *Utpote sacri textus.* ^v *Deturbavit.*

gine.—4 Uterque Vict. et Reg. *voluntaria regantur.*—5 Ms. Rittersh. *temperataque.*—6 *Beatitudinis potentissimum* Delph. Hack.—7 Reg. et Vict. *secundus: valebit.*—8 Mss. *Tum ego inquam: me non modo ea.*—9 *Hæc ipsa, quibus uteris, verba d.* ed. Hack.—10 Uterque Thuan. et Reg. *magna lacerantem.*—11 Reg.

NOTÆ

sive bonitate reguntur: siquidem Deus, a quo omnia reguntur, et summum bonum sunt una eademque res.

² *Quid si conetur*] Quinetiam quod summum bonum sit ‘potentissimum,’ quodque omnia summo bono regantur, propterea omnia etiam summa potestate reguntur: adeoque, ut ‘nihil est quod velit, nihil etiam est quod possit obsistere’ Deo rectori, sive ‘summo huic bono.’ Hinc illud Sapientiæ 8. ‘Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia

suaviter.’ quæ verba nunc retulit Philosophia; estque unica sacri textus auctoritas, quam in toto hoc opere adhibuerit disertis verbis. Nec mirum: Philosophia enim lumine duntaxat naturali nititur: quanquam Boëthium hæc Sapientiæ ‘verba delectant, ut tandem aliquando stultitiam magna latrantem sui pudeat:’ stultitia enim non, instar Sapientiæ, quicquid illa jactitet, ‘attingit a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.’

^a *Gigantes*] Fabulantur Gigantes

pulchra quædam veritatis scintilla dissiliet.^u Tuo, inquam, arbitrato.^s Deum, inquit, esse omnium potentem^y nemo dubitaverit. Qui quidem, inquam, mente consistat, nullus prorsus ambigat.^z¹² Qui vero est, inquit, omnium potens, nihil est quod ille non possit. Nihil, inquam. Num igitur Deus facere malum potest? Minime, inquam. Malum igitur, inquit, nihil est,^b cum id facere ille non possit qui nihil non potest. Ludisne, inquam, me, inextricabilem mihi labyrinthum^c rationibus texens? quo nunc qui-

^u Velut ex mutuo corporum duriorum attritu. ^s Ut volueris. ^y Omnipotentem. ^z Hac de re nemo mente præditus dubitabit.

~~~~~

et uterque Vict. disposuit.—12 Ms. Rittersh. *ambigit*.—13 ‘Literulæ vitium

#### NOTÆ

homines fuisse ab irata tellure procreatos in Deorum perniciem; hinc eo usque crevisse feruntur, ut congestis montibus cælum armis invadere tentaverint, Jovemque et Superos de suis sedibus deturbare. Sed addunt, hos in campis Phlegræis cum Diis congressos partim Jovis fulmine, partim Apollinis et Dianæ telis confixos cecidisse, aliosque sub Ætna monte, alios sub Mycone et Lycopara insulis sepultos esse: nonnullos etiam in Tartarum detrusos impietatis suæ pœnas luere. Ovid. I. Metam. ‘Neve foret terris securior arduus æther, Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes, Altaque congestos struxisse ad sidera montes,’ &c. Vide si placet Claudiani Gigantomachiam cum Notis doctissimi Pyrrhonis, qui, ut in omnibus ingenuis artibus, sic in Poëtica ita versatus est, ut de quacumque re nata tam stricta quam soluta oratione dicere semper sit paratissimus; dignissimus propterea, cui, ad usum Serenissimi Delphini, cura explicandi Claudiani fuerit commissa.

<sup>b</sup> *Malum . . . nihil est*] III. Philosophia addit, malum nihil esse, quod

Deus, qui hic dicitur mens omnipotens, malum facere non possit. Scilicet Philosophis distinguitur materia et forma mali. Materia est ipsa voluntas sive potius mens volens, quæ certe aliquid est: forma vero, uti loquuntur, est privatio sive negatio; hoc est, ipsa voluntas, quatenus non tendit ad Deum, ad quem debet tendere. ‘Nemo ergo,’ inquit S. Aug. l. XII. de Civ. D. cap. 7. ‘quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est sed defectio: deficere namque ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est ac si quispiam velit videre tenebras vel audire silentium.’

<sup>c</sup> *Inextricabilem labyrinthum*] ‘Labyrinthus’ locus est tantis viarum ambagibus inflexus, ut, altera alteram excipiente, ingressus egredi nescias: unde vocatur ‘inextricabilis,’ quod in eum si quis improperet, sine glomere lini exitum invenire nequeat. Similitudine autem hinc



dem,<sup>13</sup> qua egrediaris, introëas; nunc vero, qua introieris, egrediare: an mirabilem quendam divinæ simplicitatis<sup>14</sup> orbem complicas? Etenim paulo ante a beatitudine incipiens, eam summum bonum esse dicebas,<sup>15</sup> quam in summo Deo sitam loquebare: ipsum quoque Deum summum esse bonum, plenamque beatitudinem disserebas, ex quo neminem beatum fore, nisi qui pariter Deus esset, quasi munusculum dabas. Rursus ipsam boni formam, Dei, ac beatitudinis loquebaris esse substantiam: ipsumque unum id ipsum esse bonum dicebas, quod ab omni rerum natura peteretur: Deum quoque bonitatis gubernaculis universitatem regere disputabas, volentiaque cuncta parere,<sup>a</sup> nec ullam mali esse naturam, atque hæc nullis extrinsecus sumtis, sed altero ex altero fidem trahente,<sup>b</sup> insitis, domesticisque probationibus explicabas. Tum illa, Minime, inquit, ludimus;<sup>16</sup> remque omnium maximam Dei munere, quem dudum deprecabamur, exegimus. Ea est enim divinæ forma substantiæ, ut neque in externa dilabatur, nec<sup>17</sup> in se externum aliquod<sup>18</sup> ipsa suscipiat: sed sicut de ea Parmenides ait: Πάντοθεν<sup>d</sup> ἐν κύκλοισι φέρειν ἐναλίγκιον ὄγκον.<sup>c</sup> <sup>19</sup> Quod

<sup>a</sup> Obedire.    <sup>b</sup> Alterum probante.    <sup>c</sup> Divinum numen est simile moli sphaeræ undique rotundæ.

.....

densam sententiæ fecit noctem, quam illustravi ex veteribus: *quæ nunc.* Bernart. ‘*Quæ nunc quidem*] Sic totum locum Vallinus emendavit, veterum codicum ope: tantum pro, *quo introieris*, ex conjectura reposuit: *qua introieris.* Editor Delph.—14 ‘Numquid melius quod in meo codice? *Divinæ felicitatis.*’ Bernart.—15 Ms. Rittersh. et ed. Hack. *docebas.*—16 Idem cod. *lusimus.*—17 *Neque* idem.—18 *Aliquid* ed. Hack.—19 ‘Πάντοθεν] Pro quo legabant omnes hactenus edd. quibus consentiebat quoque ipse Græculus Planudes, Πάντοθεν ἐν κύκλοισι φέρειν ἐναλίγκιον ὄγκον: *Undique in circulis ducis similem acervum*: quod profecto quid significet neque vel divinare quis possit, sit licet magnus Apollo: nos ex Sophista Platonis unde versus iste Parmenidis desumptus est monstrum illud averruncantes reposuimus, Πάντοθεν ἐν κύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ: *Sphaeræ undique æqualis persimilis moli*: Cujus lectionis vestigia codd. Victorinus et Thuanæus vetustiores servabant.’ Vallin. Vid. Not. Var. Edd. Delph. et Hack. Πάντοθεν ἐν κύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ, *rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conservat.*

#### NOTÆ

accepta, oratio aut quælibet alia Philosophica vocatur, ‘labyrinthus res, unde sese expedire sit difficillimum, vocari solet, ut nunc oratio inextricabilis.’  
<sup>d</sup> Πάντοθεν, [ἐν κύκλου, &c.] Hoc est:

si rationes quoque non extra petitas, sed intra rei quam tractabamus ambitum collocatas, agitavimus; nihil est quod admirere, cum Platone sanciente<sup>d</sup> didiceris, cognatos, de quibus loquimur, rebus<sup>2o</sup> oportere esse sermones.

<sup>d</sup> In *Timæo*, ubi, *Sermones, inquit, iis rebus, quarum nuntii et interpretes sunt, cognatione atque affinitate quadam convenient.*



Quod si. ‘*Rerum orbem*] Verba hæc et quæ sequuntur in textum induximus suoque auctori restituimus: neque enim glossema est, ut hactenus omnes putaverunt. Neque id ex conjectura fecimus, sed quod ita haberent omnes manu exarati, quotquot vidimus, codices: addito in plerisque Græco versui suo qualiquali glossemate.’ *Vallin.* Vid. Not. Var.—20 ‘*Omnes recte: loquuntur rebus.*’ Idem.

#### NOTÆ

divinum numen est simile moli sphaeræ ræ, sic Deo nihil possit addi vel undique rotundæ; ut, sicut huic sphaeræ trahi, illæsa ejus natura, et idea.



### METRUM XII.

FELIX qui potuit boni  
Fontem visere lucidum: <sup>e</sup>  
Felix qui potuit gravis  
Terræ solvere vincula. <sup>f</sup>

*Ille est felix, qui potuit videre fontem luminosum boni, felix item, qui potuit se*

#### NOTÆ

<sup>e</sup> *Felix qui potuit boni Fontem visere lucidum*] Id est Deum. Primum enim Deus est fons boni: quandoquidem ex dictis Deus est summum bonum. Deinde fons ille boni, Deus, est lucidus sive lumen emittens: Deus enim non cognoscitur nisi lumine, quod Deus ipse menti cognoscenti dederit. Postremo felix est, qui notione Dei præditus est: quia notio illa Dei aut felicitas est aut saltem origo cujuscumque cogitationis, in qua felicitas versari possit: cum felicitas sit cogitatio mentis Deo sive summo bono constanter adhærentis: unde

*Felix qui potuit gravis Terræ solvere vincula*] Id est corporis humani. Primum enim corpus humanum terra est, quod ex terra tanquam ex sua materia factum fuerit Eccl. 10. ‘quid superbit terra et cinis?’ Deinde idem corpus est grave, quod suo pondere mentem ad ima deprimat: Sapientiæ 9. ‘corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.’ Præterea sua sunt corporis istius vincula, quibus mentem constringat, videlicet perturbationes: ad Roman. 7. ‘infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?’ Denique nemo



Quondam funera conjugis 5  
 Vates Threicius<sup>g</sup> gemens,  
 Postquam flebilibus modis  
 Sylvas currere, mobiles  
 Amnes stare coëgerat;  
 Junxitque intrepidum latus 10  
 Sævis cerva leonibus,  
 Nec visum timuit<sup>1</sup> lepus  
 Jam cantu placidum canem;  
 Cum flagrantior intima  
 Fervor pectoris ureret, 15  
 Nec qui cuncta subegerant,  
 Mulcerent dominum modi;<sup>h</sup>

*expedire a laqueis corporis ponderosi. Olim Orpheus, pœta Thracius, deflens mortem suæ uxoris, postquam carmine tristi coëgit, arbores motas currere, et flumina stare immota; postquam eodem carmine cerva sociavit leonibus diris latus suum impavidum, neque lepus metuit canem aspectum, tunc placatum eodem carmine; cum flamma amoris ardentior consumeret interiora præcordia hujus vatis, nec carmina, quæ vicerant omnia, pacarent auctorem suum, hic questus Superos crudeles, penetra-*

1 Ms. Rittersh. *tremuit.*

#### NOTÆ

ante felix, quam hæc vincula solverit: siquidem prædicta Dei cogitatio, in qua felicitas versatur, his vinculis veluti totidem contrariis impeditur. Sapientiæ 9. 'terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.'

<sup>g</sup> *Vates Threicius*] Orpheus Thrax. Hic Apollinis et Calliopes filius, lyram a patre Apolline, aut a Mercurio acceptam ita suaviter impellebat, illius ut cantus sylvas et saxa movere, fluminum cursum inlibere, ferasque reddere mitiores dictus fuerit. Eurydicen habuit uxorem, quæ cum Aristæum illius amore captum per avia fugeret, serpentis morsu læsa interiit; quod maritus ægerrime ferens Inferos adiit, infernosque tyrannos suo carmine ita demulsit, ut illi uxorem reddiderint, ea tamen lege,

ut Orpheus non prius intueretur uxorem quam ad superos rediissent: quam legem cum Orpheus nimio amore correptus non observasset, Eurydice iterum mortua ad Inferos rediit. Hæc fabula nunc eleganter describitur: sed a Virgilio prius descripta fuerat iv. Georg. vs. 454. et seqq. Hic Orpheus dicitur suis carminibus vicisse primum corpora, deinde mentes: corpora quidem tam inanimata, quorum quietem motu, et motum quiete mutavit, quam animata, nimirum bestias, quibus ut crudelibus mansuetudinem, sic timidis inspiravit generositatem; mentes vero, infernas.

<sup>h</sup> *Nec qui cuncta subegerant, Mulcerent dominum modi*] Hoc est: carmina quæ omnia vicerant, non vincebant ipsum Orpheum horum carmi-

Immites Superos querens,

Infernas adiit domos.<sup>i</sup>

Illic blanda sonantibus<sup>k</sup>

20

Chordis carmina temperans,

Quicquid præcipuis Deæ

Matris fontibus<sup>l</sup> hauserat,

*vit ædes infernas. Illic componens cantus suos cum fidibus citharæ blande sonantibus, promit gemens quicquid hauserat ex fontibus præstantibus divinæ Calliopes*

## NOTÆ

num auctorem: sive quia major erat illius dolor, sive etiam quia, ut loquuntur Philosophi, 'ab assuetis non fit passio.' Scilicet nullum corpus sentimus, nisi quatenus hoc, organum sensiferum, vel potius quasdam hujus organi particulas movet. Corpora autem, quæ rarius sensui obijciuntur, hanc prædicto organo mutationem inferre possunt: quæ vero sensui sunt obvia, hæc organi ejusdem particulas a primo concursu, eo omni quo potuerunt modo ita mutavere, ut solas resistentes, quarum ope nequaquam sentimus, particulas reliquerint: hinc nativum cordis nostri calorem, nostrique corporis, immo et vestis consuetæ pondus sensu non percipimus.

<sup>i</sup> *Immites Superos querens, Infernas adiit domos*] Poëtæ ponunt duplex genus Deorum, superos scilicet et inferos, quorum si priores videant inexorabiles, ad posteriores confugiunt. Virg. VII. Æneid. vs. 312. 'Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.' Ita finxit hic vates: sed ad majorem sequentium intelligentiam, necesse est novisse, quomodo inferi describantur a Poëtis: sic autem describuntur a Virgilio VI. Æn. a vs. 273. 1. Ante ipsum Inferorum vestibulum, et in primo aditu, luctus et curæ vindices jacent, habitantque morbi, senectus, metus, fames, egestas, mors, labor, somnus frater mortis, mala mentis gaudia, bellum, fu-

*Delph. et Var. Clas.*

riæ, et discordia. 2. In medio eorundem vestibulo ulmus magna et umbrosa explicat ramos et frondes, sub quibus inania sunt somnia. 3. Ad portas eorundem stabulant Centauri, Scyllæ bifformes, Briareus centum manibus instructus, Hydra Lernæ bellua, Chimæra ignivoma, Gorgones, Harpyiæ, et umbra tricorporis Geryonis. 4. Inde incipit iter ad Acherontem fluvium, qui in Cocytum arenas exonerat: has fluminum aquas servat vector Charon, senex quidem sed crudus adhuc, qui relictis inlumatis, sepultos transportat. 5. Trans fluvium canis est triceps, dictus Cerberus, quasi *κρεαβόρος* 'carnivorus.' 6. Undique occurrunt qui dignas criminibus pœnas luunt: ut Tityus, qui quod Latonæ vim parasset, ab Apolline sagittis interfectus, et ab vulture, renatis fibris, æternum corroditur: Ixion, qui ob tentatam Junonis pudicitiam, rotæ alligatus perpetuo convertitur: Pirithous, qui quod Proserpinam ex Inferis rapere voluerit, tum timore saxi imminentis, cum fame mediis in epulis conficitur: Sisyphus, qui latrociniis infamis saxum ingens volvit, &c.

<sup>k</sup> *Blanda sonantibus*] 'Blanda sonans' dicitur, sicut a Virgil. IX. Æn. vs. 125. dicitur 'rauca sonans,' intelligendo 'negotia,' modo loquendi auctoribus, sed præsertim poëtis, usitato: vocatur ellipsis.

<sup>l</sup> *Præcipuis Deæ Matris fontibus*]

*Boëth.*

U



Quod luctus dabat impotens,<sup>m</sup>  
 Quod luctum geminans amor, 25  
 Deflet, Tænara commovens,<sup>n</sup>  
 Et dulci veniam prece  
 Umbrarum dominos<sup>o</sup> rogat.  
 Stupet tergeminus novo  
 Captus carmine janitor:<sup>p</sup> 30  
 Quæ sontes agitant metu  
 Ultrices scelerum Deæ,<sup>q</sup>  
 Jam mœstæ lacrymis madent:<sup>r</sup>  
 Non Ixionium caput<sup>s</sup>

*suæ matris, et quicquid dolor effrænatus amorque dolorem duplicans suppeditabat, excitans aditum Inferorum, oratuque suavi poscit veniam a principibus tenebrarum. Tum Cerberus ostiarius triceps, captus cantu inaudito admiratur. Deæ vindices criminum, quæ timore concutiunt nocentes, tristes hument fletibus. Rota præceps*

## NOTÆ

Calliopes, quæ habetur 1. Dea, 2. mater Orphei, 3. regina musarum, quibus fontes Castalii sunt sacri.

<sup>m</sup> *Luctus dabat impotens*] Quod mentem impotentem reddat: sic lætitia a Cicerone v. Tusc. vocatur impotens.

<sup>n</sup> *Tænara commovens*] Aditum Inferorum: nam 'Tænarus,' vel 'Tænarum,' unde plural. 'Tænara,' quoddam est Peloponnesi promontorium, quo Messeniacus a Laconico sinu dividitur. Hic non solum urbs et sinus, sed antrum etiam, quod aditum Inferorum fabulantur, hoc eodem nomine donantur. Unde Virg. iv. Georg. vs. 467. de ipso Orpheo locutus canit: 'Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis, Et caligantem nigra formidine lucum Ingressus, Manesque adiit, Regemque tremendum, Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.'

<sup>o</sup> *Umbrarum dominos*] Principes Inferorum: sive quia hic nihil est luminis; sive etiam quia dominantur mentibus defunctis, quæ non raro dicun-

tur 'umbræ.'

<sup>p</sup> *Tergeminus ... janitor*] 'Cerberus canis, qui,' inquit Apuleius l. vi. Metam. 'prægrandis, trijugo et satis amplo capite præditus, et ante ipsum limen et atra atria Proserpinæ semper excubans servat vacuum Ditis domum.'

<sup>q</sup> *Ultrices scelerum Deæ*] Vulgo Eumenides κατ' ἀντίφρασιν, quod minime benevolæ sint: εὐμενῆς enim benevolum significat: sic Parcæ vocantur, quod minime parcant.

<sup>r</sup> *Jam mœstæ lacrymis madent*] Usque adeo magna est vis carminum Orphei, utpote quibus Eumenides flecti nesciæ, tanta commiseratione commoventur, ut illis plurimæ lacrymæ manare videantur: sic sistitur Ixionis rota: sic Tantalus famis sitisque oblitus nec poma carpere, nec aquas potare curat: sic vultur non vellicat jecur Tityi.

<sup>s</sup> *Non Ixionium caput*] De Ixionis supplicio jam diximus. Ovidius: 'Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque.'

|                                      |    |
|--------------------------------------|----|
| Velox præcipitat rota,               | 35 |
| Et longa site <sup>2†</sup> perditus |    |
| Spernit flumina Tantalus :           |    |
| Vultur dum satur est modis,          |    |
| Non traxit Tityi jecur.              |    |
| Tandem, Vincimur, arbiter            | 40 |
| Umbrarum <sup>v</sup> miserans ait : |    |
| Donemus <sup>3</sup> comitem viro    |    |
| Etmam carmine conjugem ;             |    |
| Sed lex dona coërceat, <sup>w</sup>  |    |
| Ne, dum Tartara liquerit,            | 45 |
| Fas sit lumina flectere.             |    |
| Quis legem det amantibus ?           |    |
| Major lex amor est sibi.             |    |
| Heu, noctis prope terminos           |    |
| Orpheus Eurydicen suam               | 50 |
| Vidit, perdidit, occidit.            |    |

*non rapit caput Ixionis, Tantalusque siti longa confectus temnit aquas: vultur carmine satiatus non laniavit jecur Tityi. Denique tyrannus Inferorum misertus dixit: Superamur: damus marito sociam uxorem acquisitam suo cantu: at conditio restringat munera; ne scilicet liceat illi convertere oculos, postquam egressus fuerit ex Inferis. Quis imponat legem amantibus? amor ipse sibi est major lex. Heu non procul a finibus umbrarum Orpheus vix respexit suam uxorem Euridicen, cum*

2 'Omnes: longa siti.' Vallin.—3 *Donamus* vulg. Reg. Flor. et Vict. secundus *donemus*.

## NOTÆ

† *Site*] Pro 'siti:' sicut dicitur 'mare' pro 'mari:' ait mare vates: dubito utrum alius Latine sciens dixerit 'site;' quanquam legatur vespere et vesperi, tempore et tempori, luce et luci, igne et igni in ablativo.

<sup>u</sup> *Tantalus*] Tantalus Agamemnonis et Menelai, qui propterea Tantalidæ dicuntur, avus, quod, inquiunt, filium membratim discerptum Diis manducandum apposuerit, propositis pomis aquisque sibi inaccessis, fame sitique perpetuis cruciatur.

<sup>v</sup> *Arbiter Umbrarum*] Pluto. Sa-

turnus enim ex Ope conjuge tres habuit filios, nempe Jovem, Neptunum, et Plutonem, qui mundi imperium partiti sunt: Jovi cœli, Neptuno maris, Plutoni Inferorum imperium obtigit.

<sup>w</sup> *Lex dona coërceat*] Princeps tenebrarum nihil voluptatis concedit, nisi sub conditionibus, quæ aut non possunt, aut non debent impleri. Sic Matth. 4. Christo 'ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.'



Vos hæc fabula respicit,\*  
 Quicumque in superum diem  
 Mentem ducere quæritis.  
 Nam qui Tartareum in specus  
 Victus lumina flexerit,  
 Quicquid præcipuum trahit,  
 Perdit, dum videt Inferos.

55

*illam amisit extinctam. Hæc fabula spectat vos, quicumque vultis attollere animum ad Deum supremum lumen: quicumque enim fatiscens converterit oculos ad infernas cavernas, hic dum respicit loca inferna, amittit quicquid habet præcipuum cogitationis.*

## NOTÆ

\* *Vos hæc fabula respicit]* Fabula est exemplum fictum ad persuadendam veritatem: propterea, auctore Varrone, Theologia antiquis, alia erat physica, alia fabulosa: illa naturalibus, hæc commentitiis effectis, quod de Diis credendum videbatur, persuadebat. Nimirum quanto obscurior et inventu difficilior veritas illis velata, tanto magis inventa placet, huicque propterea ardentius mens adhæret: hinc in sacro textu frequentes sunt parabolæ apologis similes: hinc Horatius l. i. Satyr.

Sat. 1. ‘Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina: Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur: congestis undique saccis Indormis inhians, et tanquam parcere sacris Cogaris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.’ Ut ergo Orpheus, dum Inferos respicit, perdit conjugem, qua emta videbatur felix; sic præcipiti rerum caducarum cogitatione, ipsa summi boni cogitatio aut extinguatur, aut extinctæ similis obscuratur.

ANICII MANLII TORQUATI  
SEVERINI BOETHII  
DE CONSOLATIONE  
PHILOSOPHIÆ

LIBER IV.

---

PROSA I.

HÆC cum Philosophia, dignitate vultus et oris gravitate servata,<sup>a</sup> leniter suaviterque cecinisset, tum ego, nondum penitus<sup>a</sup> insiti mœroris oblitus, intentionem dicere adhuc aliquid parantis abrui.<sup>b</sup> Et O, inquam, veri prævia luminis,<sup>c</sup> quæ usque adhuc tua fudit oratio, tum sui<sup>1</sup> specu-

<sup>a</sup> *Interior.*      <sup>b</sup> *Interpellavi.*      <sup>c</sup> *Philosophia.*

---

<sup>1</sup> *Cum sui* Delph. Hack.—2 ‘Non displicet quod in meo scripto est: tum

NOTÆ

<sup>a</sup> *Dignitate vultus et oris gravitate servata*] Cum enim homo suas significaturas cogitationes, non modo lingua, sed etiam oculis, fronte, nutu, gestu, ceterisque ejusmodi sic loquatur, ut pro diversis horum omnium modis diversas et loquentis sui significet, et audientis alterius excitet cogitationes; propterea Philosophia humanam formam induta aptis illis

signis veritatem feliciter persuadet: in quo differt a ‘mysis poëticis,’ quas supra vocavit ‘meretriculas usque in exitium dulces,’ quæque quod alio vultu loquantur, alias etiam commovent in auditoribus cogitationes.

<sup>b</sup> *Veri prævia luminis*] Philosophia; quæ quod sit cognitio clara et distincta adeoque errori non obnoxia, ipsa verum lumen est; sed quod at-



latione<sup>e</sup> divina, tum tuis<sup>2</sup> rationibus invicta<sup>d</sup> patuerunt; eaque mihi etsi ob injuriæ dolorem nuper oblita, non tamen antehac<sup>3</sup> prorsus ignorata dixisti. Sed ea ipsa est vel maxima nostri causa mœroris,<sup>d</sup> quod, cum rerum bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Quod solum quanta dignum sit admiratione, profecto considera.<sup>4</sup> At huic aliud majus adjungitur: nam imperante florentequè nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum<sup>5</sup> supplicia luit. Quæ fieri in regno scientis<sup>e</sup> omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest nec admirari nec conqueri. Tum illa,<sup>e</sup> Et esset, inquit, infiniti stuporis,<sup>f</sup> omnibusque horribilibus monstris,<sup>6</sup> si, uti tu existimas, in tanti velut patrisfamilias dispositissima domo, vilia vasa colerentur,

<sup>d</sup> *Et clara et certa.*<sup>e</sup> *Philosophia.*<sup>f</sup> *Summæ admirationis.*

*suis.* Bernart.—3 Vict. secundus: *tamen hactenus.*—4 ‘Suspecta lectio. Mallem: *perfecte considera.*’ Sitzm. Edd. Delph. et Hack. *profecto consideras.*—5 *Locum facinorum* vulg. ‘Reg. et Vict. secundus: *loco facinorum*: longe melius: nisi legas: *in locum.*’ Vallin.—6 *Horribilius monstris* Delph. et Hack.

## NOTÆ

tendenti lumen luminis sit origo, propterea eadem Philosophia dicitur ‘veri luminis prævia.’ Nisi dicas, ‘verum lumen’ hic appellari illud, quo mens sperat, ruptis ipsius corporis nexibus, aliquando frui: hoc enim lumen lumine philosophico prævenitur.

<sup>e</sup> *Speculatione*] Speculatio, vox minus Latina videtur.

<sup>d</sup> *Nostrî causa mœroris*] Ut summa animi lætitia perfunditur ille, qui ex quibusdam principiis positis, conclusiones, quas aliunde scit esse verissimas, improviso colligit; sic tristitia afficitur, qui quod experientia probatur, cum suis non potest conciliare principiis: ut enim prius a lumine, quod amamus; sic posterius a tenebris, quas odio habemus, oritur.

<sup>e</sup> *In regno scientis*] Si Deus non sci-

ret omnia; aut, si sciens, non posset omnia; aut, si sciens et potens, sola bona non vellet, nihil mirum, quod mala essent: hæc enim aut scientiam præterire, aut potentiam superare, aut voluntatem divinam consequi viderentur: sed quod Deus nec ignarus nec impotens mala, quæ odio habet, permittat, hoc mirum.

<sup>f</sup> *Esset, inquit, infiniti stuporis*] Stupor est vehemens admiratio, qua qui afficitur, hic spiritibus cohibitis, voce motuque omni, instar stipitis vel trunci privatur. Virg. II. Æn. vs. 774. ‘Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.’ Cui favet interpretatio nominis: ‘stupor’ enim et ‘stupere’ a ‘stipes’ videtur dici: unde in antiquis Virgillii, Horatii, Terentii, aliorumque libris legebatur *stipet*, et *obstipuit*.

pretiosa sordescerent : sed non ita est.<sup>g</sup> Nam si ea, quæ paulo ante conclusa sunt, inconvulsa servantur,<sup>g</sup> ipso, de cujus nunc regno loquimur, auctore<sup>h</sup> cognosces, semper quidem potentes bonos esse, malos vero abjectos semper<sup>7</sup> atque imbecilles ; nec sine pœna unquam esse vitia, nec sine præmio virtutes : bonis felicia, malis semper infortunata contingere, multaque id genus, quæ sopitis querelis firma te soliditate corroborarent. Et quoniam veræ formam beatitudinis me dudum<sup>k</sup> monstrante vidisti, quo etiam sita sit agnovisti, decursis omnibus quæ prætermittere<sup>8</sup> necessarium puto, viam tibi, quæ te domum<sup>i</sup> revehat, ostendam.<sup>i</sup> Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam,<sup>k</sup> ut perturbatione depulsa, sospes<sup>l</sup> in patriam, meo ductu, mea semita, meis etiam<sup>9</sup> vehiculis<sup>m</sup> revertaris.<sup>10</sup>

<sup>g</sup> *Constant.*

<sup>h</sup> *Jam.*

<sup>i</sup> *In patriam cœlestem.*

—————

—7 *Ultimum illud semper non est* in Ms. Rittersh.—8 *Præmittere* vulg. ‘Uterque Thuan. et Vict. primus : *prætermittere* : male.’ Vallin.—9 *Etiam* omititur in edd. Delph. et Hack.—10 *Reg. et Vict. secundus reveharis.*

#### NOTÆ

<sup>g</sup> *Sed non ita est*] Nam virtus nunquam est sine suo præmio, nec vitium sine suo supplicio, sicut ex dictis manifestum est.

<sup>h</sup> *Ipsa, de cujus nunc regno loquimur, auctore*] Deo docente : tum autem Deus hominem docet, cum mente præjudiciis exuta, ipsæ duntaxat mentis cogitationes attentius considerantur ; quod ut solus Deus tunc interrogatur, sic solus menti interroganti respondeat.

<sup>i</sup> *Viam tibi quæ te domum revehat, ostendam*] Homini cognoscenti suum ultimum finem, nihil superest, quam ut cognoscat modum, quo ad ejusmodi finem pervenire possit : Matth. 6. ‘Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus.’ Quare cum Philosophia jam docuerit ultimum hominis finem, instituti ejus ratio postulat, ut de modo hujus finis consequendi trac-

tet : quod nunc vocatur ‘via, quæ domum revehat :’ propterea promittit pennas :

<sup>k</sup> *Pennas . . . . affigam*] Cogitationes videlicet, quibus si mens bene utatur, eadem his veluti pennis, hinc quidem præjudicia veritati contraria fugare, inde vero ad veritatem ipsam pervenire poterit.

<sup>l</sup> *Sospes*] Salvus et incolumis : Sospes enim dicitur, cui vires sint quolibet meandi et remeandi.

<sup>m</sup> *Meo ductu, mea semita, meis etiam vehiculis*] Philosophica cognitio recte dicitur dux, semita, et vehiculum, quibus homo sospes ad Deum, unde egressus fuit, regrediatur. Est quidem ‘dux,’ quia hac utpote ingenua præeunte mens ad judicandum ducitur. Est ‘semita,’ quia sicut in ea clare et distincte comprehensum, sic judicandum. Est ‘vehiculum,’ quia



## NOTÆ

hac mens veluti constricta ita rapi- sentire. Propterea eadem Philoso-  
tur, ut penes eam non sit contrarium phiia nunc canit :

## METRUM I.

SUNT etenim <sup>11</sup> pennæ volucres mihi,<sup>n</sup>  
Quæ celsa conscendant <sup>12</sup> poli :<sup>o</sup>  
Quas sibi cum velox mens induit,<sup>p</sup>  
Terras perosa despicit,<sup>q</sup>

*Nam ego habeo alas celeres, quæ ascendant loca sublimia cæli, quas ubi mens prompta sociavit sibi, hæc odio habens terras, eas contemnit; transcendit orbem*

11 *Sunt enim vulg.*—12 *Vict. secundus : conscendant.*

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Sunt . . pennæ . . mihi*] Pennæ, sunt avium partes, quibus aves in aëra subvectæ sua repetunt loca: unde propter quandam similitudinem pennæ tribuuntur sagittis, navibus, et ceteris ejusmodi corporibus, quæ æquatis veluti ponderibus rectius moventur. Sic ergo claræ distinctæque notiones, dicuntur philosophicæ pennæ, quod his veluti librata Philosophia rectius a terris ad cælum, ex quo orta est, regrediatur.

*Volucres*] ‘Volucer’ a ‘volatu’ dicitur: quare ut volatus motus est velox, sic ‘volucer’ idem est, quod ‘velox’ sive ‘celer:’ quomodo Tullius pro Planco; ‘nihil tam volucre,’ inquit, ‘quam maledictum: nihil facilius emittitur; nihil certius excipitur; nihil latius dissipatur.’ Virg. *Æn.* v. vs. 242. ‘Illa Noto citius volucrique sagitta Ad terram fugit, et portu se condidit alto.’ Cum igitur prædictæ Philosophiæ cogitationes tam celeres sint, ut vel celerissimus corporis motus cum illis collatus, tardissimus sit, propterea non imme-

rito dicuntur ‘pennæ volucres.’

<sup>o</sup> *Celsa . . poli*] ‘Celsa poli’ nunc dicuntur, sicut a Virgilio ‘convexa cæli;’ ab Horatio ‘acuta belli;’ a Lucretio ‘aperta cæli,’ ‘serena cæli,’ ‘abditæ terræ,’ intelligendo loca sive spatia. Pennæ autem philosophicæ, in hoc omnibus avium pennis fortiores, ad summum usque cæli verticem, quatenus licet a Philosophia cognoscitur, pertingunt.

<sup>p</sup> *Velox mens induit*] Mens quidem humana velox est: quia quo momento veluti extra se rapta ad terras, ad maria, ad cælum ipsum dissitissimum pervenit, eodem ad se regressa cogitationem sibi insitam contemplatur, ita ut hujus suæ circuitationis ne menti quidem ipsi liceat initium, progressum, et finem distinguere. In quo mens humana ita divinam videtur exprimere, ut inde Veteres collegerint, mentem humanam et a Deo ortam, et instar Dei immortalem esse. At eadem mens induit pennas philosophicas, clare et distincte cognoscendo.

Aëris immensi superat globum,<sup>r</sup> 5  
 Nubesque post tergum videt,  
 Quique agili motu calet ætheris,  
 Transcendit ignis verticem,<sup>s</sup>  
 Donec in astriferas surgat domos,<sup>t</sup>  
 Phœboque conjungat vias ;<sup>u</sup> 10

*aëris vasti ; cernit nubes post se ; et transgreditur fastigium ignis, qui calet motu rapido ætheris ; quoadusque ascendat ad orbés stellatos, et jungat suum iter cum Sole*

## NOTÆ

<sup>r</sup> *Terras perosa despicit*] Continuatur translata loquendi ratio : ut, sicut aves volando a terris recedunt, sic mens pennis Philosophicis instructa intelligatur terras exosa despiciere. Nec abs re : nam quo magis mens terris adhæret, eo crassioribus involuta tenebris minus apta est, quæ Deum auctorem suum contempletur.

<sup>r</sup> *Aëris immensi superat globum*] Aër quidem suis definitur limitibus : sed quoniam ita diffunditur, ejus ut dimensio in nostro cerebro non distinctius, quam quælibet alia, longe etiam majoris corporis amplitudo, exprimitur, propterea nobis imaginantibus aër immensus habetur : at mens nostra, quæ plura concipere potest quam imaginari, aërem, quo terra undequaque circumfunditur, in orbem diffusum sic cogitat, ut aliud ultra considerandum sibi proponat : unde fit ut eadem mens veluti ‘ post tergum ’ relinquat ‘ nubes, ’ quæ in aëre, non secus ac naves in aquis, libratis hinc et inde ponderibus, sustententur.

<sup>s</sup> *Transcendit ignis verticem*] Si Philosophia hic agnoscat ignem, hic certe ignis multum differt ab eo, quem Peripatetici vulgo aiunt ‘ existere in concavo Lunæ propter ordinem et bonum Universi : ’ nam hoc Peripateticorum elementum calore non afficitur, quod rarius sit ; aut si incales-

cat, id motu non habet ; aut si motu calefiat, id a se potius, quam ab alio corpore moto obtinet : cum tamen ille Philosophiæ ignis ‘ agili motu ætheris calorem ’ concipiat. Quare hic ignis nihil forte aliud est, quam pars ætheris, qui Ciceroni in lib. de Nat. D. nominatur ‘ ardor ultimus, ’ estque ‘ tenuis, ac perlucens, et æquabili calore suffusus : ’ quo ætheris vertice considerato, prædicta mens altius evecta contemplatur primum quidem planetas Sole inferiores, postea ipsum Solem, deinde planetas Sole superiores ; tum stellas fixas, et tandem ipsum Deum, ut deinceps dicetur.

<sup>t</sup> *Donec in astriferas surgat domos*] I. Mens humana contemplatur planetas Sole inferiores, cujusmodi sunt Luna, Venus, Mercurius, et si qui alii illic fuerint planetæ : qui cum partes cœli stelliferi infimas, terræque viciniore teneant, potuerunt significari per nominatas astriferas domos. Nemo nescit, astrorum situs ab astronomis vocari domos : ‘ Quid tibi prodest Aërias tentasse domos, animoque rotundum Percurrisse polum ? ’

<sup>u</sup> *Phœboque conjungat vias*] II. Eadem mens contemplatur Solem : Sol enim, ut sæpius diximus, propter speciem nitoremque vocatur Phæ-



Aut comitetur iter gelidi senis,<sup>v</sup>  
 Miles corusci sideris ;<sup>w</sup>  
 Vel quocumque<sup>x</sup> micans nox pingitur,  
 Recurrat astri circulum ;  
 Atque ubi jam exhausti fuerit satis,<sup>y</sup> 15  
 Polum relinquat extimum,<sup>z</sup>  
 Dorsaque velocis premat ætheris  
 Compos verendi luminis.

*eunte, aut comitetur viam Saturni senis frigidi, aut fiat veluti miles Martis astri splendidi, aut repetat orbem cujuscumque stellæ, qua nox coruscans distinguitur ; ac postquam suffecerit vidisse corpora inferiora, deserat supremum hoc cælum, conculcetque loca convexa ætheris celerrimi, particeps lucis augustæ colendæque. Hic*

## NOTÆ

bus : nam *φοῖβος* adject. idem quod splendidus. Via autem Solis duplex : diurna una, quæ ab Ortus ad Occasum spatio viginti quatuor horarum absolvitur : altera annua, quæ auctore Tullio II. de Nat. quinque diebus et quinquaginta et trecentis, quarta fere diei parte addita : quam utramque Solis viam mens contemplata suas dicitur vias cum viis solaribus conjungere.

<sup>v</sup> *Comitetur iter gelidi senis*] III. Mens, contemplatura planetas Sole superiores, inspicit primo Saturnum, ejusque iter comitatur. Saturnus, astronomis omnium planetarum altissimus, poëtis vocatur ‘senex gelidus :’ ‘senex’ quidem, quod fingatur antiquissimus Deorum, et seni similis lento gradu feratur : ‘gelidus’ vero, quod, utpote omnium planetarum altissimus, terras minimo calore afficiat : unde Cic. ‘summa,’ inquit, ‘Saturni stella refrigerat.’ Iter denique Saturni in hoc versatur, quod suum circuitum absolvat triginta annis.

<sup>w</sup> *Miles corusci sideris*] Deinde ipsa mens Martem, alterum planetam Sole superiorem, contemplatur, ipsiusque propterea ‘miles’ nunc vocatur : Mars quippe, antiquis Deus belli,

quos habet comites, hi ejus milites appellantur. Mars porro dicitur ‘coruscum sidus,’ quod Saturno magis splendeat : unde Tull. II. de Nat. ‘Summa,’ inquit, ‘Saturni stella refrigerat, media Martis incendit.’

<sup>x</sup> *Vel quocumque, &c.*] IV. Mens contemplatur stellas fixas, quibus scilicet ‘nox micans’ pingitur, earumque circuitus, sua pariter cogitatione circumeundo, absolvit.

<sup>y</sup> *Exhausti fuerit satis*] Id est, ubi prædicta satis cogitata fuerint : sic enim Cicero ad Qu. Frat. ‘exhaustus est,’ inquit, ‘sermo hominum :’ quasi dicat : ea de re jam loqui est desitum : sic etiam Virgil. II. Georg. vs. 397. ‘Est etiam ille labor curandis vitibus alter, Cui nunquam exhausti satis est.’

<sup>z</sup> *Polum relinquat extimum, &c.*] V. Mens consideratis omnibus sideribus, et ipso etiam æthere veloci, quo sidera circumfusa, ut naves aquis, deferuntur, ascendit ad considerandum cælum quod vocant ‘empyreum,’ quod præcipua sedes Dei vocatur, quodque ceteris commotis vulgo dicitur immotum : unde doctissimus noster Antonius Hallæus in Epigrammate, cujus illud est argumentum, ‘At sola Empyreï moles altissima cæli, Sancta

Hic Regum sceptrum<sup>a</sup> dominus tenet,  
 Orbisque habenas<sup>b</sup> temperat, 20  
 Et volucrem currum<sup>c</sup> stabilis regit,  
 Rerum coruscus arbiter.  
 Huc te si reducem referat via,  
 Quam nunc requiris immemor,  
 Hæc dices, memini, patria est mihi, 25  
 Hinc ortus, hic sistam gradum.  
 Quod si terrarum placeat tibi  
 Noctem relictam visere,  
 Quos miseri torvos populi timent,  
 Cernes tyrannos<sup>d</sup> exules. 30

*Rex Regum tenet sceptrum, et moderatur regimina mundi, immotusque gubernat currum mobilem, moderator præclarus rerum. Si tuum iter reportet te huc reversum, quam patriam nunc oblitus quæris, hæc, dices, recordor, est mea patria: hinc ortus hic quiescam. Ex qua sede si volueris convertere oculos ad tenebras terrarum, quas deseruisti, videbis tyrannos, quos gentes afflictæ metuunt sibi infensos, ex hac patria ejectos exulare.*

## NOTÆ

Dei Divumque domus, vertiginis expers Stat firma, et motu nunquam turbante cietur: Congrua nam ratio vult, alta ut pace fruentum, Atque quiescentum, sedes immota quiescat. Deus, qui nunc appellatur 'Regum Dominus,' juxta illud Apoc. 19. 'Rex Regum et Dominus dominantium; et coruscus rerum arbiter,' ut a Seneca in Hercule Fur. vs. 204. vocatur 'magnus Olympi rector et mundi arbiter,' hic perhibetur 'sceptrum tenere,' 'orbis habenas temperare,' et 'volucrem currum stabilis regere:' quia quamvis Deus ubique sit, ubique agendo, Deus tamen, utpote qui peculiari modo agit in hoc cælo, peculiari etiam modo in hoc cælo videtur existere. Psal. 148. 'Confessio et gloria ejus super cælum et terram.' Quinetiam ipse Aristoteles l. de Mundo: 'Summam,' inquit, 'et primam sedem mundi sortitus est Deus.' Hæc est nostræ mentis patria, adeo ut vel ipsi Reges, quatenus hi in terris habi-

tant, 'exules' haberi possint: sicut hic dicitur.

<sup>a</sup> *Sceptrum*] Sceptrum, ipsa nominis origine, est baculus sive virga regalis: unde, signo pro re significata posito, sceptrum idem est quod imperium hominis, a quo etiam ad Deum propter quandam imperandi similitudinem transfertur.

<sup>b</sup> *Orbisque habenas*] Similitudine sumpta ab equis, quos habenis huc illicque ad nutum flectimus: Deus quippe omnia sic regit, ut omnia, quocumque voluerit, moveantur.

<sup>c</sup> *Volucrem currum*] Auctor videtur speciatim intelligere omnem mobilis cæli orbem; generatim tamen universus Mundus corporeus dici potest 'volucer currus:' quia cum Mundus ille sit moles adeo conferta, nihil ut sit illic vacui, propterea nullus fit in Mundo motus, quin inibi fiat materiæ motæ circuitus.

<sup>d</sup> *Torvos . . . tyrannos*] Torvus, a torquendo dictus, ille est, qui vultu



## NOTÆ

vel potius oculis tortis interiorum furoris motum ita significat, ut tuentibus sit terribilis: hinc taurus præsertim torvus habetur, quod animal illud sæpius hanc formam induat. Virg. Georg. III. 'Optima torvæ Formæ bovis.' Porro cum exul, sive, ut nonnulli scribunt, *exsol*, dicatur quasi ex

Solo sive patria pulsus, cumque tyranni in terris habitantes ex Solo sive potius cælo, patria sua, veluti expulsi sint, ideo videri possunt exules. Ad Hebr. 13. 'Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.'

## PROSA II.

TUM ego, Papæ,<sup>e</sup> inquam, ut magna<sup>k</sup> promittis! nec dubito quin possis efficere: tu modo quem excitaveris, ne moreris.<sup>l</sup> Primum igitur,<sup>f</sup> inquit, bonis semper adesse potentiam, malos cunctis viribus esse desertos, agnoscas licebit: quorum quidem<sup>13</sup> alterum demonstratur ex altero. Nam cum bonum malumque contraria sint, si bonum potens esse constiterit, liquet imbecillitas mali: at si fragilitas clarescat mali, boni firmitas nota est. Sed uti nostræ sententiæ fides abundantior sit, alterutro calle procedam, nunc hinc, nunc inde proposita confirmans. Duo sunt<sup>g</sup> quibus omnis humanorum actuum constat effectus; voluntas scilicet, ac potestas: quorum si alterutrum desit, nihil

<sup>k</sup> Quanta.

<sup>l</sup> Retardes.



13 Edd. Delph. et Hack. omittunt voculam *quidem*.—14 *Quem vero affectisse*

## NOTÆ

<sup>e</sup> *Papæ*] 'Papæ,' sive ut loquitur Plautus 'babæ,' est interjectio hominis mira subito accipientis; quod, ut conjicimus, hæ voces primæ sint quas pueri, omnia ut ignorantes sic admirantes, proferre soleant.

<sup>f</sup> *Primum igitur, &c.*] Philosophia proponit, quod sibi in hac oratione probandum incumbit, videlicet et probos potentes et improbos impo-

tentes: id autem probabit triplici argumentorum genere, quæ contrahere conabimur.

<sup>g</sup> *Duo sunt, &c.*] 1. Argumenti genus. Quicumque homo id adipiscitur quod vult, is potens est: quicumque vero vult aliquid, quod non adipiscitur, is est impotens: quod effectus humanus, unde quis judicatur esse vel non esse potens, necessitudinem

est quod explicari queat. Deficiente etenim voluntate, ne aggreditur quidem quisque quod non vult: at si potestas absit, voluntas frustra sit. Quo fit, ut si quem videas velle adipisci quod minime adipiscatur, huic obtinendi quod voluerit, defuisse valentiam<sup>m</sup> dubitare non possis. Perspicuum est, inquam, nec ullo modo negari potest. Quem vero effecisse<sup>14</sup> quod voluerit videas, num etiam potuisse dubitabis? Minime. Quod vero quisque potest, in eo validus; quod vero non potest, in hoc imbecillis esse censendus est. Fateor, inquam. Meministine igitur, inquit, superioribus rationibus esse collectum, intentionem omnem voluntatis humanæ, quæ diversis studiis agitur, ad beatitudinem festinare? Memini, inquam, id quoque<sup>15</sup> esse demonstratum. Num recordaris, beatitudinem ipsum esse bonum; eoque modo cum beatitudo petitur, ab omnibus desiderari bonum? Minime, inquam, recordor, quoniam id memoriæ fixum teneo. Omnes igitur homines, boni pariter ac mali, indiscreta intentione ad bonum pervenire nituntur. Ita, inquam, consequens est. Sed certum est, adeptione boni bonos fieri. Certum. Adipiscuntur<sup>16</sup> igitur boni quod appetunt. Sic videtur. Mali vero si adipiscerentur quod appetunt bonum, mali esse non possent. Ita est. Cum igitur utrique bonum petant, sed hi quidem adipiscantur, illi vero minime; non dubium est, bonos quidem potentes esse, qui vero mali sunt, imbecilles. Quisquis, inquam, dubitat, nec rerum naturam, nec consequentiam potest con-

<sup>m</sup> *Potestatem.*



vulg. *Quem vera, inquit, effecisse* Reg.—15 Thuan. *uterque, uterque* Vict. et Reg. *illud quoque.*—16 Reg. *certum, inquam, adipiscuntur.*—17 Ms. Erfurt. *plenius.*

#### NOTÆ

habeat cum voluntate et potestate, quarum utraque est in primo, et altera tantum in secundo illo homine. Atqui homo probus id adipiscitur quod vult; improbus vero quod vult non adipiscitur; cum uterque suam

velit beatitudinem, quam probus, non improbus adipiscitur: siquidem ut bonus non dicitur nisi adeptione boni summi, ita malus non dicitur nisi privatione ejusdem boni.



siderare rationum. Rursus inquit: Si duo sint<sup>h</sup> quibus idem secundum naturam<sup>n</sup> propositum sit, eorumque unus naturali officio idipsum agat, atque perficiat; alter vero naturale illud officium minime administrare queat, alio vero modo quam naturæ convenit, non quidem impleat propositum suum, sed imitetur implentem; quemnam horum valentio<sup>o</sup> esse decernis? Etsi conjecto,<sup>p</sup> inquam, quid velis, planius<sup>q</sup> <sup>17</sup> tamen audire desidero. Ambulandi, inquit, motum secundum naturam esse hominibus num negabis? Minime, inquam. Ejusque rei pedum officium esse naturale num dubitas? Ne hoc quidem, inquam. Si quis igitur pedibus incedere valens ambulet, aliusque, cui hoc naturale pedum desit officium, manibus nitens, ambulare conetur, quis horum jure valentior existimari potest? Contexe, inquam, cetera: nam quin naturalis officii potens, eo, qui idem nequeat, valentior sit, nullus ambigit.<sup>r</sup> Sed summum, inquit, bonum, quod<sup>18</sup> æque malis bonisque propositum est, boni<sup>19</sup> quidem naturali officio virtutum petunt; mali vero variam per cupiditatem,<sup>20</sup> quod adipiscendi boni

<sup>n</sup> Ex instinctu naturæ.      <sup>o</sup> Potentio<sup>o</sup>.      <sup>p</sup> Quamvis conjectura assequor.  
<sup>q</sup> Clarius.      <sup>r</sup> Dubitat.



—18 Mss. et ed. Norimb. *nullus ambigat. Sed summum bonum quod.*—19 *Propositum, boni* edd. Delph. et Hack.—20 Ms. Erfurt. *Mali vero varia cupiditate.*—1.

#### NOTÆ

<sup>h</sup> *Rursus inquit: Si duo sint, &c.*] II. Argumenti genus. Ex duobus, quibus ab ipso naturæ auctore constitutum est aliquo tendere, si alterum officio parens, illuc tendat; alterum ab officio decedens aut moretur, aut certe alio deflectat; prius potens, posterius impotens haberi debet: cum enim potentia nihil sit aliud, quam instinctus ille ab auctore naturæ acceptus, potentiæ est pervenire, imbecillitatis non pervenire quo Deus vocat: sic ex duobus hominibus, quibus ab ipso naturæ auctore constitutum est pedibus ambulare, si alter officio functus ambulet, alter ab offi-

cio discedens aut quiescat aut manibus tantum nitens ambulet; prior potens, posterior imbecillis habendus est. Atqui ex bono et malo homine, quibus ab ipso naturæ auctore constitutum est ad summum bonum ea, quam Deus utrique ab ortu impressit, propensione tendere; bonus officio suo functus ad summum bonum tendit, malus vero a suo officio decedens aut gradum sistit, aut variis cupiditatibus abreptus ad bona caduca deflectit. Igitur bonus potens, malus vero imbecillis habeatur, necesse est.

naturale officium non est, id ipsum<sup>1</sup> conantur adipisci. An tu aliter existimas? Minime, inquam; nam<sup>s</sup> etiam quod est consequens, patet.<sup>2</sup> Ex his enim quæ concesseram, bonos quidem potentes, malos vero esse necesse est imbecilles. Recte, inquit, præcurris:<sup>3</sup> idque, uti medici sperare solent, indicium est erectæ jam, resistentisque naturæ. Sed quoniam te<sup>i</sup> ad intelligendum promptissimum esse conspicio, crebras<sup>t</sup> coacervabo rationes. Vide enim quanta vitiosorum hominum pateat infirmitas, qui ne ad hoc quidem pervenire queunt,<sup>4</sup> ad quod eos naturalis ducit, ac pæne compellit intentio. Et quid? si hoc tam magno, ac pæne invicto præeuntis naturæ deserentur auxilio?<sup>5</sup> Considera vero quanta sceleratos homines habeat impotentia. Neque enim levia, ac ludicra præmia petunt, quæ consequi atque obtinere non possunt: sed circa ipsam rerum sum-

<sup>s</sup> *Quin.*    <sup>t</sup> *Frequentes.*



*Non est, idem ipsum* Delph. et Hack.—2 Ms. Rittersh. *Nam quod etiam consequens est patet.*—3 Uterque Thuan. *percurris.* ‘Audi mecum Veteres, et sententiam acutam effice: *Recte, inquit, præcurris.*’ Bernart.—4 Mss. *queant.*—5 ‘*Et quid? si . . . invicto compellit p. n. deserentur auxilio*] *Quid illud compellit? ejice,* et ex Ms. Rittersh. item edd. Norimb. et Flor. ita lege: *Et quid? si . . . invicto p. N. deserentur auxilio.*’ Sitzm. *Deserentur* exhibent etiam edd. Delph.

#### NOTÆ

<sup>1</sup> *Sed quoniam te, &c.*] III. Argumenti genus. Si quo spectet intentio, consideraveris, hinc quædam tam bonorum, quam malorum patebit infirmitas; sed malorum major. Utrorumque, inquam, patebit infirmitas: quoniam cum utrique ad summum bonum aspirent, huc neutri pervenire possunt, nisi præeunte, ducente, aut fere compellente intentione, magno illo ac pæne invicto præeuntis naturæ vel potius Dei auxilio, quam intentionem a Deo ad Deum ipsum adipiscendum acceperunt: quo autem majori opus est auxilio ad progrediendum, eo minores videntur progrediendi vires. At major malorum patebit infirmitas: sicut enim ex duobus proficiscentibus ille potentior,

qui incedens ad eum usque pervenit locum, ultra quem progredi non licet; ille vero infirmior, qui ab eo, ad quem pervenire intendit, loco deflectens ne illum quidem attingit locum, ad quem errore suo videbatur duci; ita boni, utpote qui ad ultimum finem, compellente tamen Deo, accedunt, potentiores; mali vero, utpote qui, nihil obstante insita propensione, ab ultimo fine aberrantes ne hæc quidem attingunt bona, quibus noctes diesque inhiant, infirmiores sunt: quod attendenti ad causas hujusmodi erroris magis ac magis patebit: nam vel mali recedunt ab eo, quo insita illorum inclinatio ferre videtur, ignorantia, vel perturbatione, vel scientia voluntateque.



mam, verticemque deficiunt, nec in eo miseris contigit<sup>6</sup> effectus quod solum dies noctesque moliuntur: <sup>7</sup> in qua re bonorum vires eminent. Sicut enim eum, qui pedibus incedens ad eum locum usque pervenire potuisset quo nihil ulterius pervium jaceret incessui,<sup>8</sup> ambulandi potentissimum esse censes; ita eum qui expetendorum finem, quo nihil ultra est, apprehendit, potentissimum necesse est judices. Ex quo fit, quod huic objacet,<sup>9</sup> ut iidem scelesti, iidem viribus omnibus<sup>10</sup> videantur esse deserti. Cur enim relicta virtute vitia sectantur? inscitiane<sup>k</sup> bonorum? sed quid enervatius<sup>v</sup> ignorantiae cæcitate? An sectanda noverunt, sed transversos eos libido præcipitat?<sup>1</sup> sic quoque intemperantia fragiles sunt qui obluctari<sup>w</sup><sup>11</sup> vitio nēqueunt. An scientes, volentesque, bonum deserunt, ad vitia deflectuntur?<sup>12</sup><sup>m</sup> Sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt. Nam qui communem omnium quæ sunt finem relinquunt,<sup>13</sup> pariter quoque esse desistunt. Quod quidem cuiquam mirum forte videatur, ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus: sed ita

<sup>u</sup> *E contrario.*    <sup>v</sup> *Infirmius.*    <sup>w</sup> *Resistere.*

et Hack.—6 *Contingit* edd. eædem.—7 Ms. Rittersh. *Quod solum diebus ac noctibus m.*—8 *Vict. incessu.*—9 ‘Codicis mei lectio cur displiceat? huic adjacet.’ Bernart.—10 Mss. cum edd. Norimb. et Flor. *Ut iidem scelesti viribus omnibus.*—11 Edd. Delph. et Hack. *intemperantia fragiles, qui obluctari.* ‘*Qui oblectari*] Rectius Mss. ut et ed. Norimb. cum Flor. *qui obluctari.*’ Sitzm. ‘*Qui oblectari*] Nemo tam mucosis naribus, ut mendum non persentiscat: quanto melius ut ex scriptis reposui! *qui obluctari.*’ Bernart.—12 Mss. *deflectunt.*—13 Ms. Rittersh. *Nam qui omnium, quæ sunt, communem finem relin-*

#### NOTÆ

<sup>k</sup> *Inscitiane*] Seu boni veri, a quo recedunt; seu boni ementiti ad quod accedunt? sed ignoratione, utpote quæ nihil est, nihil est infirmius. An <sup>1</sup> *Transversos eos libido præcipitat*] Hoc est, an perturbatione? at hoc magnum est argumentum infirmioris mentis, quippe quæ mancipii corporis motibus victa obsequitur.

<sup>m</sup> *An scientes, volentesque, bonum deserunt, ad vitia deflectuntur*] Sed hoc modo non solum potentes esse, sed

omnino esse desinunt, non quidem quoad rem spectat: improbi enim illi semper ex mente et corpore, duabus rebus inter se conjunctis, constant: sed quoad modum attinet: cum enim Deus non minus sit finis ultimus mentis humanæ, quam ejusdem est prima causa; ut mens humana dicatur esse secundum modum, hæc ad Deum debet tendere, ut notione, sic voluntaria propensione, quo modo improbi ad Deum non tendunt.

sese res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo: sed eosdem esse pure atque simpliciter, nego. Nam uti cadaver hominem mortuum dixeris, simpliciter vero hominem appellare non possis: ita vitiosos, malos quidem esse concesserim, sed esse absolute nequeam confiteri. Est enim quod ordinem retinet, servatque naturam: quod vero ab hac deficit, esse etiam, quod in sui natura<sup>14</sup> situm est,\* derelinquit. Sed possunt, inquires, mali; nec ego quidem negaverim: sed hæc eorum potentia non a viribus, sed ab imbecillitate descendit. Possunt enim mala, quæ minime valerent, si in bonorum efficientia manere potuissent. Quæ possibilitas eos evidentius nihil posse demonstrat. Nam si, uti paulo ante collegimus, malum nihil est;<sup>n</sup> cum mala tantummodo possint, nihil posse improbos liquet. Perspicuum est.<sup>15</sup> Atque ut intelligas, quænam sit hujus potentiæ vis: summo bono nihil potentius esse,<sup>16</sup> paulo ante definivimus. Ita est, inquam. Sed

\* *Quoad potest.*



quunt.—14 Vict. secundus, edd. Delph. et Hack. *sua natura*.—15 ‘*Nihil posse improbos liquet. Perspicuum est*] Ms. Rittersh. non habet duas posteriores voces. Et certe glossema sapiunt.’ *Sitzm.*—16 Edd. Delph. et Hack. omittunt vo-

#### NOTÆ

<sup>n</sup> *Nam si...malum nihil est, &c.]* Prædicta improborum infirmitas confirmari potest ex natura ipsius mali, ex potestate Dei, et ex appetitu ipsius hominis. 1. quidem ex natura ipsius mali: nam qui nihil potest, ille non potens sed potius impotens haberi debet: sed improbus nihil potest: quandoquidem malum, quod posse dicitur, ex dictis nihil est. 2. ex potestate Dei: quia quicquid est potentiæ, illud Deo convenit: siquidem Deus est summum bonum, quod supra probatum est esse omnipotens. Sed Deo non convenit, quod improborum est, posse malum; alioqui non esset summum bonum: igitur nihil est poten-

tiæ in malo, adeoque nec in improbo homine, quatenus hic improbus est. 3. ex appetitu ipsius hominis: nam quicquid habet rationem potentiæ, illud habet rationem boni, adeoque expeti potest, et ad summum bonum, cujus gratia expetuntur omnia, potest referri. Atqui patrandi sceleris facultas, qua sola gloriari potest improbus, nullam habet rationem boni, adeoque expeti non potest, nec ad summum bonum referri: ut cuique attendenti patet. Quæ omnia confirmantur auctoritate Platouis, qui in Gorgia et Alcibiade maximam partem eorum, quæ in hac oratione dicta sunt, docuisse videtur.

*Delph. et Var. Clas.*

*Boëth.*

X



idem, inquit, malum facere nequit. Minime. Est<sup>17</sup> igitur, inquit, aliquis qui omnia posse homines putet? Nisi quis insaniat, nemo. Atqui<sup>18</sup> iidem possunt mala. Utinam quidem, inquam, non possent. Cum igitur bonorum tantummodo potens possit omnia; non vero queant omnia potentes etiam malorum: eosdem qui mala possunt, minus posse manifestum est. Huc accedit, quod omnem potentiam inter expetenda numerandam, omniaque expetenda referri ad bonum, velut ad quoddam naturæ suæ cacumen, ostendimus. Sed patrandi sceleris possibilitas<sup>y</sup> referri ad bonum non potest. Expetenda igitur non est. Atqui omnis potentia expetenda est. Liquet igitur malorum possibilitatem non esse potentiam. Ex quibus omnibus bonorum quidem potentia, malorum vero minime dubitabilis apparet infirmitas. Veramque illam<sup>19</sup> Platonis esse sententiam liquet,<sup>z</sup> Solos quod desiderant, facere posse sapientes: improbos vero exercere quidem quod libeat; quod vero desiderant, explere non posse. Faciunt enim quæ libet,<sup>20</sup> dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant, sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem probra non veniunt.<sup>a</sup>

<sup>y</sup> *Potentia peccandi.*      <sup>z</sup> *In Gorgia et Alcibiade primo; unde Boëthius videtur sua hæc rationum momenta hausisse.*      <sup>a</sup> *Quam tamen improbi, etiam peccando, expetunt.*

culam esse.—17 Thuan. primus: *minime, inquam. Est.*—18 Mss. ita distinguunt: *Qui omnia posse homines putet, nisi quis insaniat? Nemo inquam. Atqui. Nisi qui insaniat* Delph. Hack.—19 *Veram illam* vulg.—20 *Faciunt enim quælibet* Delph. Hack. Mss. et ed. Norimb. *Faciunt enim quæ libet.*

---

## METRUM II.

QUOS vides sedere celso  
Solii culmine Reges,<sup>o 1</sup>

*Quos principes cernis sedere sublimes in fastigio sedis regiæ, splendidos ostro*

1 In Ms. Rittersh. et Membran. D. Mariæ Sylvæmontis, quarum meminit

Purpura claros nitente,  
 Septos tristibus armis,  
 Ore torvo comminantes, 5  
 Rabie cordis anhelos;  
 Detrahat si quis superbis  
 Vani tegmina cultus,  
 Jam videbit intus arctas  
 Dominos ferre catenas. 10  
 Hinc enim libido versat<sup>P</sup>  
 Avidis corda venenis;

*fulgente, stipatos armis crudelibus, minaces vultu aspero, percitos furore cordis, ab his arrogantibus si quis auferat velamina ornamentis inanis, statim animadvertet, hos principes intrinsecus premi vinculis tenacibus: nam hinc cupiditas agitat*



Del-rio Commentar. in Senec. leg. *Quos vides sedere celsos Solii in culmine Reges.*

## NOTÆ

◦ *Quos vides...Reges*] Philosophia amplius probatura, malos esse infirmos, ostendit etiam principes, qui vulgo habentur fortissimi, in hoc impotentes, quod perturbationibus suis victi his subjiçiantur: propterea eorundem principum potestatem primum commendat; deinde enumerat eorundem perturbationes.

*Solii culmine*] Primum Regum potestas commendatur. 1. ab eorum sede, 'culmine solii.' 2. a vestibus, 'purpura claros.' 3. ab armis sive satellitibus, 'septos tristibus armis.' 4. a vultu, 'ore torvo comminantes.' 5. ab affectu mentis, 'rabie cordis anhelos.' Ubi nihil videtur notandum; cum jam explicuerimus 'solium,' 'purpuram,' 'os torvum.'

<sup>P</sup> *Hinc enim libido versat*] Deinde enumerantur perturbationes præcipuæ, quibus Reges victi obsequuntur; nimirum libido, ira, tristitia, et spes, ab undecimo versu, ad decimum septimum. 1. Quidem nominatur 'libido,' sive effrænata cupiditas: cum enim sola 'auctoritate nutuque legum,' teste

Tullio 1. de Orat. 'doceamur dominatas habere libidines, coërcere omnes cupiditates;' princeps, qui nullis credit se teneri legibus, libidini maxime obnoxius est. Hæc autem cupiditas nunc dicitur 'avidis venenis corda versare:' quoniam sicut venenum corpus est, quod venas ingressum et circumfuso sanguine delatum ita discurrit, ut animam extinguat; sic prædicta perturbatio menti infusa, tandem aliquando bonam voluntatem, præcipuam ejusdem mentis vitam, fugat. 2. Nominatur 'ira,' sive, ut loquitur Tullius, 'libido puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria:' quia cum ejusmodi perturbatio ex opinione contemptus oriatur, cumque princeps, quanto major est, tanto facilius opinari possit se contemni, idcirco iræ sæpius obnoxius est. Atque hæc Regis ira tanto majores 'fluctus tollet turbida;' quanto major est irati auctoritas. 3. Nominatur 'tristitia' sive mœror: quoniam perturbatio hæc est flebilis quædam ægritudo, orta ex malis, quæ



Hinc flagellat ira mentem  
 Fluctus turbida tollens:  
 Mœror aut captos fatigat, 15  
 Aut spes lubrica torquet.  
 Ergo, cum caput tot unum  
 Cernas ferre tyrannos,<sup>a</sup>  
 Non facit quod optat, ipse<sup>2 r</sup>  
 Dominis pressus iniquis. 20

*illorum pectora morbis insatiabilibus, inde ira turbata verberat eorum mentem, excitans tumultus; nunc tristitia frangit victos, nunc spes incerta cruciat eosdem. Cum igitur, ut vides, unus princeps subjiciatur tot tyrannis affectibus, ipse vexatus dominis injustis, non agit, quod vult.*

*Celsos exhibent edd. Delph. et Hack.—2 ‘Cuidam videbitur dicendum ipsum.’ Editor Delph. Vid. Not. inf.*

#### NOTÆ

nequeant repelli; unde eo major videtur esse in principe, quod suæ auctoritatis conscius facile credat sibi nulla accidere debere mala, quæ non possit fugare. 4. Nominatur ‘spes,’ sive expectatio boni: quod enim Rex, divitiis subditisque stipatus, omnia se posse putet, spe facile afficitur.

<sup>a</sup> *Cum caput tot unum Cernas ferre tyrannos]* Cum videas, unum principem tot perturbationibus, veluti totidem tyrannis, subjici.

<sup>r</sup> *Ipse]* Cuidam videbitur dicendum, *ipsum*; nempe quia videtur referri ad prædictum, ‘caput:’ sed hæc est syllepsis, sive compositio sensus potius, quam verborum: sicut dicitur Terentio: ‘ubi est scelus qui me perdidit?’ Ciceroni: ‘duo importuna prodigia, quos egestas:’ Horatio: ‘daret ut catenis fatale monstrum, quæ generosius perire quærens,’ &c.

### PROSA III.

VIDESNE igitur,<sup>b</sup> quanto in cœno<sup>c</sup> probra volvantur, qua probitas luce resplendeat? In quo perspicuum est, nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia. Rerum enim<sup>r</sup> quæ geruntur,<sup>s</sup> illud propter quod unaquæque res geritur, ejusdem rei præmium esse

<sup>b</sup> O Boëthi.

<sup>c</sup> Luto.

non injuria<sup>d</sup> videri potest: uti currenti in stadio, propter quam curritur, jacet præmium corona. Sed beatitudinem esse idem ipsum bonum propter quod omnia geruntur, ostendimus. Est igitur humanis actibus ipsum bonum veluti præmium commune propositum. Atqui hoc a bonis<sup>e</sup> non potest separari. Neque enim bonus ultra jure vocabitur qui careat bono: quare probos mores sua præmia non relinquunt. Quantumlibet<sup>2</sup> igitur sæviant mali, sapienti tamen corona non decidet, non arescet. Neque enim probis animis proprium decus aliena decerpit improbitas. Quod si extrinsecus accepto lætaretur, poterat hoc vel alius quispiam, vel ille etiam<sup>3</sup> qui contulisset, auferre. Sed quoniam id sua cuique probitas confert, tum suo præmio carebit, cum probus esse desierit. Postremo cum omne præmium idcirco appetatur quoniam bonum esse creditur, quis boni compotem,<sup>e</sup> præmii judicet expertem?<sup>4</sup> At cujus præmii?<sup>u</sup> omnium pulcherrimi maximique. Memento enim<sup>5</sup>

<sup>d</sup> Merito.    <sup>e</sup> Participem.



1 Etenim Delph. et Hack.—2 Vetus: Quantum licet.—3 Vel ipse etiam Delph. Hack.—4 Ms. Rittersh. judicet esse expertem.—5 Etenim Delph. et

#### NOTÆ

<sup>a</sup> Rerum enim quæ geruntur, &c.]  
 I. Probi afficiuntur præmiis: quia cum præmium id dicatur honorarium, quo afficiebantur ii, qui primi ac principes aliquid præclari gesserant, (unde Scaligero pluribusque aliis 'præmium' dicitur quasi 'præmi-um' a 'præ' et 'emo' capio,) idcirco illud propter quod unaquæque res geritur, ejusdem rei præmium esse, non injuria, videri potest: siquidem est honorarium quo actor victorque afficitur: sic currenti in stadio illa, propter quam curritur, corona est præmium: quemadmodum S. Paulus 1. Cor. 9. ait: 'qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brabium.' Atqui viri probi id assequuntur, propter quod omnes homines tam probi quam

iuprobi agunt: nimirum beatitudinem sive summum bonum: alioquin boni non essent: cum bonus non sit, qui careat bono.

<sup>b</sup> Atqui hoc a bonis, &c.] II. Præmium, quo probi afficiuntur, est illis insitum: quia quod præmium versatur in cogitatione hominis, illud homini insitum credi potest: siquidem cogitatio est qualitas menti insita. Sed illud, quo probi afficiuntur, præmium versatur in cogitatione: alias præmium bonum non crederetur: cum nemo boni compotem, præmii judicet expertem: hinc quantumlibet sæviant mali, ut non contulerunt, sic auferre nequeunt illud proborum præmium, quod non, nisi mala ipsius possidentis voluntate, amitti potest.

<sup>u</sup> At cujus præmii, &c.] III. Probi in



illius corollarii<sup>f</sup> quod paulo ante præcipuum dedi; ac sic collige: Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sint, fieri beatos liquet. Sed qui beati sunt, Deos esse convenit. Est igitur præmium bonorum, quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius fuscet<sup>g</sup> improbitas, Deos fieri. Quæ cum ita sint, de malorum quoque inseparabili pœna<sup>v</sup> dubitare sapiens nequeat. Nam cum bonum malumque, item pœna<sup>6</sup> atque præmium adversa fronte dissideant, quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant. Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium: ita improbis nequitia ipsa supplicium est.<sup>7</sup> Jam vero quisquis afficitur pœna, malo se affectum esse non dubitat. Si igitur sese ipsi existimare<sup>h</sup><sup>8</sup> velint, possuntne sibi supplicii expertes videri, quos omnium malorum extrema nequitia non afficit modo, verum etiam vehementer inficit?<sup>9</sup> Vide autem ex adversa parte bonorum, quæ improbos pœna comitetur. Omne namque quod sit, unum esse, ipsumque unum bonum esse paulo ante didicisti: cui consequens est ut omne quod sit, id etiam bonum esse videatur. Hoc igitur modo, quicquid a bono deficit, esse desistit: quo fit ut mali desinant esse quod fuerant. Sed fuisse homines

<sup>f</sup> Consectarii.    <sup>g</sup> Obscurabit.    <sup>h</sup> Judicare.

Hack.—6 *Pœnæ* edd. eædem.—7 *Nequitia supplicium est* edd. eædem.—8 *Æstimare* edd. eædem.—9 *Vict. secundus: inficit.*—10 *Plenius Ms. Erfurt.*

#### NOTÆ

Deos convertuntur: quicumque enim beati sunt, his Deos esse convenit: non quidem natura, sed necessitudine, qua nimirum eorum mens, non cognoscendo solum, sed etiam volendo, fit unum aliquid cum Deo: sicut corollarii instar ex prædictis supra illatum est. Atqui boni omnes, quatenus hi, ut probavimus, præmio afficiuntur intrinsecus, sunt beati sive cum summo bono sua cogitatione conjuncti.

<sup>v</sup> *De malorum quoque inseparabili pœna, &c.]* iv. Improbi e contrario supplicii ita afficiuntur intrinsecus, ut in bestias convertantur: nam contrariorum, inquit Tullius, contraria sunt consequentia: atqui bonum et malum sunt contraria antecedentia, præmium vero et supplicium contraria consequentia, sive, quod idem est, 'adversa fronte dissident.' Igitur ut bonis præmium, sic malis suum est supplicium. Quin sicut bonorum

adhuc ipsa humani corporis species ostentat: quare versi in malitiam,<sup>10</sup> humanam quoque amisere naturam. Sed cum ultra homines quemque provehere sola probitas possit, necesse est, ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum<sup>11</sup> detrudat improbitas. Evenit, ut<sup>12</sup> quem transformatum vitiis videas, hominem existimare<sup>13</sup> non possis. Avaritia fervet<sup>w</sup> alienarum opum violentus ereptor?<sup>i</sup> similem lupi<sup>14</sup> dixeris. Ferox<sup>k</sup> atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis.<sup>15</sup> Insidiator<sup>l</sup> occultis<sup>16</sup> surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans<sup>m</sup> fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus<sup>n</sup> ac fugax non metuenda formidat?

<sup>i</sup> Avarus lupo.      <sup>k</sup> Litigiosus cani.      <sup>l</sup> Insidiator vulpi.      <sup>m</sup> Iracundus leoni.  
<sup>n</sup> Ignavus cervo.

et ed. Norimb. *humani corporis reliqua species ostentat: quare conversi in mal.* 'Bellius meus et Berchemianus optimus codex: *humani corporis reliqua species ostentat. Quare conversi.*' Bernart. *Reliqua species* Delph. Hack.—11 Ms. Rittersh. *infra homines merito.*—12 *Evenit igitur, ut* Delph. et Hack.—13 *Æstimare* edd. eædem.—14 Ms. Rittersh. *lupis similem d.* Ms. Erfurt. *lupo similem d.*—15 '*Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabilis*] Non improba hæc, sed an sincera? negant Mss. qui suggerunt: *atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis.*' Bernart. Mss. et ed. Norimb. cum Flor. [Delph. Hack.] *Ferox atque inquietus: quæ lectio non repudianda.* Sitzm.—16 Mss. item ed. Norimb. et Flor. *Insidiator occultus.*—17 *Levis atque*

## NOTÆ

præmium, bonis mentibus insitum, versatur in eorum cogitatione; ita malorum supplicium, malis mentibus insitum, versatur pariter in eorum cogitatione: nimirum in conscientia: 'magna enim conscientia vis est in utramque partem,' inquit Cicero pro Milone; 'ut neque timeant ii, qui nihil admiserunt, et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.' S. Ambros. Offic. I. 'Impius,' inquit, 'ipse sibi pœna est, justus autem ipse sibi gratia, ut utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex seipso solvatur.' Denique sicut bonus sua bona cogitatione fit Deus; sic malus sua mala cogitatione fit bestia. Nimirum mens humana

ita media est inter Deum auctorem, et corpus consors, ut pro varia sua cogitatione, bona scilicet vel mala, vel cum Deo vel cum corpore, contracta quadam necessitudine, fiat aliquid unum. Quamobrem cum tanta sit similitudo inter corpus hominis et corpus bestia, ut prius a posteriori non differat, nisi penes mentem, qua informatur; idcirco homo ratione malæ suæ cogitationis fit bestia: quod prohibens Propheta Rex, Psal. 31. 'Nolite,' inquit, 'fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.'

<sup>w</sup> *Avaritia fervet, &c.*] Sic avarus similis est lupo: quia lupo est animal voracissimum: unde meretrices, quod luporum instar sint rapaces,



cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus<sup>o</sup> torpet? asinum vivit.<sup>x</sup> Levis ac<sup>p</sup> inconstans<sup>17</sup> studia permutat? nihil ab avibus<sup>18</sup> differt. Fœdis immundisque libidinibus<sup>q</sup> immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.

<sup>o</sup> *Piger asino.*

<sup>p</sup> *Volaticus avi.*

<sup>q</sup> *Voluptarius porco similis.*



Delph. Hack.—18 Uterque Thuan. Vict. primus, et Reg. *nihil avibus.*

#### NOTÆ

teste Isidoro, dictæ sunt ‘Inpæ:’ ferox atque inquietus sive inquietus, cani, quo nihil impudentius est: insidiator, vulpeculæ, quæ est bestia callidissima, vitæ conservandæ causa: iræ obnoxius, leoni, qui Ovidio vocatur iracundus, quod, ut ait Lucretius l. III. ‘calidi plus est illi:’ pavidus, cervis, quibus nullum animal est timidius: propterea cervinus vir olim dicebatur formidolosus et fugæ magis, quam viribus fidens: quod, auctore Lucretio l. III. ‘cervis plus sit frigidi:’ segnis ac stupidus, asino, qui est animal tardissimum: levis atque inconstans,

avibus, quæ huc illucque discurrunt: libidinosus, suibus, qui, inquit Festus, ‘ex omni mansueto pecore immundissimi sunt, et ardentissimæ libidinis; ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare et surrire dicuntur.

<sup>x</sup> *Asinum vivit]* Modus loquendi satis usitatus, dicitur ellipsis: ubi intelligi debet particula quædam tacita: hic autem intelligitur secundum; ut cum dicitur: ‘magnam partem mentitur:’ ‘cetera prudens:’ et sic de aliis.

---



---

### METRUM III.

#### VELA Neritii ducis,<sup>y</sup>

*Navis, qua dux Ulysses cum sociis ferebatur, post varios errores in mari, ventis*

#### NOTÆ

Carmen hoc non ante intelliges, quam in memoriam revocaveris ea, quæ a poëtis dici solent cum de Circe, tum etiam de Ulysse. Circe, inquiunt, Solis et Perseis Nymphæ

filia, veneficiorum peritissima fuit. Hæc Sarmatarum Regi nupsit, quo venenis occiso in Italiam fugit ad montem, qui quoniam quibusdam cingitur paludibus, ideo insulæ for-

Et vagas pelago rates<sup>2</sup>  
 Eurus appulit<sup>a</sup> insulæ,  
 Pulchra qua residens Dea

*adducta est ad insulam, in qua Circe Dea pulchra, a Sole nata, habitans propinat*

## NOTÆ

mam habere videtur, quique a sua hospite postea dictus est Circæus. Hic saga crudelis homines in bestias, oblatis quibusdam poculis, verbisque quibusdam prolatis, convertere ferebatur; alios quidem in leones, alios in lupos, alios in tigres, alios in sues, alios in alias bestias: quod eleganter sic expressit clarissimus noster Antonius Hallæus ex Homero, 'Queis hominum abstulerat faciem dederatque ferarum Diva salax. Hic namque lupi curvatus in artus, Est qui ululat, seseque pavet; qui dente sed insons Crescit et ungue leo, aut villis nigribus ursus, Quique amplas tigris maculosa perambulat ædes.' Ulysses vero ortus est ex Nerito monte Ithacæ, patre Laërta, vel ut alii volunt, Sisypho, matre vero Anticlea: fingitur ab Homero vir multa præditus facundia, nec minore experientia, vaffer consilio, egregius bello, laborum patientissimus. Hic, capta Troja, navim conscendit, in patriam rediturus, sed post varios errores, de quibus hic non agitur, ventis adductus est ad montem Circæum, ubi Circe ejus exploratores in sues mutavit, ipse vero, sumpta ea, quam Mercurius docuit, herba, Moly vocata, illæsam servavit suam formam, quod sic descripsit prædictus Hallæus continuans, 'Quas simul intravit nova turba, haud immemor artis Colchiacæ, attonitis medicatos Saga propinat Hospitibus calices; vertendisque apta figuris Carmina Titanis demurmurat. Ordine et omnes Ut portentificæ percussit cuspide virgæ, Haud mora, procu-

buere Solo, et lugere parantes Se raucum porcos grunnire, et tergora densis Jam setis horrere vident; subque ilice proni Excussas mandunt, Cerebris pro munere, glandes. Unicus humana sub imagine restat Ulysses . . . Carminaque obtundit raræ vis abdita plantæ, Numina Moly vocant: artes tutamen ad istas Donarat Deus Heroi, Deus aëra plantis Qui tranat, superoque Jovi famulatur et imo.'

<sup>1</sup> *Vela Neritii ducis*] Naves Ulyssis, qui dicitur 'Neritius' a monte Nerito, unde ortus; et 'dux,' quod eo nomine ad bellum Trojanum profectus, utilissimam Græcis operam navaverit: quanquam si credamus Ajaci apud Ovid. XIII. Metam. vs. 25. 'Hæc sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.'

<sup>2</sup> *Vagas pelago rates*] Ulysses decem annis erravit in mari.

<sup>a</sup> *Eurus appulit*] Eurus speciatim ventus est ab ortu verno sive æquinoctiali spirans: sed hic videtur accipi pro quocumque vento validiori. Nisi dicas Ulysses ab Ortuo ad Occasum navigasse profecturum ad littus infandum Circes; quod a Læstrygonibus immanissimis ad Circæum montem accedens solvit a Formiis: Formiæ autem supra Caietam vetus promontorium sunt magis ad Orientem, quam vetus Circes promontorium, quod est infra Tarracinam.

*Insulæ*] Monti Circæo, qui insulæ quandam formam habet. Virgil. III. Æneid. vs. 386. 'Æææque insula Circes:' et Æn. VII. vs. 10. 'Proxima Circææ raduntur littora terræ.'



|                                       |    |
|---------------------------------------|----|
| Solis edita semine, <sup>b</sup>      | 5  |
| Miscet hospitibus novis               |    |
| Tacta carmine pocula. <sup>c</sup>    |    |
| Quos ut in varios modos               |    |
| Vertit herbipotens manus ;            |    |
| Hunc apri <sup>d</sup> facies tegit : | 10 |
| Ille Marmaricus leo                   |    |
| Dente crescit, et unguibus :          |    |
| Hic lupis super additus               |    |
| Flere dum parat, ululat :             |    |
| Ille, tigris ut Indica,               | 15 |
| Tecta mitis obambulat.                |    |
| Sed licet variis malis                |    |
| Numen Arcadis alitis <sup>e</sup>     |    |
| Obsitum miserans ducem                |    |
| Peste solverit hospitis ;             | 20 |

*calices incantatos advenis novis. Quos ubi Circe, potens herbis, mutavit in formas diversas, unus induit vultum apri; alter factus leo Africanus crescit dentibus unguibusque: hic annumeratus lupis ululat, cum conatur lugere; ille velut tigris Indiæ circuit domos, clemens tamen. At quamvis Mercurius, Deus aliger Arcadiæ, miseratus liberaverit a veneno suæ hospitis Ulyssem jactatum diversis casibus;*

## NOTÆ

<sup>b</sup> *Solis edita semine*] Circe, filia Solis. Ovid. XIV. Metam. vs. 10. 'Sole satæ Circes,' et versu 33. 'En ego cum Dea sim, nitidi cum filia Solis, Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim, Ut tua sim voveo.' Virgil. VII. Æneid. vs. 11. 'Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu.'

<sup>c</sup> *Tacta carmine pocula*] Brevissime significantur virga, carmen, et gramen, quibus Circe homines in bestias mutare solebat. Virgil. Eclog. VIII. 'Carminibus Circe socios mutavit Ulyssæi.' Et Æneid. VII. vs. 19. 'Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.'

<sup>d</sup> *Hunc apri, &c.*] Ex hospitibus novis hic convertitur in aprum; ille in le-

onem; hic in lupum; ille in tigrim: sed leo Marmaricus, tigris Indica vocatur, quod Marmarica Africae regio versus Ægyptum fortes leones, India vero tigres ferre consuevit. Harum etiam formarum meminit Ovid. I. XIV. Metam. vs. 260. 'Mille lupi, mistique lupis ursique læque, Occursu fecere metum: sed nulla timenda Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus: Quinetiam blandas movere per aëra caudas Nostraque adulantes comitant vestigia, donec Excipiunt famulæ.'

<sup>e</sup> *Numen Arcadis alitis*] Mercurius; sic dictus a mercibus, quod feratur præesse lucro, rebusque emendis ac vendendis: unde pingi solet, sinistra virgulam, dextra sacculum nummarium tenens. Mercurius autem nunc

Jam tamen mala remiges<sup>f</sup>  
 Ore pocula traxerant :  
 Jam sues Cerealia  
 Glande pabula verterant ;  
 Et nihil manet integrum 25  
 Voce, corpore, perditis :  
 Sola mens<sup>g</sup> stabilis super  
 Monstra quæ patitur gemit.

*nihilominus remiges ejusdem ducis jam ore hauserant potiones malas ; jam facti sues mutaverant glande panem, Cereris munus, amissisque loquela et forma corporis nihil supererat integrum. Una mens superstes dolet prodigia quæ ipsa subit. O*

## NOTÆ

vocatur ‘ Numen,’ quia Jovis et Maiæ filius, instar cujusdam Numinis, præsidere credebatur non solum lucro tam injusto, quam justo, sed etiam facundiæ : unde Deorum nuntius habetur : quatenus mentes facundo sermone innotescunt. Sed dicitur Numen ‘ alitis ;’ quoniam alas ut in pedibus, sic in capite gerere ex eo fingitur, quod sermo, cui præsidet, per aëra velociter feratur. Dicitur etiam Numen alitis ‘ Arcadis :’ quia ab Arcade Jovis et Calistus filio Arcades originem nomenque duxerunt : Mercurius autem natus est in Arcadia : unde Virgilius Arcades allocutus VIII. Æn. vs. 138. ‘ Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.’ Denique Mercurius Ulyssi variis casibus jactato herbam dederat, cujus ope liberatus est ab insidiosis poculis Circes. Ovid. XIV. Metam. vs. 296. ‘ Pacifer huic dederat florem Cyllenius album : Moly vocant Superi : nigra radice tenetur. Tutus eo, monitisque simul cœlestibus intrat Ille domum Circes, et ad insidiosa vocatus Pocula conantem virga mulcere capillos Repulit, et stricto pavidam deterruit ense.’

<sup>f</sup> Jam tamen mala remiges, &c.]

Remex, a remo dictus, ille est, qui remo per aquas promovet navim : cujusmodi erant illi Ulyssis milites, quippe qui eadem, qua Ulysses, nave vecti, hanc movebant : nam ‘ hæc servata manebat Sola ipsum sociosque ferens.’ Hi autem Ulyssis milites sive socii a suo ductore præmissi fuerant ad Circen explorandi causa, a qua, antequam ipse Ulysses advenisset, jam hansto poculo in sues conversi fuerant, et panem sive pabula Cerealia glande verterant. Ovid. XIV. Metam. vs. 281. ‘ Accipimus sacra data pocula dextra : Quæ simul arenti sitientes hausimus ore, Et tetigit summos virga Dea dira capillos, (Et pudet et referam,) setis horrescere cœpi, Nec jam posse loqui ; pro verbis edere raucum Murmur, et in terram toto procumbere vultu : Osque meum sensipando occallescere rostro, Colla tumere toris, et qua modo pocula parte Sumta mihi fuerant, illa vestigia feci.’

<sup>g</sup> Sola mens, &c.] Circe instar Solis, cujus erat filia, vi herbarum, verborum, et virgæ, quibus utebatur, corpora quidem mutare poterat, non mentes, quippe quæ, ut a solo Deo creatæ conservantur, sic a solo Deo mutari possunt ; nisi quod eidem



O levem nimium manum,  
 Nec potentia gramina, 30  
 Membra quæ valeant licet,  
 Corda vertere non valent!  
 Intus est hominum vigor  
 Arce conditus abdita.  
 Hæc venena potentius 35  
 Detrahunt hominem sibi  
 Dira, quæ penitus meant,  
 Nec nocentia corpori  
 Mentis vulnere<sup>19</sup> sæviunt.

*dexteram Circes imbecilliolem, o herbas sagæ invalidas, quæ quamvis possint mutare corpus, non tamen possunt mutare mentem: id virtutis est hominibus insitæ, quæ in mente velut in arce occulta includitur, morum videlicet perversorum: hæc venena sæva abducunt hominem efficacius a semetipso, quippe quæ penetrant in mentem, et, dum parcunt corpori, affligunt mentem gravi vulnere.*

//////////

19 'Mentis ulcere] Non: vulnere: sic exigente metro, et astipulante non uno codice.' Vallin. Ulcere dant Delph. et Hack.

#### NOTÆ

menti quædam virtus divinitus insita est; voluntas scilicet sui domina, quæ perturbationibus obsecuta corpori quidem parcere videtur, sed mentem a Deo sic retrahit, ut eandem ad infimam bestiarum conditionem deprimere videatur.

---

#### PROSA IV.

TUM ego,<sup>r</sup> Fateor, inquam, nec<sup>s</sup> injuria dici video, vitiosos, tametsi humani corporis speciem servant, in belluas tamen animorum qualitate mutari. Sed quorum atrox scelerataque mens bonorum pernicie sævit, id ipsum eis licere noluissem. Nec licet, inquit, uti convenienti monstrabitur loco: sed tamen si idipsum, quod eis licere creditur, auferatur, magna ex parte sceleratorum hominum pœna releve-

<sup>r</sup> Boëthius.    <sup>s</sup> Immerito.

tur.<sup>t</sup> 20 Etenim, quod incredibile<sup>h</sup> forte cuiquam<sup>i</sup> videatur, infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecterint, quam si ea quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Itaque cum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est urgeantur,<sup>2</sup> quos videas scelus velle, et posse, et perficere.<sup>3</sup> Accedo, inquam : sed uti hoc infortunio cito careant, patrandi sceleris possibilitate deserti,<sup>u</sup> vehementer exopto. Carebunt, inquit, ocyus<sup>v</sup> quam vel tu forsitan velis, vel illi sese existiment esse carituros. Neque enim est aliquid in tam brevibus vitæ metis ita serum,<sup>w</sup> quod expectare longum immortalis præsertim animus putet : quorum magna spes, et excelsa facinorum machina repentino atque insperato sæpe fine destruitur. Quod quidem illis miseræ modum statuit.<sup>x</sup>

<sup>y</sup> Nam si nequitia miseros facit,<sup>i</sup> miserior sit necesse est diuturnior nequam : quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. Etenim si de pravitatis infortunio vera conclusimus, infinitam liquet esse miseriam quam esse constat æternam. Tum ego, Mira quidem, inquam, et concessu difficilis illatio : sed his

<sup>t</sup> Minuitur.      <sup>u</sup> Peccare nescii.      <sup>v</sup> Citius.      <sup>w</sup> Tardum.      <sup>x</sup> Finem imponit.      <sup>y</sup> Consequentia.

20 Ms. *revelatur*. Edd. Delph. et Hack. *relevatur*.—1 *Cuiquam forte* edd. eædem.—2 *Necesse est, ut urgeantur* vulg.—3 *Velle, posse, perficere*. Hac distinctione, inquit Vallinus, restituimus locum. Sic etiam exhibent edd. præ-

## NOTÆ

<sup>h</sup> *Etenim quod incredibile, &c.*] I. Philosophia probat improbos hoc esse miseriores, quod cupita perficiant : nam velle scelus, magna miseria est ; posse, major ; perficere, maxima : quandoquidem defectiones sunt, quæ tanto crescunt, quanto a Deo sive summo bono magis ac magis recedunt : quamobrem si improbi non solum velint, et possint, sed etiam perficiant scelus, hi eo ipso erunt miseriores : atqui improbi cupita per-

ficiendo, perficiunt scelus : cum enim improbi sint, hi nihil nisi malum adeoque scelus perficere conantur.

<sup>i</sup> *Nam si nequitia miseros facit, &c.*] II. Eadem Philosophia probat, improbos hoc esse miseriores, quod diuturniorem vitam agentes cupita perficiant diutius : quia cum miseria sic miserum faciat, ut felicitas felicem, quemadmodum eo aliquis felicitior est, quo ejus felicitas est diuturnior ; sic eo aliquis est miserior, quo ejus mi-



ea<sup>4</sup> quæ prius concessa sunt, nimium convenire cognosco. Recte, inquit, existimas: sed qui conclusioni accedere durum putet, æquum est<sup>5</sup> vel falsum aliquid præcessisse demonstrat, vel collationem<sup>6</sup> propositionum non esse efficacem necessariæ conclusionis ostendat: alioquin, concessis præcedentibus, nihil prorsus est quod de illatione causetur.<sup>z</sup> Nam hoc quoque quod dicam,<sup>k</sup> non minus mirum videatur, sed ex his quæ sumpta sunt, æque est necessarium.<sup>7</sup> Quidnam? inquam. Feliciores, inquit, esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coërceat. Neque id nunc molior<sup>a</sup> quod cuivis veniat in mentem, corrigi ultione pravos mores, et ad rectum supplicii terrore deduci, ceteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi; sed alio quodam modo infeliciores esse improbos arbitror impunitos, tametsi nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli. Et quis erit, inquam, præter hos alius modus? Et illa, Bonos, inquit, esse felices, malos vero miseros nonne concessimus?<sup>8</sup> Ita est, inquam. Si igitur, inquit, miseriæ cujuscumque bonum aliquid addatur, nonne felicior est eo cujus pura ac solitaria sine cujusquam boni

<sup>z</sup> Consecutione conqueratur.

<sup>a</sup> Contendo.



dictæ.—4 *His eam* edd. eadem.—5 Ms. Rittersh. et Erfurt. *Recte, inquit, æstimas, sed qui . . . putat, æquum est.* *Putat* habent Delph. et Hack.—6 ‘Arbitrentur docti an non melius scriptus: *vel collocationem.*’ Bernart.—7 Ms. Erfurt. *æque esse necessarium.*—8 Ms. Rittersh. *conclusimus.*—9 *Boni quidem*

#### NOTÆ

seria diuturnior est: utraque enim tantas vires acquirit eundo, ut quo antiquior, eo difficilius alterutra suo destruat contrario. Atqui quo diutius improbi, diuturniorem vitam agentes, cupita perficiunt, eo diuturnior est eorum miseria: cum, ut diximus, miserrimum sit scelus perficere: quare ‘infelicissimi essent, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret:’ quod mors, licet non sit cuiuslibet illorum miseriæ meta, est tamen sceleris ab iisdem perficiendi finis.

<sup>k</sup> *Nam hoc quoque quod dicam, &c.]*  
 III. Philosophia probat, improbos hoc esse miseres, quod impuniti vivunt: non solum quia pœnis et sontes deserunt et insontes vitant crimina; verum etiam quia cum miseria crescat accessione mali, non secus ac felicitas accessione boni, (quod ut bonum felicitas, sic malum miseria sit ex dictis,) propterea cuiuscumque misero accedit aliquid mali, ille hoc ipso miserior est: quemadmodum cuiuscumque felici accedit aliquid boni, ille eo ipso est felicior. Atqui im-

admistione miseria est? Sic, inquam, videtur. Quid si eidem misero, qui cunctis careat bonis, præter ea quibus miser est, malum aliud fuerit annexum, nonne multo infelicioior eo censendus est cujus infortunium boni participatione relevatur? <sup>b</sup> Quidni? inquam. Habent igitur improbi, cum puniuntur, quidem boni <sup>9</sup> aliquid annexum, pœnam ipsam scilicet, quæ ratione justitiæ bona est: iidemque cum supplicio carent, inest eis aliquid ulterius mali, <sup>10</sup> ipsa impunitas, quam iniquitatis merito malum esse confessus es. Negare non possum. Multo igitur infelicioiores improbi sunt injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti. Sed puniri improbos justum, impunitos vero elabi, <sup>c</sup> iniquum esse manifestum est. Quis id neget? Sed ne illud quidem, ait, quisquam negabit, bonum esse omne quod justum est: contraque quod injustum est, malum liquet esse. Tum ego: <sup>11</sup> Ista quidem consequentia sunt eis quæ paulo ante conclusa sunt. Sed, quæso, inquam, te, nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? Et magna quidem, inquit: quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia <sup>1</sup> exerceri puto. Sed nunc de his disserere consilium non est. Id vero hactenus egimus ut quæ indignissima tibi videbatur, malorum potestas, eam nullam esse cognosceres: quosque impunitos querebare, videres nunquam improbitatis suæ carere suppliciis. Li-

<sup>b</sup> Minuitur.<sup>c</sup> Abire.

Delph. Hack.—10 Ms. Rittersh. *aliquid alterius mali*.—11 Mss. *contraque quod injustum, malum. Liquere respondi. Tum ego. Liquere esse* Delph. et Hack.—

## NOTÆ

probo, ex eo quod hic impunitus vivat, accidit aliquid mali: cum enim puniri et non puniri sint contraria, cumque puniri sit aliquid boni etiam improbo, necesse est, ut non puniri eidem improbo sit aliquid mali: quamvis ‘ magna animarum supplicia post defunctum morte corpus’ supersint.

<sup>1</sup> Quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia] ‘ Malos,’ inquit Vallinus, ‘ hic agnoscit non Christianus modo, sed et Catholicus Boëthius, alios quidem æternis pœnis damnari, alios vero pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne.’ Quod agnoscunt ipsi Magdeburgenses, Cent. vi.



centiam quam cito finiri precabaris, nec longam esse disceres: infelicioremque fore, si diuturnior; infelicissimam vero, si esset æterna. Post hæc miseriores esse improbos injusta impunitate dimissos, quam justa ultione punitos. Cui sententiæ consequens est ut tum demum gravioribus suppliciis urgeantur, cum impuniti esse creduntur. Tum ego, Cum tuas, inquam, rationes considero, nihil dici verius puto. At si ad hominum judicia<sup>m</sup> revertar, quis ille est cui hæc non credenda modo, sed saltem audienda<sup>12</sup> videantur? Ita est, inquit illa. Nequeunt enim oculos te-



12 *Saltem non audienda* Vulg. Uterque Thuan. et Vict. uterque: *saltem au-*

#### NOTÆ

cap. 4. cogitatum a Boëthio. Nisi tamen Philosophia, quæ nunc loquitur, voluerit hic exprimere sensa Platoniorum, vel etiam Pythagoræorum, quibus quædam mentes, quod earum scelera nulla purgatione elui possent, æternis afficiebantur suppliciis; aliæ vero, quarum minora erant crimina, aut æternis Elysii voluptatibus fruebantur, omni purgatione perfunctæ, aut partim purgatæ ex Elysio in nova etiam bestiarum corpora detrudebantur. Virgil. vi. Æn. vs. 739. 'Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni. Quisque suos patimur manes. Exinde per amplum Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.'

<sup>m</sup> *At si ad hominum judicia, &c.]* Mens nostra Deum inter et corpus humanum media; utpote Dei effectus, et corporis humani forma, ab utroque patitur, a Deo illuminanda, a corpore obscuranda: quamobrem eadem mens non ante apta est verum certumque de rebus propositis ferre

judicium, quam spretis ipsius corporis motibus, solum præceptorem Deum interrogaverit, intusque respondentem intellexerit attentius: optime enim S. August. i. de Genes. ad lit. c. 5. 'Principium,' ait, 'creaturæ intellectualis est æterna sapientia, quod principium, manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est: quod aliter formata ac perfecta esse non posset.' 'Ubique,' inquit idem sanctus doctor l. x. Conf. c. 26. 'Veritas, præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Lique tu respondes, sed non liquide omnes audiunt: quis enim,' ait idem sanctissimus pater, de Immort. Animæ c. 10. 'bene se inspiciens non expertus est tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto remove atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit?' Atqui maxima pars hominum præcipitatione et præjudicio potius quam his legibus judicant: unde

nebris assuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere; similesque avibus<sup>d</sup> sunt<sup>n</sup> quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat: dum enim non rerum ordinem, sed suos intuentur affectus, vel licentiam vel impunitatem scelerum putant esse felicem. Vide autem quid æterna lex sanciat. Melioribus animum si conformaveris,<sup>13</sup> nihil opus est iudice præmium deferente: tu te ipse excellentioribus addidisti. Si studium<sup>14</sup> ad pejora deflexeris, extra ne quæsieris ultorem; tu te ipse in deteriora detrusisti:<sup>15</sup> veluti si vicibus<sup>e</sup> sordidam humum coelumque respicias, cunctis extra cessantibus, ipsa cernendi ratione nunc cæno, nunc sideribus interesse videaris. At vulgus ista non respicit. Quid igitur? hisne accedamus quos belluis similes esse monstravimus? Quid, si quis amisso penitus visu, ipsum etiam se habuisse oblivisceretur intuitum, nihilque sibi ad humanam perfectionem deesse arbitraretur, num videntes eadem cæcos putaremus? Nam ne illud quidem acquiescent<sup>16</sup> quod æque validis rationum nititur firmamentis, infeliciores esse eos qui faciunt, quam qui patiuntur<sup>17</sup> injuriam. Vellem, inquam, has ipsas audire rationes. Omnem, inquit, improbum num supplicio dignum negas? Minime. Infe-

<sup>d</sup> *Noctuis.*    <sup>e</sup> *Alternis.*

*dienda.*—13 In edd. Delph. et Hack. omittitur vocula *si*. Ms. Rittersh. et ed. Florent. *Melioribus animum si confirmaveris.*—14 *Addidisti. Studium* Delph. Hack.—15 Ms. *trusisti.*—16 ‘*Bene scripti acquiescerent.*’ Bernart. Ms. Rittersh. *Nam nec illud quidem acq.*—17 Vict. secundus, et Reg. *faciant, quam*

## NOTÆ

<sup>n</sup> *Similesque avibus sunt, &c.*] Vespertilionibus scilicet et noctuis, quæ quod mobilioribus afficiantur oculorum fibris tunicisque, idcirco minimo noctis lumine illuminari, majori vero diei splendore offundi possunt: unde non nisi vespere et nocte, a quibus nomen habent, volitare consueverunt. Ovid. l. iv. *Metam. Fab. 12.* ‘*Jamque dies exactus erat, tempusque subibat Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem, Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis. . . Tec-*

*Delph. et Var. Clas.*

taque non sylvas celebrant, lucemque perosæ Nocte volant, seroque tenent a vespere nomen.’

<sup>o</sup> *Nam ne illud quidem acquiescent, &c.*] iv. *Philosophia* probat, improbos eo esse miseres, quod injuriam ceteris inferant: quia cum improbus omnis sit miser, cumque improbus sit quicumque supplicio dignus est, propterea quo aliquis supplicio est magis dignus, eo magis improbus adeoque magis miser haberi debet: sic cognitor existimans esse deterius inferre

*Boëth.*

Y



lices vero esse qui sunt<sup>18</sup> improbi, multipliciter liquet. Ita est, inquam. Qui igitur supplicio digni sunt, miseros esse non dubitas? Convenit, inquam. Si igitur cognitor,<sup>f</sup> ait, resideres, cui supplicium inferendum putares, eum qui fecisset, an qui pertulisset injuriam? Nec ambigo,<sup>g</sup> inquam, qui perpesso<sup>19</sup> satisfacerem dolore facientis. Miserior igitur tibi injuriæ illator, quam acceptor esse videretur. Consequitur, inquam. Hinc igitur, aliisque<sup>20</sup> de causis ea radice nitentibus, quod turpitudine suapte natura miseros faciat, apparet, illatam cuilibet injuriam non accipientis, sed inferentis esse miseriam. Atqui nunc, ait, contra faciunt oratores:<sup>h</sup> pro his enim qui grave quid acerbumque perpessi sunt, miserationem judicum excitare conantur; cum magis admittentibus justior miseratio debeat: quos non ab iratis, sed a propitiis potius, miserantibusque accusatoribus ad iudicium, veluti ægros ad medicum duci oportebat, ut culpæ morbos supplicio resecent: quo pacto defensorum opera vel tota frigeret, vel si prodesse hominibus mallet, in accusationis habitum verteretur. Ipsi quoque improbi, si eis aliqua rimula<sup>i</sup> virtutem relictam fas esset aspicere, vitiorumque sordes poenarum cruciatibus se deposituros viderent, compensatione adipiscendæ probitatis, nec hos cruciatus esse ducerent,<sup>1</sup> defensorumque operam repudiarent, ac se totos accusatoribus iudicibusque permetterent: quo fit ut apud sapientes nullus prorsus odio

<sup>f</sup> *Judex.*

<sup>g</sup> *Dubito.*

<sup>h</sup> *Advocati.*

<sup>i</sup> *Aliquo modo.*

//////////

qui patiantur.—18 *Qui sint* Delph. Hack.—19 *Quin perpesso* edd. eædem.—20 *Hæc igitur aliisque* vulg. Ms. Erfurt. et edd. Florent. Delph. Hack. *Hæc igitur aliisque.* Thuan. primus, et Reg. *Hinc igitur aliisque.*—1 *Esse dicerent* vulg.

#### NOTÆ

quam pati injuriam, statuit supplicium inferendum non ei, qui pertulit, sed ei qui fecit injuriam. Unde Christus Matth. 5. ‘beati,’ inquit, ‘qui persecutionem patiuntur:’ quo respiciens S. Chrysost. ait ‘neminem lædi nisi a seipso.’ Atqui improbus

eo magis dignus est supplicio, quod alteri intulerit injuriam: reipublicæ quippe interest, ut improbi puniantur. Atque ex his omnibus sequitur, improbos sive ægros animo, non secus ac ægros corpore, non odio sed miseratione potius dignos esse: quare

locus relinquatur. Nam bonos quis nisi stultissimus ode-  
rit? malos vero odisse ratione caret. Nam sicuti<sup>2</sup> corpo-  
rum languor, ita vitiositas quidam est quasi<sup>3</sup> morbus ani-  
morum. Cum ægros corpore minime dignos odio, sed po-  
tius miseratione judicemus, multo magis non insequendi,  
sed miserandi sunt, quorum mentes omni languore atrocior  
urget improbitas.

~~~~~

‘Uterque Vict. esse ducerent: bene.’ Vallin.—2 Nam si uti Delph. Hack. Nam
si uti. Corruptum antea locum, inquit Vallinus, in omnibus impressis, ju-
vantibus partim antiquis libris, sic tandem restituimus suæ integritati—
3 Vulg. Ita vitiositas quidem est quasi. ‘Ms. Rittersh. Ita vitiositas est quidam
quasi: quæ lectio præstabilior est vulgata.’ Sitzm.

METRUM IV.

QUID tantos juvat excitare motus,^p
Et propria fatum sollicitare manu?^q
Si mortem petitis,^r propinquat ipsa
Sponte sua, volucres nec remoratur equos.

*Quid prodest vobis excitare motus tantos odii, et urgere mortem vestris manibus?
Si quæritis mortem, hæc appropinquat ultro neque tardat equos suos præcipites.*

NOTÆ

^p *Tantos . . . motus*] Ut perturba-
tiones motibus corporis concipiun-
tur: sic eadem conceptæ diversos
producunt ejusdem corporis motus.
Sed nulla perturbatio tantos motus,
quantos odium parit: qui enim odio
commoventur, hi in amicos, fortunas,
famam, vitam denique ipsam adver-
sariorum erumpunt.

^q *Fatum sollicitare manu*] Sollicitare
proprie dicitur ille, qui corpus de suo
loco movet, quasi hoc de suo Solo
movendo, vicinum, a quo recedit, re-
linquat Solum, ut ipsum solum abit.
Hinc propter quandam similitudinem
sollicitare dicimur mentem, cum eam
spe, metu, aut qualibet alia ratione

de sua sententia movere tentamus.
Sic ergo qui duello pugnant, quod
mortem veluti de suis sedibus pulsam
ad semetipsos movere videantur, hi
mortem dicuntur propria manu soli-
citare: quemadmodum Seneca in
Herenl. Fnr. vs. 867. canit: ‘Quid
juvat durum properare fatum? Omnis
hæc magnis vaga turba terris Ibit ad
manes, facietque inertem Vela Coccyto.’

^r *Si mortem petitis, &c.*] Philoso-
phia videtur deinceps afferre causas
mortis. Causa autem mortis duplex.
Una interior, sive naturalis elemen-
torum, ex quibus homo constat, com-
positio: et hæc notatur his verbis,
‘propinquat ipsa sponte sua.’ Altera

Quos serpens, leo, tigris, ursus, aper^{4 s} 5
 Dente petunt, iidem se tamen ense petunt.
 An distant quia, dissidentque mores,
 Injustas acies et fera bella movent,
 Alternisque volunt perire telis?
 Non est justa satis sævitix ratio.^t 10
 Vis aptam meritis vicem referre? ^u
 Dilige jure bonos,^v et miserescere malis.

Scilicet homines sese perimunt gladio, quos serpens, leo, tigris, ursus, et apri perimunt dentibus. Num idcirco instruunt exercitus iniquos, parant arma crudelia, cupiuntque occumbere telis reciprocis, quod eorum mores inter se differunt ac dissentiunt? hæc causa sæviendi non est satis æqua. Optasne rependere meritum simile merito simili? ama, ut æquum est, bonos, et miserere improborum.

~~~~~

4 'Apri. Sic, licet repugnent etiam veteres libri, scripsisse videtur potius Boëthius, quam immani illa licentia usus, si retinueris, *aper*, quam non admittunt hendecasyllabi.' Vallin. Vid. inf.

#### NOTÆ

exterior, quæ rursus ponitur in duplici discrimine: hæc enim mors est vel a feris, cujusmodi sunt 'serpens, leo, tigris, ursus, aper;' vel ab aliis hominibus, qui veluti indignantes, mortem prædictis causis acceleratam longiores moras agere, hanc conversis in sese invicem armis advocant.

<sup>s</sup> *Aper* [*apri*] Sic legimus cum Valino, non *aper*: quod hujus prima syllaba semper corripitur: alioquin *apri* non haberet primam syllabam communem: sicut 'matris' et 'fratris' priores syllabæ non sunt communes, quod mater et frater primis syllabis producantur.

<sup>t</sup> *Non est justa satis sævitix ratio*] Alterius cogitationes tuis cogitationibus contrariæ nullum tibi dare possunt jus necis in alterum hominem: cum vita humana ita in summa solius Dei potestate versetur, ut neque iudici, neque ipsi Regi, nisi quatenus hic vices Dei gerit, fas sit hominem

interficere: 'ad imaginem quippe Dei,' inquit Deus Genes. 9. 'factus est homo.'

<sup>u</sup> *Vis aptam meritis vicem referre*] Par pari cogitando referre, sive cogitationes cogitationibus compensare.

<sup>v</sup> *Dilige jure bonos*] Quod enim amor nequeat nisi amore compensari, justitiæ est bonos, a quibus diligimur, a nobis diligere. Neque tamen sequitur odium odio compensandum: sed

*Miserescere malis*] Nihil quippe rationi magis consentaneum quam miserorum misereri: mali autem omnes miseri sunt, cum propter rationes prædictas, tum maxime quia peccando deficiunt: miser quippe, si credamus Varroni l. iv. de L. L. dicitur a minus, utpote cui cum opus est, minus nullo est; vel, ut placet Cujacio, a Græco *μῦσος*, scelus.

## PROSA V.

Hic ego, Video, inquam, quæ sit vel felicitas vel miseria in ipsis proborum atque improborum meritis constituta. Sed in hac ipsa fortuna populari<sup>k</sup> non nihil boni malive inesse perpendo. Neque enim sapientum quisquam<sup>w</sup> exul, inops, ignominiosusque esse malit potius, quam pollens opibus, honore reverendus, potentia validus, in sua permanens urbe florere. Sic enim clarius testatiusque<sup>l</sup> sapientiæ tractatur officium, cum in contingentes populos regentium quodam modo beatitudo transfunditur: cum præsertim carcer, nexus,<sup>m 5</sup> ceteraque legalium tormenta pœnarum perniciosius potius civibus, propter quos etiam constituta sunt, debeantur. Cur hæc igitur versa vice mutantur, scelerumque supplicia bonos premant, præmia virtutum mali rapiant, vehementer admiror; quæque tam injustæ confusionis ratio videatur, ex te scire desidero. Minus enim<sup>6</sup> mirarer,<sup>x</sup> si misceri omnia fortuitis casibus crederem.<sup>7</sup> Nunc stuporem meum Deus rector exaggerat,<sup>n</sup> qui cum sæpe bonis jucunda, malis aspera; contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat; nisi causa depre-

<sup>k</sup> *Vulgari.*    <sup>l</sup> *Apertiusque.*    <sup>m</sup> *Vincula.*    <sup>n</sup> *Auget.*



<sup>5</sup> Ed. Hack. pro *nexus* legit *lex*.—<sup>6</sup> *Minus etenim* ed. eadem cum Delph.—  
<sup>7</sup> Ms. Rittersh. *viderem*.

## NOTÆ

<sup>w</sup> *Neque enim sapientum quisquam, &c.*] I. Boëthius, ut sibi videtur, more sapientis miratur, bonis adversa, malis prospera accidere, duplici de causa. Prima est, quod populi sapientibus ducibus facilius crederent, eorundemque præcepta observarent religiosius, si sapientum ducum felicitatem una cum sapientia populis infundi viderent. Altera, quod supplicia non nisi improbis videantur constituta. Supplicia autem hic dicuntur ‘carcer’ et ‘nexus.’ ‘Nex-

us’ quidem, sive, ut alii legunt, *lex*; quoniam vinculis premi supplicium est. ‘Carcer’ vero etiam a Lucretio inter alia suppliciorum genera numeratur lib. III. ‘Sed metus in vita pœnarum pro malefactis Est insignibus insignis, scelerisque luela, Carcer et horribilis de saxo jactu’ deorsum, Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.’

<sup>x</sup> *Minus enim mirarer, &c.*] II. Boëthius eo magis miratur, bonis adversa, malis prospera accidere, quod Deus



hendatur, quid est quod a fortuitis casibus differre videatur? Nec mirum,<sup>y</sup> inquit, si quid ordinis ignorata ratione temerarium confusumque credatur. Sed tu quamvis causam tantæ dispositionis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites.

## NOTÆ

infinite sapiens, bonus, et potens, mundum regat: Deus enim accusari non potest aut ignorantia, qua nesciat has vices; aut malitia, qua velit; aut impotentia, qua sciens volensque has vices nequeat mutare. Id mirabatur etiam David Psal. 72. 'Mei autem pæne moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.' Id etiam mirabatur Jeremias cap. 12. 'Quare via im-

piorum prospera, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt?'

<sup>y</sup> *Nec mirum, &c.*] III. Philosophia respondet, hanc admirationem, ut ceteras, oriri ex ignoratione causæ: sed ignorationem hanc non esse legitimum argumentum, ex quo concludi possit, Deum non esse bonum mundi rectorem, aut omnia non recte fieri: sicut deinceps eadem Philosophia probabit.

## METRUM V.

SI quis Arcturi<sup>z</sup> sidera nescit  
 Propinqua summo cardine labi,  
 Cur legat<sup>8</sup> tardus plaustra Bootes,  
 Mergatque seras æquore flammæ;

*Si quis ignoret stellas Ursæ verti prope supremum polum, hic admirabitur vehementer legem cæli sublimis, qua Bootes, qui habet ortum velociorem, lentus agat*

8 'Quid si pro legat reponamus regat?' Sitzm. *Regat* habet ed. Delph.—

## NOTÆ

<sup>z</sup> *Arcturi*] Arcturnus dicitur ab ἄρκ-  
 τος ursa et οὐρά cauda, quasi Ursæ  
 cauda, est stella omnium, ex quibus  
 major Ursa constat, maxime polo vi-  
 cina: unde dici solet stella polaris:  
 quare cum polus arcticus, ab hac Ur-  
 sa sic vocatus, nobis semper appa-  
 reat, utpote nostro horizonte subli-

mior, idcirco stella hæc, cum antipo-  
 das horreat, nunquam occidit: hinc  
 Virgil. Georg. I. vs. 246. 'Arctos  
 oceani metuentes æquore tingi.' Sci-  
 licet propter odium Junonis, ut fin-  
 gunt poëtæ, quæ, quod majorem Ur-  
 sam in cælum admissam ægre ferret,  
 Tethyn rogavit, ut suis hanc pellicem

Cum nimis celeres explicet ortus, 5  
 Legem stupebit ætheris alti.  
 Palleant plenæ cornua Lunæ<sup>a</sup>  
 Infecta metis noctis opacæ,  
 Quæque fulgenti texerat ore,  
 Confusa Phœbe detegat astra: 10

*currum suum, et nunquam demittat ignes suos tardos in mare. Si orbita Lunæ plenæ palleat, fœdata terminis noctis obscuræ, et quæ Luna velaverat vultu splendido stellas minores, hæc obscurata revelet easdem stellas; hinc error communis*

## NOTÆ

sineret aquis lavari. Idem Arcturus vocatur etiam Arctophylax, et Bootes, de quo fit sermo in 3. versu. Arctophylax quidem, sive custos Ursæ, sive, ut loquitur Ovidius, 'custos Erimanthidos Ursæ,' quod videatur Ursam, quam semper comitatur, custodire. 'Bootes' vero sive bubulcus, quia stellis formam boum currusque referentibus instar cujusdam bubulci adhæret: hinc Propertio dicitur 'versare boves et plaustra Bootes.' Juvenal. Sat. v. vs. 22. 'Aut illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.' Illud porro sidus triplici hoc nomine donatum, recte dicitur 'summo cardine,' cui 'propinquum' est, 'labi;' adeoque hinc 'tardum seras flammæ in æquore mergere,' inde vero 'celerè explicare ortus.' Primum quidem sidus illud summo cardine labitur: quia vertitur ad polum Septemtrionalem, qui nobis semper apparet, et in quo tanquam in altero Mundi cardine orbis cœlestis verti fingitur. Deinde idem sidus tardum seras in mari mergit flammæ: quoniam nunquam infra nostrum horizontem descendens, nunquam occidit. Denique idem sidus celeres explicat ortus: quod majori duntaxat Solis lumine occultatum statim atque lumen solare objecta terra minutum est, emicat. Ille autem qui hanc causam ignorat, præ-

dicta miratur.

<sup>a</sup> Palleant plenæ cornua Lunæ] Luna, quæ etiam dicitur Phœbe, quod per noctem splendeat, est corpus cœlestis opacum, quod solari lumine ita relucet, ut modo angulatam, modo rotundam splendoris formam exhibeat. Contingit autem aliquando, ut inter Solem, et Lunam plenam sive rotundo splendore relucentem, terra ita interjaceat, ut Luna umbris terrestribus obscurata rotundum suum splendorem statim amittat, et stellæ, quæ majori Lunæ lumine offusæ ante latebant, incipiant emicare: tum veteres, qui falsa superstitione existimabant hinc quidem Lunam carminibus pati hoc deliquium, inde vero tinnitu æris vel cymbalorum liberari, ad 'æra Lunæ auxiliaria,' ut vocat Tibullus, confugiebant: idem Tibullus, 'Cantus et e curru Lunam deducere tentat; Et faceret, si non æra repulsa sonent.' Juvenalis Sat. vi. l. ii. vs. 440. 'Tot pariter pelves, tot tinnabula dicas Pulsari: jam nemo tubas, nemo æra fatiget: Una laboranti poterit succurrere Lunæ.' Nemo nescit vulgatum illud Virgilio Ecl. viii. vs. 69. 'Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.' Hæc autem omnia, quæ sex prædictis versibus eleganter describuntur a Philosophia, ideo miratur vulgus, quia horum causam nescit.



Commovet gentes publicus error,  
 Lassantque crebris pulsibus æra.<sup>9</sup>  
 Nemo miratur<sup>b</sup> flamina Cori  
 Littus frementi tundere fluctu,  
 Nec nivis duram frigore molem 15  
 Ferventi<sup>10</sup> Phœbi solvier æstu;  
 Hic enim causas cernere promptum est:  
 Illic latentes pectora turbant  
 Cuncta, quæ rara provehit ætas;  
 Stupetque subitis<sup>c</sup> mobile vulgus. 20

*turbat populos, qui propterea repetitis ictibus fatigant cymbala. Nemo miratur, ventos Cori ferire oras marinas undis tumultuantibus, neque cumulum nivis frigore induratum liquari calore vehementi Solis; nam hic facile est cognoscere causas: illic causæ occultæ perturbant admiratione omnes mentes. Plebecula inconstans*

9 Ed. Hack. legit aëra.—10 *Fervente* eadem ed. cum Delph.—11 *Insciti*

## NOTÆ

<sup>b</sup> *Nemo miratur, &c.*] Postquam Philosophia quædam protulit, quæ homines propter ignorantiam causarum mirari solent; contraria refert, quæ iidem homines non mirantur, quod illorum causas norint. Primum quidem homines non mirantur ‘Corum’ sive ‘Caurum,’ ventum ab occasu æstivo spirantem, ‘fluctu frementi tundere’ oras marinas; quod iisdem notum sit, ventum hunc esse corpus commotum, corpusque commotum naturaliter tundere corpora obvia. Deinde iidem homines non mirantur, molem nivis frigore induratum fervente Solis æstu liquefieri; quod sciant, quietas nivis duræ partes moveri posse a commotis solaris æstus particulis.

<sup>c</sup> *Quæ rara provehit ætas; [,] Stupetque subitis*] Ignara plebecula admiratur quæcumque et raro et subito contingunt. Nimirum admiratio est subita commotio mentis attentius spectantis ea, quæ nova videntur et magna:

unde causa hujus perturbationis est res et rara et subita. Rara quidem: nam, ut barbari loquuntur, ‘ab assuetis non fit passio.’ Subita vero: quoniam, ut recte ait S. Gregorius: ‘jacula quæ prævidentur, minus feriunt.’ Verum, inquit Grammaticus, quo jure hic variatis casibus dicitur vulgus stupere ‘rara’ et ‘subitis?’ num conjunctio pares optat casus? Optat, inquam, pares casus: sed non raro, posthabita verborum constructione, sensu duntaxat junguntur: sic Cicero dixit: ‘emi centum aureis et pluris:’ quanquam hic constructio solita non mutatur: sed verbum quoddam tacitum debet intelligi: quasi diceretur ‘stupet quæ rara sunt, et stupet subitis:’ sicut enim Tullius dixit II. de Fin. ‘nos Varrones stupemus:’ sic Horatius I. I. Satyr. Sat. 4. cecinit, ‘Hunc capit argenti splendor: stupet Albius ære.’

Cedat inscitiae<sup>ii d</sup> nubilus error,  
Cessent profecto mira videri.

*miratur ea quæ raro et subito eveniunt. Error obscurus ignari vulgi fucessat, hæc certe desinent videri admirabilia.*

Delph. Vid. Not. inf.

NOTÆ

<sup>d</sup> *Cedat inscitiae* [*insciti*] Ignari: enim hujus carminis ferre non pos-  
quanquam omnes hic legant, *inscitiae*; sunt *inscitiae*, cujus secunda syllaba  
existimavimus tamen deleta ultima producitur Horatio Satyr. l. II. Sat.  
syllaba, quæ scriptorum inscitia fa- 2. 'Illum aut nequities aut vafri in-  
cile introduci potuit, legendum esse scitia juris.'

*insciti*, hoc est, ignari vulgi: leges

PROSA VI.

ITA est, inquam. Sed cum tui muneris sit latentium re-  
rum causas evolvere, velatasque caligine explicare rationes;  
quæso uti hinc decernas,<sup>o</sup> et, quoniam hoc me miraculum  
maxime perturbat, edisseras.<sup>p</sup> Tum illa paulisper arridens,  
Ad rem me, inquit, omnium quæsitum maximam vocas, cui  
vix exhausti quicquam satis sit.<sup>q</sup> Talis namque materia  
est, ut una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, velut  
hydræ<sup>r</sup> capita, succrescant: nec ullus fuerit modus, nisi  
quis eas vivacissimo mentis igne coërceat. In hac enim de  
Providentiæ simplicitate,<sup>e</sup> de Fati serie, de repentinis casi-  
bus, de cognitione, ac prædestinatione divina, de arbitrii li-  
bertate quæri solet: quæ quanti oneris sint, ipse perpendis.

<sup>o</sup> *Ut hac de re dicas tuam sententiam.*    <sup>p</sup> *Exponas.*    <sup>q</sup> *Dici potest aliquid  
satis accuratum.*    <sup>r</sup> *Serpentis plurimum capitum.*

NOTÆ

<sup>e</sup> *In hac enim de Providentiæ simpli- meræ aliæ oriuntur: hujusmodi sunt  
citate, &c.]* 1. Philosophia indicat ma- divina Providentia, Fatum, Concor-  
teriam deinceps sibi tractandam, in dia Libertatis humanæ cum divina  
qua, una dubitatione succisa, innu- Prænotione. 'Hydra' autem, cujus



Sed quoniam hæc quoque te nosse, quædam medicinæ tuæ portio est, quanquam angusto limite temporis septi, tamen aliquid delibare<sup>s</sup> <sup>12</sup> conabimur. Quod si te musici carminis oblectamenta delectant, hanc oportet paulisper differas voluptatem, dum nexas sibi <sup>13</sup> ordine contexo rationes. Ut libet, inquam. Tum velut ab alio orsa principio,<sup>f</sup> ita deseruit: Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium <sup>14</sup> naturarum progressus, et quicquid aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas, ex divinæ mentis stabilitate<sup>g</sup> sortitur. Hæc, in suæ simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit: qui modus cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nomi-

<sup>s</sup> *Leriter attingere.*      <sup>g</sup> *Constantia.*

12 *Scriptam lectionem in contextum admisi: vulgati insulse: aliquid deliberare.* Bernart. Sitzm. *Omnes: deliberare.* Vallin.—13 *Mss. tibi.*—14 *Ms.*

#### NOTÆ

similitudine nunc utitur Philosophia, quinquaginta, vel, ut alii volunt, centum habebat capita, quorum uno absciso, dno renascebantur, donec Hercules, amputato unoquoque capite, vulneri ignem admoverit. De Lernæa hac bestia infra dicetur Metro VII. hujus lib. vs. 22.

<sup>f</sup> *Tum velut ab alio orsa principio]*  
II. Philosophia indicat modum, quo deinceps disputabitur. Nimirum cum Deus non minus sit causa prima, quam finis ultimus rerum omnium, Philosophia ad suum institutum probandum argumenta desumere potest a Deo in utroque hoc genere causæ: quæ autem hactenus expositæ sunt rationes, hæc a Deo veluti fine acceptæ sunt: quare quæ deinceps afferentur, ipsæ a Deo velut a causa efficiente prima accipientur: hinc Philosophia incipit: quicquid, inquit, creatur, conservatur, et aliquo modo afficitur, illud a Deo velut a prima causa creatur, conservatur, et modi-

ficatur: quod eum id eodem eoque simplici semper modo fiat, propterea ab una eaque simplici mente, nimirum Deo, fiat, necesse est. Sic *divina mens multiplicem rebus gerendis modum statuit, qui modus, cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur; cum vero ad ea quæ movet atque disponit, refertur, Fatum a Veteribus appellatur.* Sitne *puritas* vox Latina, dubitatur. Alii aiunt, alii negant. Scioppius in *Animadversionibus in Vossium*, suum huic dictioni jus Latinitatis restituere conatus, ait: *sin autem impuritatem Vossius Latinum esse assentitur propter Ciceronis auctoritatem, ipsius quoque iudicio puritas minime barbarum videri debet... Meo ergo iudicio potest jam Vossius securo esse animo, et quamvis in veterum auctorum libris qui sunt reliqui (cum maximam eorum partem interiisse, eoque innumerarum vocum Latinarum jacturam factam*

natur: cum vero ad ea, quæ movet atque disponit, refertur, Fatum a Veteribus appellatum est. Quæ diversa esse, facile liquebit, si quis utriusque vim mente conspexerit. Nam Providentia<sup>g</sup> est illa ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit: Fatum vero inhærens<sup>h</sup> rebus mobilibus dispositio, per quam Providen-

## NOTÆ

esse constet) puritatis vocabulum non invenerit; quia tamen impuritatem in Cicerone legimus, non habet cur seipsum unaque secum alios doctissimos homines in vulgi barbari turbam conjiciat.' At quamvis Cicero dixerit 'infinitem,' 'infirmationem,' Terentiusque 'infortunium;' non inde sequitur, 'finitatem,' 'firmationem,' 'fortunium' voces esse Latinas.

<sup>g</sup> Nam Providentia, &c.] III. Philosophia affert definitionem divinæ Providentiæ: 'est,' inquit, 'illa ipsa divina ratio in summo omnium principè constituta, quæ cuncta disponit.' Quæ quidem definitio, quia ab omnibus Theologis propugnatur, ideo diligentius videtur exponenda. Igitur dicitur 1. 'ratio:' cum enim 'ratio' dicatur a 'reor,' cumque 'reor' idem sit quod puto sive cogito, propterea cogitatio omnis recte dicitur 'ratio:' hinc autem factum arbitror, ut 'ratio' etiam Tullio sit mens, intelligentia, consilium, judicium, argumentatio, institutum, et cetera id genus. Omnis autem Providentia quædam est cogitatio: quandoquidem quædam est qualitas menti insita, cujus mens ipsa proxime conscia est. Igitur Providentia est ratio. Verum cum cogitatio duplicis sit generis, nimirum notio et voluntas, quæstio est inter Theologos, utrum Providentia sit notio tantum, utrum voluntas tantum, utrum notio simul et voluntas; quod ultimum video pluribus probari, quanquam iidem inter

se disputent, utra ex his duabus cogitationibus præcipua sit in ipsa Providentia. Hinc Providentia divina a Ludovico Vives definitur, voluntas Dei consilio universa gubernantis. Dicitur 2. 'divina:' nam Providentia dici potest de omni mente, sive divina sive etiam creata: immo cum 'Providentia,' auctore Tullio, sit 'per quam futurum aliquid videtur antequam factum sit;' cumque menti divinæ nihil futurum sit; contra vero mentibus creatis plura sint futura; idcirco Providentia melius rectiusque dicitur de ceteris mentibus, quam de divina. Hic tamen non agitur nisi de Providentia divina; quæ propterea debuit dici 'ratio divina,' sive cogitatio divinæ mentis. Dicitur 3. 'in summo omnium principe constituta:' quia Providentia divina est attributum Dei, quatenus Deus est summus omnium princeps: summi quippe principis est, providere omnibus. Sapientiæ 6. 'æqualiter cura est illi de omnibus:' et cap. 8. 'attingit a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.' Dicitur 4. 'quæ cuncta disponit:' quoniam providæ mentis est, pro eo quem sibi propouit fine, materiam sibi subjectam suo quamque ordine et loco ponere. Hinc Providentia divina definitur a S. Thoma 'ratio ordinis rerum in finem.'

<sup>h</sup> Fatum vero inhærens, &c.] IV. Philosophia subjicit definitionem Fati: 'Fatum,' inquit, est 'inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Pro-



tia suis quæque nectit ordinibus. Providentia namque cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complexitur: Fatum vero singula digerit in motum,<sup>15</sup> locis, formis, ac temporibus distributa: ut hæc temporalis ordinis explicatio, in divinæ mentis adunata prospectu,<sup>u</sup> Providentia sit; eadem vero adunatio digesta, atque explicata temporibus, Fatum vocetur. Quæ licet diversa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis ex Providentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex, faciendæ rei formam mente percipiens, movet operis effectum, et quod simpliciter, præsentarieque<sup>v</sup> prospexerat, per temporales ordines ducit; ita Deus Providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit; Fato vero<sup>16</sup> hæc ipsa, quæ

<sup>u</sup> Notione.    <sup>v</sup> Et imaginando.

Erfurt. *cunctusque mirabilium*.—15 Thuan. secundus: *digerit immotum*. Thuan. primus, et Reg. *in motu*: recte, censente Vallin.—16 'Meus codex

#### NOTÆ

videntia suis quæque nectit ordinibus: quod etiam clarius interpretari conabimur. Primum igitur Fatum, interpretatione nominis, nihil est aliud, quam divinæ voluntatis signum, sive dictum divinum: nam iudicio Varronis, quod Parcæ constituerunt nascenti, a fando Fatum est dictum: atque hoc modo S. Aug. l. v. de Civit. D. cap. 9. ait, apud Christianos esse Fatum: 'non enim,' inquit, 'abnuere possumus esse scriptum in literis sanctis: semel locutus est Deus... quod enim dictum est, semel locutus est, intelligitur immobiliter, hoc est, incommutabiliter est locutus, sicut novit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, et quæ ipse facturus est.' Lucanus in nono 'Non vocibus ullis Numen eget, dixitque semel nascentibus auctor, Quicquid scire licet.' Deinde Fatum est dispositio: quia est ipsa res creata, corpus nimirum, aut mens suo tempore, loco, aut quocumque alio modo affecta; id quippe

est Dei volentis jussum dictumque. Præterea dispositio hæc 'inhæret rebus mobilibus:' est enim Fatum, modus rei duntaxat creatæ: utpote quæ nec fieri, nec conservari, nec quocumque modo affici, nisi divina voluntate, cuius illa dispositio est signum, potest. Insuper 'per hanc dispositionem rebus mobilibus inhærentem divina Providentia suis quæque nectit ordinibus:' nam 'equidem,' inquit Q. Curtius, 'æterna constitutione crediderim nexuque causarum latentium et multo ante destinatarum suum quæque ordinem inmutabili lege percurrere.' Uno verbo, Fatum est ipse patiendi agendique modus, quo res mobilis ab immobili Deo sapientissime afficitur: quod evidentiùs patebit consideranti sequentia Providentiæ et Fati discrimina, quæ deinceps a Philosophia proponetur, veluti quædam prædictæ utriusque definitionis consecutaria.

disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat. Sive igitur, famulantibus<sup>i</sup> quibusdam Providentiæ divinis spiritibus, Fatum exercetur, seu anima, seu tota inserviente natura, seu cœlestibus siderum motibus, seu angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus horum, seu omnibus, fatalis series texitur; illud certe manifestum est, immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse Providentiam; Fatum vero eorum quæ divina simplicitas gerenda esse disposuit, mobilem nexum, atque ordinem temporalem. Quo fit<sup>k</sup> ut omnia, quæ Fato subsunt, Providentiæ quoque subjecta sint: cui ipsum etiam subjacet Fatum. Quædam vero quæ sub Providentia locata sunt, Fati seriem superant.<sup>17</sup> Ea vero sunt quæ, primæ propinqua divinitati stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt. Nam ut orbium circa eundem cardinem sese vertentium, qui est intimus, ad simplicitatem medietatis accedit, ceterorumque extra locatorum veluti cardo quidam, circa quem versentur, existit: extimus vero majore ambitu rotatus, quanto a puncti media<sup>18</sup> individuitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur: si quid vero illi se



*Fatum vero: recte.* Bernart.—17 *Superent* edd. Delph. et Hack.—18 Mss.

#### NOTÆ

<sup>i</sup> *Sive igitur, famulantibus, &c.*] Etiam si constet, Fatum quendam esse rei mobilis modum, constetque præterea, modum hunc esse a Deo, tanquam a prima causa; dubitari tamen potest, ntrum Fatum sit a Deo proxime, an famulantibus quibusdam aliis rebus: hinc Philosophia quasdam Philosophorum hac de re perstringit opiniones, quarum nullam ceteris anteponit; quod quamvis Deus utatur geniis cum bonis tum malis; spiritu universi; elementis; corporibus cœlestibus; et aliis ejusmodi rebus ad Fatum aliquod exercendum, nulla tamen est ex his rebus, qua Deus utatur generatim ad movendas

reliquas res creatas, sive ad omne Fatum.

<sup>k</sup> *Quo fit, &c.*] Ex dictis Philosophia conficit, Providentiam divinam latius patere Fato, quatenus quæcumque Fato subsunt, hæc etiam Providentiæ subjiciuntur; sed quæcumque subjiciuntur Providentiæ, hæc non ita Fato subsint: non quod res ulla creata possit, Deo non modificante, modificari; sed quod non omnis res creata æque sit mutabilis: cum enim Fatum sit ‘dispositio rebus mobilibus inhærens,’ ex rebus creatis quædam magis, quædam minus Fato subjici dicuntur, prout magis aut minus a prima mente discedentes magis



medio connectat et societ, in simplicitatem cogitur, diffundique ac diffluere cessat: simili ratione, quod longius a prima mente<sup>w</sup> discedit, majoribus Fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid Fato liberum est, quanto illum rerum cardinem vicinius petit. Quod si supernæ mentis hæserit firmitati, motu carens, Fati quoque supergreditur<sup>x</sup> necessitatem. Igitur uti est ad intellectum<sup>y</sup><sup>1</sup> ratiocinatio; ad id quod est, id quod gignitur; ad æternitatem tempus; ad puncti medium circulus: ita est Fati series mobilis ad Providentiæ stabilem simplicitatem. Ea series cœlum ac sidera movet, elementa in se invicem temperat, et alterna commutatione transformat. Eadem<sup>z</sup> nascentia occidentiaque omnia per similes foetuum seminumque renovat progressus.<sup>19</sup> Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexionem constringit: quæ cum ab immobilis Providentiæ proficiscantur<sup>20</sup> exordiis, ipsas quoque<sup>a</sup> immutabiles<sup>1</sup> necesse est esse.<sup>2</sup> Ita enim res optime reguntur, si manens in divina mente simplicitas indeclinabilem causarum ordinem promat; hic vero ordo res mutabiles, et alioqui temere fluituras, propria incommutabilitate<sup>b</sup> coërceat. Quo fit ut, tametsi, vobis hunc ordinem minime considerare valentibus, confusa omnia perturbataque videantur, nihilominus tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponat. Nihil est enim quod mali causa nec<sup>3</sup> ab ipsis quidem improbis fiat: quos, ut uber-

<sup>w</sup> Deo.    <sup>x</sup> Transcendit.    <sup>y</sup> Intelligentiam.    <sup>z</sup> Series.    <sup>a</sup> Fortunas.  
<sup>b</sup> Constantia.

cum ed. Norimb. et Flor. ad punctum medium.—19 Ms. Rittersh. *revocat progressus*.—20 Vict. uterque, et uterque Thuan. *proficiscatur*.—1 Vict. secundus: *ipsam quoque immutabilem*.—2 *Esse necesse est* Delph. Hack.—3 *Causa ne*

#### NOTÆ

aut minus obnoxia sunt mutationi: quod Philosophia exponit exemplo plurimorum orbium circa immotum eundem axem ita actorum, ut quo ad axem magis aut minus accedunt, eo minori aut majori motu cieantur.

<sup>1</sup> Igitur uti est ad intellectum, &c.] Nimirum ut ex intellectu sive intelli-

gentia, (quæ nihil est aliud quam cognitio clara et distincta, quæque est norma ut sententiæ sic ratiocinationis veræ certæque,) constante et veluti immota oritur ratiocinatio, quæ est veluti progressus mentis unum iudicium ex pluribus aliis probantis vel improbantis: ut ex materia, ea-

rime<sup>c</sup> demonstratum est, bonum quærentes pravus error avertit, nedum<sup>d</sup> ordo de summi boni cardine proficiscens a suo quenquam<sup>4</sup> deflectat exordio. Quæ vero, inquires, potest ulla<sup>m</sup> iniquior esse confusio, quam ut bonis tum adversa, tum prospera; malis etiam tum optata, tum odiosa contingant? Num igitur ea mentis integritate homines degunt, ut quos probos improbosve censuerint,<sup>5</sup> eos quoque, uti existimant, esse necesse sit? Atqui in hoc hominum judicia depugnant;<sup>e</sup> et quos alii præmio, alii supplicio dignos arbitrantur. Sed concedamus ut aliquis possit bonos malosve discernere. Num igitur poterit intueri illam intimam temperiem, veluti in corporibus dici solet, animorum? Non enim dissimile est miraculum nescienti, cur sanis corporibus, his quidem dulcia, illis vero amara convenient: cur ægri etiam quidam lenibus, quidam vero acribus adjuvantur. At hoc medicus, qui sanitatis ipsius atque ægritudinis modum temperamentumque dignoscit, minime miratur. Quid vero animorum aliud<sup>6</sup> salus videtur esse, quam probitas? quid ægritudo, quam vitia? Quis autem alius vel servator bonorum, vel malorum depulsor, quam rector ac medicator mentium

<sup>c</sup> *Abundantissime.*<sup>d</sup> *Tantum abest, ut.*<sup>e</sup> *Inter se opponuntur.*

edd. eædem.—4 ‘Vetus, *quoquam*: quod proprius rimanti non improbabitur.’ Bernart. ‘Thuan. uterque, Reg. et Vict. secundus: *suo quoquam*: bene.’ Vallin.—5 Vict. secundus: *censuerunt*.—6 *Aliud animorum* Delph. Hack.—

## NOTÆ

dem manente, diversa generantur corpora, v. g. seges, triticum, panis, sanguis, caro: ut ab æternitate, quæ est diuturnitas rei sine principio et sine fine existentis, procedit tempus quod est diuturnitas rei cum principio et fine existentis: ut centro immoto movetur circulus: ita Providentiæ Dei immotæ subjicitur Fati series mobilis.

<sup>m</sup> *Quæ vero, inquires, potest ulla, &c.]*  
IV. Philosophia ex prædictis princi-

piis infert, non minus Providentiæ quam Fati esse, quod bonis etiam adversa, et malis etiam prospera contingant: sive quia quos probos improbosque homines censent, hi tales non sunt, Deo iudice; sive etiam quia ut corporum sic mentium diversa est temperies. Primum quidem, quod homines ignorent, Deus vero perfectissime noscat omnium hominum cogitationes, fieri potest ut humanum divinumque iudicium de bo-



Deus? Qui, cum ex alta Providentiæ specula<sup>f</sup> respicit,<sup>7</sup> quid unicuique conveniat, agnoscit, et quod convenire novit, accommodat. Hinc jam fit illud fatalis ordinis insigne miraculum, cum a sciente geritur quod stupeant ignorantes. Nam ut pauca, quæ ratio valet humana, de divina profunditate<sup>g</sup> perstringam, de hoc quem tu justissimum et æqui servantissimum putas, omnia scienti Providentiæ diversum videtur.<sup>h</sup> Et victricem quidem causam Diis, victam vero Catoni placuisse, familiaris noster Lucanus<sup>i</sup> admonuit. Hic igitur quicquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est; opinioni vero tuæ perversa confusio.<sup>k</sup> Sed sit aliquis ita bene moratus, ut de eo divinum iudicium pariter humanumque consentiat: sed est animi viribus infirmus: cui si quid eveniat adversi, desinet colere forsitan innocentiam, per quam non potuit retinere fortunam. Parcit itaque sapiens dispensatio ei quem deteriorem facere possit adversitas, ne, cui non convenit laborare, patiatur. Est alius cunctis virtutibus absolutus, sanctusque, ac Deo proximus: hunc contingi quibuslibet adversis nefas Providentia iudicat; adeo ut ne corporeis quidem morbis agitari sinat. Nam, ut quidam<sup>l</sup> me quoque excellentior ait,<sup>n</sup>

<sup>f</sup> *Vigilia, hoc est, loco, unde vigiles longius prospiciunt.*      <sup>g</sup> *De Deo incomprehenso.*      <sup>h</sup> *Quod tu putas æquum, id ipsum Deus scientissimus iniquum videt.*  
<sup>i</sup> *Philosophiæ peritus.*      <sup>k</sup> *Omnia quidem recte fiunt, sed de eorum eventu male iudicas.*      <sup>l</sup> *Forte Hermes Trismegistus.*

7 Ms. Rittersli. Vict. secundus, Reg. et ed. Norimb. *respexit.*—8 Thuan.

#### NOTÆ

nis perversisque hominibus differat: ut quos Deus probat, hos homines improbant, quosque homines probant, hos Deus improbet: sic quo tempore amici Jobi ipsum damnabant, eodem Jobum Deus absolvebat. Quinetiam hac in re contraria sunt hominum iudicia, 'et quos alii præmio, alii supplicio dignos arbitrantur.' Deinde mentium sic diversa est temperies, saltem habita ratione corporis, cum quo junguntur, ut quædam ipso cor-

pore sint infirmiores, quædam fortiores, quædam veluti libratis viribus æquales: quibus omnibus, Deo providente, modo prospera, modo adversa contingunt, prout hæc conducunt ad vitia removenda, vel ad virtutes promovendas: quod tam ignotum est hominibus, quam 'illa intima temperies animorum.'

<sup>n</sup> *Nam, ut quidam me quoque excellentior ait]* 'Creditur Hermes Trismegistus,' inquit Ascensius, quem

'Ανδρὸς ἱεροῦ σώμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι.<sup>m</sup> Fit autem sæpe uti bonis summa rerum gerenda <sup>8</sup> deferatur, ut exuberans <sup>n</sup> retundatur improbitas. Aliis mista quædam pro animorum qualitate distribuit: quosdam remordet, <sup>o</sup> ne longa felicitate luxurient: alios duris agitari sinit, ut <sup>9</sup> virtutes animi patientiæ usu atque exercitatione confirment. Alii plus æquo metuunt quod ferre possunt: alii plus æquo despiciunt quod ferre non possunt: hos, in experimentum sui, tristibus ducit. Nonnulli venerandum sæculi nomen gloriosæ pretio <sup>10</sup> mortis emerunt.<sup>p</sup> Quidam suppliciis inexpugnabiles exemplum ceteris prætulerunt, invictam malis esse virtutem: quæ quam recte atque disposite, et ex eorum bono quibus accidere videntur, fiant, nulla dubitatio est. Nam illud quoque, quod improbis nunc tristia, nunc optata proveniunt, ex eisdem ducitur causis. Ac de tristibus quidem nemo miratur, quod eos male meritos omnes existimant: quorum quidem supplicia tum ceteros ab sceleribus deterrent, tum ipsos, quibus invehuntur, emendant: læta vero magnum bonis argumentum loquuntur, quid de hujusmodi felicitate debeant judicare, quam famulari <sup>11</sup> sæpe improbis cernant. In qua re illud etiam dispensari <sup>q</sup> credo, quod est forsitan alicujus tam præceps atque importuna natura, ut eum in scelera potius exacerbare <sup>r</sup> possit rei familiaris inopia: hujus morbo Providentia collatæ

<sup>m</sup> Viri sacri corpus virtutes ædificant. <sup>n</sup> Grassata. <sup>o</sup> Affligit. <sup>p</sup> Posteritatis famam illustri morte consecuti sunt. <sup>q</sup> Ideo fieri. <sup>r</sup> Commovere.



uterque, et Vict. primus: *regenda*.—9 'Mss. duris agitatur, ut.' Bernart. 'Agitari sinit. In omnibus deest sinit: male.' Vallin. 'Ms. Alios duris agitari permittit, ut.' Sitzm.—10 'Præfero quod in scripto: gloriosæ præconio.' Bernart.—11 Ms. Rittersh. *quam familiarem*.—12 Uterque Thuan. Reg. et Vict.

#### NOTÆ

Deum effectum fabulatur Gentilitas. Græca autem illa verba 'Ανδρὸς ἱεροῦ, &c. sic reddi debent: 'viri sacri corpus virtutes ædificant:' quanquam enim, teste Apostolo, II. Cor. c. 12. 'virtus in infirmitate perficiatur,' salus tamen corporis, divitiæ, et ce-

teræ ejusmodi prosperitates non raro conducunt ad virtutem colendam: sic Deo dicenti, Jobum esse virum justum et colentem Deum, respondit malus Genius, non esse mirum, cum omnia illi prospera essent. Lib. Job.



pecuniæ remedio medetur. Hic foedatam probris conscientiam spectans,<sup>12</sup> et secum fortunam suam comparans,<sup>13</sup> forsitan pertimescit ne rei, cujus<sup>14</sup> jucundus usus est, sit tristis amissio. Mutabit igitur mores, ac dum fortunam metuit amittere, nequitiam derelinquit. Alios in cladem meritam præcipitavit indigne aucta felicitas.<sup>15</sup> Quibusdam permissum puniendi jus, ut exercitii<sup>16</sup> bonis, et malis esset causa supplicii. Nam ut probis atque improbis nullum foedus est, ita ipsi inter se improbi nequeunt convenire. Quidni? cum a semetipsis, discerpentibus conscientiam vitiis, quique<sup>17</sup> dissentiant, faciantque sæpe quæ, cum gesserint, non fuisse gerenda decernant?<sup>18</sup> Ex quo sæpe summa illa Providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantibus ad virtutis frugem redire, dum se eis dissimiles student esse quos oderant. Sola est enim divina vis cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam<sup>o</sup> cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit,<sup>19</sup> hoc idem<sup>20</sup> licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati. Ἀργαλέον δ' ἐμὲ ταῦτα θεὸν ὡς πάντ' ἀγορεύειν :<sup>s</sup> neque enim fas est homini cunctas divini operis<sup>1</sup> machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare

<sup>s</sup> *Difficile autem est me hæc omnia velut Deum eloqui.*



uterque : *conscientiam expectans.*—13 *'Alia in scriptis lectio, quam ego valde approbo: se cum fortuna sua comparans.'* Bernart. Sic etiam habent edd. Delph. Hack.—14 Mss. et edd. Norimb. Flor. Delph. Hack. *ne cujus ei.*—15 Vulg. *actu felicitas.* Vict. *secundus aucta f.*—16 Thuan. *primus: ut exercitium.*—17 Thuan. *uterque, Reg. et uterque Vict. quisque.*—18 *'Gerenda decernam]* Recte Mss. et ed. Flor. *decernant.'* Sitzm.—19 *Ut ab assignata ordinis ratione discesserit* Vulg. Mss. Erfurt. et ed. Norimb. *ut quod a designata ordinis ratione decesserit.* Reg. *a signati.* *'Forte, ab assignati: recte.'* Vallin. Thuan. *uterque, Vict. secundus, et Flor. decesserit.*—20 Edd. Delph. et Hack. *omittunt voculam idem.*—1 Reg. et Vict. *primus: divinæ operæ.*—2 *Hoc*

#### NOTÆ

<sup>o</sup> *Ordo enim quidam, &c.]* Ut enim est unus sit earundem rerum ordo, rerum omnium creatarum unum est una Providentia, quam utpote infinitam neque animo comprehendere, principium unusque finis, sic necesse

sermone. Hoc tantum prospexisse<sup>2</sup> sufficiat, quod naturarum omnium proditor<sup>1</sup> Deus idem ad bonum dirigens cuncta disponat: dumque ea quæ protulit, in sui similitudinem retinere festinat, malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat.<sup>3</sup> Quo fit ut quæ in terris abundare creduntur, si disponentem Providentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas.<sup>4</sup> Sed video jamdudum te, et pondere quæstionis oneratum, et rationis prolixitate fatigatum, aliquam carminis expectare dulcedinem. Accipe igitur haustum,<sup>5</sup> quo refectus, firmior in ulteriora contendas.

<sup>1</sup> Creator.    <sup>2</sup> Expellit.    <sup>3</sup> Poculum.



*tantum perspexisse* Delph. Hack.—3. Ms. Rittersh. et ed. Norimb. *eliminet*.—  
4 *Usquam esse perpendas* Delph. Hack.

#### NOTÆ

neque verbis explicare possumus: autem hæc omnia me tanquam Deum optime enim Homerus Iliad. M. eloqui.

<sup>5</sup> Ἀργαλέον δ' ἐμὲ, &c. hoc est: difficile

---

### METRUM VI.

SI vis celsi jura tonantis<sup>p</sup>  
Pura solers cernere mente,<sup>q</sup>

*Si desideras advertere providentiam Dei summi, mente diligenti et pura, consi-*

#### NOTÆ

<sup>p</sup> *Jura tonantis*] Providentiam Dei: nam cum hæc 'Providentia' ex dictis 'sit divina ratio in summo omnium principe constituta quæ cuncta disponit,' hæc non immerito vocatur jus divinum, sive lex divina. Deinde vero 'tonans' est Deus: cum enim causæ peculiare fulguris, tonitruum, et fulminis vulgo non innotescant, hæc effecta ita soli Deo tribui consueverunt, ut Poëtæ præsertim nominando 'fulgurantem,' 'tonantem,' et 'fulminantem,' Deum intelligi velint.

<sup>q</sup> *Pura solers cernere mente*] Mente omnibus præjudiciis exuta clare et distincte cognoscere, divinam nimirum Providentiam: hujus autem Providentiæ, judice Philosophia, argumenta sunt ipsæ naturæ leges, quas



Aspice summi culmina cœli.  
 Illic justo fœdere rerum  
 Veterem servant sidera pacem.<sup>r</sup> 5  
 Non Sol rutilo concitus igne  
 Gelidum Phœbes impedit axem :  
 Nec quæ summo vertice mundi  
 Flectit rapidos Ursa meatus,  
 Nunquam occiduo lota profundo, 10  
 Cetera cernens sidera mergi,  
 Cupit Oceano tingere flammās.<sup>s</sup>  
 Semper vicibus temporis æquis  
 Vesper seras nuntiat umbras,  
 Revehitque diem Lucifer alnum. 15  
 Sic æternos reficit cursus  
 Alternus amor : sic astrigeris

*dera vertices cœli sublimis. Hic astra retinent concordiam antiquam rerum, certo fœdere. Sol raptus flamma splendida non impedit currum frigidum Lunæ: neque Ursa, quæ vertitur circa summum polum mundi, licet hinc nunquam abluta fuerit oceano occiduo, inde vero videat cetera astra abluī, studet abluere suos ignes hoc eodem mari. Semper alterna sed justa successione temporis stella vespertina indicat tenebras nocturnas, eademque stella matutina refert lucem fœcundam. Sic amor reciprocus reparat motus perpetuos: sic bellum discors ejectum est e regioni-*

5 Uterque Thuan. et Reg. *tinguere flammās.*—6 *Durare queunt Vict. se-*

#### NOTÆ

videmus observari primum quidem in sideribus; deinde in elementis; postea in ipsis anni tempestatibus; denique in omnibus corporibus viventibus: de quibus seorsum Philosophia dictura est.

<sup>r</sup> *Servant sidera pacem]* 1. Prædictæ Providentiæ leges observantur in sideribus, nimirum in Sole, Luna, Ursa, Lucifero et ceteris stellis. Nam quamvis Sol ita sit corpus lucidum, ut ignis haberi possit, juxta illud Eccl. 43. 'Sol exurens montes, radios igneos exsufflans;' Luna vero ita corpus opacum, ut nisi alieno lumine relucent, frigida potius quam calida haberi debeat, Sol tamen ita

movetur, ut Lunæ circuitum non impediatur. Similiter 'Ursa' polo, cui nomen dedit, vicina ita movetur circa eundem polum, ut occidentibus ceteris sideribus nunquam occidat. Nec secus 'Venus,' quæ alternis noctem diemque prænuntiat, mane Lucifer, sero Vesper, nihil obstantibus ceteris astris constantissime suas alternat vices. Usque adeo verum est sidera præscriptas Providentiæ leges observare. Sed de 'Lucifero' Metro 5. lib. 1. de 'Ursa' Metro 5. l. iv. et de sideribus, quæ, cum occidunt, poëtis dicuntur oceano mergi, passim dictum est.

Bellum discors exulat oris.  
 Hæc concordia<sup>s</sup> temperat æquis  
 Elementa modis, ut pugnancia 20  
 Vicibus cedant humida siccis,  
 Jungantque fidem frigora flammis ;  
 Pendulus ignis surgat in altum,  
 Terræque graves pondere sidant.  
 Iisdem causis<sup>t</sup> vere tepenti 25  
 Spirat florifer annus odores,  
 Æstas Cererem fervida siccatur,  
 Remeat pomis gravis autumnus,  
 Hyemem defluus irrigat imber.  
 Hæc temperies<sup>u</sup> alit, ac profert 30  
 Quicquid vitam spirat in orbe :

*bus stelliferis. Concordia ista moderatur elementa justis legibus, ut humida contraria alternis cedant siccis, et frigida ineant pacem cum calidis ; ignis suspensus evolet sursum, et terra ponderosa subsistat deorsum sua gravitate. His legibus annus florum parens emittit odores tempestate tepida Veris, æstas calida coquit messem, autumnus revertitur onustus pomis, pluvia cadens aspergit hyemem. Hæc temperies nutrit producitque corpus omne quod agit vitam in mundo ; sed eadem*

## NOTÆ

• *Hæc concordia, &c.]* II. Eadem leges Providentiæ servantur in elementis. Elementum dicitur corpus dividuum, quod ita formatum est, ut ex ipso cetera componantur. Vulgo quatuor admittuntur elementa, nempe ignis, aër, aqua, et terra ; quæ tum qualitatibus, quas vocant alteratrices, cum qualitatibus, quas dicunt motrices, inter se pugnare perhibentur. Qualitates alteratrices, inquit, sunt calor, frigus, humor, et siccitas. Qualitates autem motrices sunt levitas et gravitas. Non agitur hic nisi de concordia ejusmodi elementorum, sive ratione qualitatum alteratricium, quæ sic exprimitur, ‘cedant humida siccis, Jungantque fidem frigora flammis ;’ sive ratione qualitatum motricium, quæ ita notatur, ‘pendulus ignis surgat in altum,

Terræque graves pondere sidant.’

<sup>t</sup> *Iisdem causis, &c.]* III. Iisdem Providentiæ legibus quatuor anni tempestates, nimirum ver, æstas, autumnus, et hyems sibi invicem succedunt. Ver suo tepore flores odoresque emittit. Æstas suo fervore messes siccatur. Autumnus pomis onustus subit ; tandemque Hyems ab imbribus, sive ἀπὸ τοῦ ὑεῖν, pluere, dicta, pluviis agros irrigat : quæ omnia evidentissime hic proponuntur.

<sup>u</sup> *Hæc temperies, &c.]* IV. His etiam divinæ Providentiæ legibus corpora viventia primum quidem in utero formata aluntur, deinde in auras produnt, tandemque peracto vitæ cursu moriuntur : quod admirabile quidem est generatim, sed longe admirabilius speciatim spectatum.



Eadem rapiens condit, et aufert,  
 Obitu mergens orta supremo.  
 Sedet interea <sup>v</sup> conditor altus,  
 Rerumque regens flectit habenas, 35  
 Rex et dominus, fons et origo,  
 Lex et sapiens arbiter æqui;  
 Et quæ motu concitat ire,  
 Sistit retrahens, ac vaga firmat.  
 Nam nisi rectos revocans itus, 40  
 Flexos iterum cogat in orbes,  
 Quæ nunc stabilis continet ordo,  
 Dissepta suo fonte fatiscant.  
 Hic est cunctis communis amor,<sup>w</sup>  
 Repetuntque boni fine teneri: 45

*temperies tollit et occultat idem corpus vivens, illud delens morte ultima. Interim Deus, summus omnium creator, sedet, et disponens moderatur veluti frænis res omnes, ipse princeps, dominus, principium, origo, lex, et prudens moderator æqui; ac quæcumque dat motu cieri, hæc continens moratur firmatque commota. Nisi enim Deus prohibens itiones rectas, rursus promoveret circuitiones, ea, quæ jam cohærent serie firma, a suo principio avulsa perirent. Hoc est, studium commune omnibus,*

## NOTÆ

<sup>v</sup> *Sedet interea, &c.] v. Philosophia docet, illas corporum vicissitudines oriri a Deo providente. Hinc Deus ab eadem Philosophia vocatur ‘conditor,’ ‘moderator,’ ‘Rex,’ ‘dominus,’ ‘fons,’ ‘origo,’ ‘lex,’ et ‘sapiens arbiter:’ ut scilicet his nominibus eam quam insitam habemus Dei ideam notionemve, sed perturbationibus obscuratam, et veluti sopitam, illustret, susciteturque: hac quippe idea seu potius Deo ipso doceute, tandem aliquando cognoscemus, solum Deum esse proprie causam prædictorum motuum quos miramur sive in sideribus, sive in elementis, sive in aliis ejusmodi corporibus: sicut non minus pie quam docte demonstravit Auctor libri de inquisitione veritatis. Hinc eadem Philosophia nunc docet, non solum quietem, sed etiam motum corporum; immo et modos quibus cor-*

*pora moventur, esse ab ipso Deo providente. ‘Sistit retrahens, ac vaga firmat:’ ecce quietem: ‘motu concitat ire:’ ecce motum ipsum: ‘rectos revocans itus, Flexos iterum cogat in orbes:’ ecce modos motus. Atque ne putares Deum id officii commisisse ‘naturæ’ cuidam; ‘formæ,’ ‘qualitatibus,’ ‘accidentibus’ et ceteris ejusmodi, Philosophia addit, fore ut, nisi Deus ipse hæc præstaret, ‘Quæ nunc stabilis continet ordo, Dissepta suo fonte fatiscant.’*

<sup>w</sup> *Hic est cunctis communis amor]* Amor proprie non est nisi mentis, huc, quo Deus saltem generatim impellit, propendentis: sed propter quandam similitudinem amor dicitur etiam corporum, quatenus illa huc etiam, quo Deus impellit, sed mente humana rectius tendunt. Quare cum Deus non agat nisi propter semetip-

Quia non aliter durare queant,<sup>6</sup>  
 Nisi converso rursus amore  
 Refluant causæ quæ dedit esse.

*omnia student teneri fine boni: quoniam quæ Deus condidit, hæc non possunt aliter perseverare, nisi amore iterum converso quidam fiat circuitus causarum.*

cundus, cum edd. Delph. et Hack.

## NOTÆ

sum, hæc corpora Deus non impellit nisi ad se: unde eadem corpora, utpote quæ student hoc pacto 'boni fine teneri,' ad Deum pariter tendunt. Sicque fit circuitus causarum primæ scilicet causæ et finis ultimi; quatenus omnia, quæ oriuntur a Deo tanquam a causa prima, revertuntur ad ipsum Deum tanquam ad finem ultimum: ita ut sine illo cum amoris tum causarum circuitu 'quæ' Deus 'dedit esse,' hæc aliter durare non possent.

---



---

 PROSA VII.

JAMNE igitur vides, quid hæc omnia quæ diximus, consequatur? Quid nam? inquam. Omnem, inquit, bonam prorsus esse fortunam.<sup>w</sup> Et qui,<sup>x</sup> inquam, fieri potest? Attende, inquit: Cum omnis fortuna vel jucunda, vel aspera, tum remunerandi, exercendive bonos, tum puniendi, corrigendique<sup>7</sup> improbos causa deferatur, patet quod omnis bona est,<sup>8</sup> quam vel justam constat esse, vel utilem. Nimis quidem, inquam, vera ratio: et si quam paulo ante docuisti Providentiam, Fatumve considerem, firmis viribus est nixa sententia. Sed eam, si placet, inter eas quas inopinabiles<sup>y</sup> <sup>x</sup> paulo ante posuisti, numeremus. Quid?<sup>z</sup>

<sup>w</sup> Utramque fortunam, nempe prosperam et adversam esse bonam. <sup>x</sup> Quomodo.  
<sup>y</sup> Incredibiles. <sup>z</sup> Quare.

7 Mss. corrigendive.—8 Deferatur; omnis bona est. Delph. Hack.—9 Qui

## NOTÆ

<sup>x</sup> Inopinabiles] Incredibiles, et, ut cet vulgus, præcipatione et præjudicio judicans, id putat incredibile,



inquit.<sup>9</sup> Quia id hominum sermo communis usurpat, et quidem crebro,<sup>a</sup> quorundam malam esse fortunam. Visne igitur, inquit, paulisper vulgi sermonibus accedamus, ne nimium velut ab humanitatis usu recessisse videamur? Ut placet, inquam. Nonne igitur bonum<sup>y</sup> censes esse quod prodest? Ita est, inquam. Quæ vero aut exercet, aut corrigit, prodest? Fateor, inquam. Bona igitur? Quidni?<sup>b</sup> Sed hæc eorum est qui vel in virtute positi, contra aspera bellum gerunt, vel a vitiis declinantes, virtutis iter arripiunt. Negare, inquam, nequeo. Quid vero jucunda, quæ in præmium tribuitur bonis? num vulgus malam esse decernit? nequaquam: verum uti est, ita quoque esse optimam censet. Quid reliqua, quæ cum sit aspera, et justo supplicio malos coërceat,<sup>10</sup> num bonam populus putat? Immo omnium, inquam, quæ excogitari possunt, iudicat esse miserrimam. Vide igitur, ne, opinionem populi sequentes, quiddam valde inopinabile<sup>c</sup> conferimus.<sup>d</sup> Quid? inquam. Ex his enim, ait, quæ concessa sunt, evenit,<sup>e</sup> eorum quidem qui sunt vel in posses-

<sup>a</sup> Ita homines vulgo loquuntur, et quidem sæpius.  
<sup>d</sup> Intulerimus.

<sup>b</sup> Quare non?

<sup>c</sup> In-

<sup>e</sup> Consequitur.



inquit Vulg. Thuan. primus, et Vict. primus: Et qui? inquit.—10 Aspera j. s.

#### NOTÆ

quod sapientibus clara et distincta cognitione iudicantibus verissimum certissimumque videtur: cuius rei plura sunt exempla apud Philosophos, ut de lumine, de coloribus, et ceteris ejusmodi. Sic ergo 'id hominum sermo communis usurpat, et quidem crebro, quorundam malam esse fortunam.' Quare Philosophia ipsius vulgi sermonibus utens probat, omnem fortunam esse bonam, nec nisi ab utentium vitio malam aliquam esse.

<sup>y</sup> Nonne igitur bonum, &c.] I. Philosophia probat vulgo omnem fortunam esse bonam argumento, quod

vocant, 'ad hominem.' Cum utile quoddam sit genus boni, etiam vulgo, cui familiare est, bonum aliud honestum, aliud jucundum, aliud utile censeret, idcirco quicquid utile est, illud, etiam vulgo, bonum habeatur necesse est. Atqui fortuna utraque utilis est, quippe quæ aut exercet aut corrigit. Nimirum fortuna omnis vel proborum est vel improborum; quæ rursus vel adversa solet haberi vel prospera. I. Si hæc fortuna adversa fuerit proborum, eorum videlicet qui virtutem colunt, hæc iisdem prodest, aut ad ipsos absolvendos a peccatis præteritis, aut ad ipsos a futuris ser-

sione, vel in propectu, vel in adeptione virtutis, omnem, quæcumque sit, bonam, in improbitate vero manentibus, pessimam <sup>11</sup> esse fortunam. Hoc, inquam, verum est, tametsi nemo audeat confiteri. Quare, inquit, ita vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur: ut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus. Utrique enim, huic quidem gloriæ propagandæ, illi vero confirmandæ <sup>12</sup> sapientiæ difficultas ipsa, materia est. Ex quo etiam virtus vocatur, <sup>f</sup> quod suis viribus nitens non superetur adversis. Neque enim vos in propectu <sup>g</sup> positi virtutis, diffluere <sup>h</sup> deliciis, et emarcescere <sup>i</sup> voluptate venistis: sed prælium cum omni fortuna nimis acre conseritis. <sup>k</sup> Ne vos aut tristis opprimat, aut jucunda corrumpat, firmis <sup>13</sup> medium viribus occupate. <sup>l</sup> Quicquid autem <sup>14</sup> infra subsistit, aut ultra progreditur, habet contemptum felicitatis, non habet præmium laboris. In vestra est <sup>15</sup> enim situm manu, <sup>z</sup> qualem vobis fortunam formare malitis. Omnis enim quæ videtur aspera, aut exercet, aut corrigit, aut punit. <sup>16</sup>

<sup>f</sup> Virtus a viribus est appellata.    <sup>g</sup> Progressu.    <sup>h</sup> Abundare.    <sup>i</sup> Putrescere.  
<sup>k</sup> Committitis.    <sup>l</sup> Mediocritatem, in qua virtus versatur, tenete.



*m. coërcet* Delph. Hack.—11 *omnem pessimam* edd. eædem.—12 Uterque Thuan. Reg. et Vict. secundus: *conformandæ*.—13 Hunc locum sic expressum exhibent edd. Delph. et Hack. *venistis, prælium . . . conseritis, ne vos . . . corrumpat: firmis, &c.*—14 ‘Thuan. uterque et Reg. *quicquid aut: bene.*’ Vallin.—15 Edd. Delph. et Hack. omittunt voculam *est*.—16 ‘*Nisi aut exercet, aut corrigit, punit.* Sic omnes libri: Planudes quoque: Victorini vero, verbo auctiores: *nisi aut exercet, aut corrigit, aut damnat, punit: sed male.*’ Vallin.

#### NOTÆ

vandos, aut ad eosdem ad virtutem majorem promovendos. 2. Si eadem fortuna prospera fuerit eorundem proborum; hæc vulgi etiam opinione optima est, non solum quia merces est virtutis præteritæ, sed etiam quia ejusdem virtutis futuræ materia est. 3. Si fortuna adversa fuerit improborum, hæc justum est vitiorum supplicium præteritorum, et futurorum frænum, 4. Si fortuna prospera fuerit

ipsorum improborum, hæc non nisi illorum vitio mala est: nam

<sup>z</sup> *In vestra est enim situm manu, &c.*]

II. Philosophia ostendit, fortunam nullam esse malam nisi abutentium vitio: quia quæ bona sunt extra hominis voluntatem, hæc, pro bona aut mala ejusdem hominis voluntate, bona censeri possunt aut mala. Voluntas quippe in moribus præcipue spectatur. Atqui fortuna sive prospera



## NOTÆ

sive adversa, ut patet ex dictis, bonum est extra hominis voluntatem existens. Hæc igitur fortuna ita bona, ut nisi abutentium mala voluntate, aut vitio nunquam sit mala: quare cum improbi, quatenus 'in sua improbitate perseverant,' sua semper abutantur prospera fortuna, idcirco Philosophia concludit 'omnem

improborum' fortunam 'esse pessimam: proborum vero semper bonam: quia 'omnis fortuna, quæ probis videtur aspera, hos, nisi exercet aut corrigit, punit: neque hi etiam probi, ad æternam felicitatem nisi fortuna, quæ iisdem videtur aspera, perveniunt: siquidem—

## METRUM VII.

BELLA bis quinīs<sup>a</sup> operatus annis  
 Ultor Atrides, Phrygiæ ruinis  
 Fratris amissos thalamos piavit.  
 Ille dum Graiæ dare vela classi  
 Optat, et ventos redimit cruore,

5

*Agamemnon Atræi filius, postquam militavit in Trojanos decem annis, vastata Troja ulciscendo piavit uxorem sui fratris Menelai raptam a Paride: sed antea idem Agamemnon volens dare vela navibus Græcis, redimensque ventos (qui ipsi negabantur propter cervum Dianæ ab ipso occisum) sanguine effuso, deposuit pie-*

## NOTÆ

<sup>a</sup> *Bella bis quinīs, &c.*] I. Philosophia probat exemplo Agamemnonis, hominem non frui optatis, nisi post susceptos toleratosque multos labores. Nimirum Paris, Priami Regis Trojanorum filius, instructa classe in Græciam profectus ad Menelaum Spartæ Regem pervenit, Helenamque ejus uxorem rapuit: quod inique ferens Agamemnon Atræi filius et prædicti Menelai frater, convocatis Græciæ principibus transfretavit in Phrygiam, Trojam obsedit, eamque, post decennale bellum dolo captam, ferro et igne populatus est. Sed idem Agamemnon Trojam obsessurus, cum ad Aulidem Bæotiæ portum venisset, ibique suum exercitum recenseret, Dianæ cervum ignarus occidit:

quamobrem Diana irata, immissa pestilentia, ventos suppressit. Consuluerunt oraculum, a quo responsum est, non ante pacificatos fore Deos, quam Iphigenia Agamemnonis ipsius filia immolata fuisset. Obsequitur pater, ipsiusque sacerdotis officio functus, filiam jugulavit: sicque post multas calamitates multosque labores tandem aliquando ausis potitus est. Virgil. Æneid. II. vs. 108. 'Sæpe fugam Danaï Troja cupiere relictâ Moliri, et longo fessi discedere bello. Fecissentque utinam! Sæpe illos aspera ponti Interclusit hyems, et terruit Auster euntes. Præcipue, cum jam hic trabibus contextus acernis Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi. Suspensi Eurypylum

Exiit patrem, miserumque tristis  
 Foderat<sup>17</sup> gnatae jugulum sacerdos.  
 Flevit amissos Ithacus sodales,<sup>b</sup>  
 Quos ferus, vasto recubans in antro,  
 Mersit immani Polyphemus alvo : 10  
 Sed tamen caeco furibundus ore,  
 Gaudium moestis lacrymis rependit.  
 Herculem duri celebrant labores :<sup>c</sup>  
 Ille Centauros<sup>d</sup> domuit superbos,

*talem paternam, et ipse sacerdotis officio functus, jugulavit maestus Iphigeniam suam miseram filiam. Ulysses Rex Ithacæ doluit socios perditos, quos Polyphemus crudelis, incolens cavernam magnam, demisit in suum ventrem ingentem: attamen hic Polyphemus, vultu excæcato furiosus, restituit lætitiā pro fletibus tristibus eidem Ulyssi. Labores molesti commendant Herculem; hic vicit Centauros arrogantes,*

17 *Fæderat* Delph. Hack.—18 Mss. *lævam*.—19 ‘*Fronte turbatus*. In Mss.

## NOTÆ

scitatum oracula Phœbi Mittimus; isque adytis hæc tristia dicta reportat: Sanguine placastis ventos et virgine cæsa, Cum primum Iliacas Danaï venistis ad oras,’ &c.

<sup>b</sup> *Flevit amissos Ithacus sodales*] II. Eadem Philosophia probat exemplo Ulyssis, hominem non ante perfundi lætitiā, quam tristitiā affectus fuerit. Scilicet Ulysses Rex Ithacæ et Dulichii insularum, de quo jam locuti sumus Metro 3. hujus libri, inter alios suos casus in Siciliam delatus est, et antrum cujusdam Cyclopi una cum sociis suis ingressus. Cyclops ille, Polyphemus dictus, ferebatur Neptuni filius, ingenti corpore præditus, sed uno duntaxat oculo, quem in fronte habebat. Devoraverat jam quosdam ex comitibus Ulyssis, reliquos eodem mortis genere peremturus, cum Ulysses sibi non minus quam superstitibus sociis metuens, Polyphemum inebriavit altoque sopore obrutum clava, aut adusto stipite, excæcavit; tum socios et semetipsum sub arietum villis implicuit,

tandemque omnes una cum grege ex antro egressi tantam habuerunt lætitiā, quantam tristitiā ex morte sociorum et suo periculo conceperant.

<sup>c</sup> *Herculem duri celebrant labores*] III. Philosophia exemplo Herculis probat, non comparari cælum nisi post superatos plures terræ labores. Hercules quippe, Jovis et Alcmenæ filius, Junoni propterea sic invisus fuit, ut novis periculis semper, agente eadem Junone, fuerit objectus. Ut ab aliis, sic a Philosophia nunc referuntur duodecim Herculis labores, sed alio et genere et ordine.

<sup>d</sup> *Ille Centauros, &c.*] Primus Herculis labor. Centauri Thessaliæ populi secus Pelion montem habitantes, qui, quod primi equos domare et ex illis pugnare cœperint, ab aliis gentibus cen monstra, quæ partim homines partim equi forent, cogitabantur: unde etiam ‘hippocentauri’ dicti sunt, et propterea nunc vocantur ‘superbi.’ Hos autem idcirco aggressus occidit Hercules, quod



Abstulit sævo spoliū leoni,<sup>e</sup> 15  
 Fixit et certis volucres sagittis :<sup>f</sup>  
 Poma cernenti rapuit draconi,<sup>g</sup>  
 Aureo læva<sup>18</sup> gravior metallo :  
 Cerberum traxit triplici catena :<sup>h</sup>  
 Victor immitem<sup>i</sup> posuisse fertur 20  
 Pabulum sævis dominum quadrigis :

*abstraxit pellem a leone crudeli, transfodit aves Stymphalides telis inevitabilibus : abstulit poma serpenti vigili, gerens manu metallum aureum. Duxit Cerberum tricipitem tribus vinculis. Perhibetur victor præbuisse Diomedem crudelem devorandum suis equis crudelibus. Victore eodem Hercule serpens multorum capitum*

## NOTÆ

iidem ad antrum Pholi, qui Herculem susceperat hospitio, quasi injuriam illaturi accurrissent.

<sup>e</sup> *Abstulit sævo spoliū leoni*] Secundus Herculis labor. In sylva Nemæa leo erat magnitudinis inusitatae, neque ferro neque ære penetrabilis : unde hunc de cælo lapsum dicebant : eundem persecutus Hercules sola manuum vi interfecit, interfectique pelle telis impervia vestitus, quoad vixit, incessit.

<sup>f</sup> *Fixit et certis volucres sagittis*] Tertius Herculis labor. Aves a Stymphalo urbe, monte, aut lacu dictæ Stymphalides, tantæ magnitudinis ferrebantur, ut radios Solis obumbrarent, tantæque rapacitatis, ut totam Arcadiam devastarent. Has Hercules, ut ait Diodorus Siculus l. iv. constructo æneo crepitaculo et ingente per id sonitu excitato abegit ; aut potius, ut Catullus suis versibus exponit, sagittis suis confixit. De his avibus Lucretius l. v. ‘Uncisque timendæ Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.’

<sup>g</sup> *Poma cernenti rapuit draconi, &c.*] Quartus Herculis labor. Hesperides filia Hesperii, qui frater Atlantis fuit ; videlicet Ægle, Arethusa, et Hesperethusa, ad Lixum Mauritanie oppidum feruntur hortos incoluisse aureis arboribus pretiosos, et a vigili dra-

cone custoditos. Sed draconem interfecit Hercules, fructusque ablatos ad vitricum Eurystheum detulit. Ex illo Hesperidum horto Venus fertur accepisse mala aurea, quibus dispersis Hippomenes Atalantam cursu superavit. ‘Lævam gravior :’ intellige hanc particulam, ‘secundum :’ sicut Virgilio dicitur I. Æn. vs. 593. ‘os humerosque Deo similis.’

<sup>h</sup> *Cerberum traxit triplici catena*] Quintus Herculis labor. Pirithous Ixionis filius, mortua Hippodame uxore, convenit cum Theseo, nullam ut uxorem nisi ex Jove natam ducerent. Hinc Theseus Helenam rapuit : Pirithous vero meditatus Proserpinam Plutonis conjugem rapere, comitantibus Theseo et Hercule, ad Inferos descendit. Verum Pirithous primo impetu a Cerbero interfectus est, cui cum Theseus opem ferre conaretur, vivus in Ditis potestatem pervenit, et ab eo vinctus, donec Hercules Cerberum tricipitem triplici catena vinctum teneret. De Cerbero diximus Metro 12. lib. III.

<sup>i</sup> *Victor immitem, &c.*] Sextus Herculis Labor. Diomedes Rex Thraciæ ‘sic parvus hordei fuit,’ inquit Apuleius l. VII. Met. ‘ut edacium jumentorum famem corporum humanorum largitione sedaret :’ unde Ovid. ‘Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,

Hydra combusto periit veneno :<sup>k</sup>  
 Fronte turpatus<sup>19</sup> Achelous amnis,<sup>1</sup>  
 Ora demersit pudibunda ripis :  
 Stravit Antæum Libycis arenis :<sup>m</sup> 25  
 Cacus Evandri satiavit iras :<sup>n</sup>  
 Quosque pressurus foret altus orbis,  
 Setiger spumis humeros notavit :<sup>o</sup>

*occubuit, ejus veneno extincto flammis. Achelous fluvius, infamatus facie propter cornu avulsum, involvit vultum pudendum suis littoribus. Idem Hercules interfecit Antæum in agris Libyæ: Cacus ab eodem Hercule occisus compescuit iras Evandri sui adversarii. Aper maculavit sua spuma humeros Herculis, quos cælum sublime*



quibusdam, *Fronte turpatus*, quam lectionem et Basil. ed. vetus retinuit, et confirmat illud Senecæ in *Herc. Cæt. vs. 495. et seqq.* *Sitzm. Vid. Not. Var.*

## NOTÆ

Efferus humana qui dape pavit equos?  
 Sed tyrannum hunc Hercules iisdem  
 equis devorandum objecit.

<sup>k</sup> *Hydra combusto periit veneno*] Septimus Herculis labor. Hydra serpens non solum in terra vivax, verum etiam in aquis, unde illi nomen ab ὕδωρ aqua, in Lerna palude inter Mycenæ et Argos habitabat: quare dicitur Lernæa pestis. Septem aut, ut aliis placet, quinquaginta habebat capita, quorum si quædam abscissa fuerant, alia duplicato numero renascebantur. Hercules autem, admoto ad singula vulnera igne, bestiam tandem interfecit.

<sup>1</sup> *Fronte turpatus Achelous amnis*] Octavus Herculis labor. Achelous filius Oceani et Tethyos cum Hercule pugnavit pro Dejanira filia Cænei Regis Calydoniæ: sed Achelous viribus impar se vertit primum quidem in serpentem, deinde in taurum, cui Hercules amputavit cornu, quod Copiæ comiti fortunæ datum est: unde Achelous uno turpis cornu sese occultavit in fluvio cognomine. Non opus est, me monere hic 'turpatus' ultimam producere propter vim cæ-

suræ: cujus rei infinita sunt exempla apud poëtas.

<sup>m</sup> *Stravit Antæum Libycis arenis*] Nonus Herculis labor. Antæus Nepturni ex terra filius tanto corpore præditus, ut in quadraginta cubitos excreverit. Hic cum Hercule congressus, quoties membra deficiebant, toties tacta terra recreabatur, quod animadvertens Hercules, eundem in aëre pressum interfecit.

<sup>n</sup> *Cacus Evandri satiavit iras*] Decimus Herculis labor. Cacus Vulcani filius, qui Latium undique latrociniis suis infestabat, ne ipsi quidem Herculi pepercit: hujus quippe boves noctu cauda versisque propterea vestigiis in antrum suum traxit: sed bo-um mugitu admonitus Hercules, receptis bobus, Cacus extinxit, ultus injuriam Evandri, cujus Cacus hospes fuerat, aut, ut alii volunt, servus.

<sup>o</sup> *Setiger spumis humeros notavit*] Undecimus Herculis labor. Aper Erymanthius in Arcadia, quod hic immensæ molis erat, regionem undique vastabat: hunc Hercules adduxit ad Eurysthenem: sed quia tunc aper ille ab Hercule non fuerit interfec-



Ultimus cœlum labor irreflexo <sup>p</sup>  
 Sustulit collo, pretiumque rursus 30  
 Ultimi cœlum meruit laboris.  
 Ite nunc fortes, ubi <sup>q</sup> celsa magni  
 Ducit exempli via : <sup>r</sup> cur inertes  
 Terga nudatis ? <sup>s</sup> superata tellus  
 Sidera donat. 35

*erat pressurum. Ultimus tandem labor Herculis in hoc versatur, quod idem portaverit cœlum collo immoto : unde iterum meruit cœlum, veluti mercedem ultimi præsertim sui laboris. Ergo agite, generosi homines, quandoquidem magnum exemplum vobis monstrat iter sublime : quare desidiosi ostenditis dorsum fugiendo ? terra victa dat cœlum.*

## NOTÆ

tus, idcirco nunc dicitur duntaxat ‘ humeros ’ Herculeos ‘ spumis notasse, ’ quos humeros ‘ pressurus erat altus orbis : ’ quoniam Hercules fertur suis humeris cœlum portasse : unde

<sup>p</sup> *Ultimus cœlum labor irreflexo*] Duodecimus Herculis labor. Atlas Rex Mauritaniae cœlum humeris sustinuisse fertur, quem ut tanto onere liberaret Hercules, hic suos humeros cœlo supposuit ; quo ultimo præsertim labore meruit cœlum, et in Deorum collegium translatus, Martis, ut quidam putant, stella. Porro omnium istorum Herculis laborum descriptiones ita frequentes sunt apud poëtas, ut nullius poëtæ hac de re conscripta carmina referenda esse putaverimus. Sed omittere hic non debemus, quod doctissimus Huetius in aureo suo *Demonstrationis Evangelicæ* libro de Hercule nuper edidit, nempe *Propos. iv. de lib. Josue n. 13.* ‘ *Per vulgata,* ’ inquit, ‘ *hæc est doctorum hominum sententia, plures fuisse Hercules, et gesta omnium a Græcis fuisse in unum Thebanum collata, seu potius fortibus quibusque viris Herculis nomen fuisse impositum. Tres statuit Diodorus ; Ægyptium, Creticum, et Thebanum. Tres Arrianns lib. ii. de Expedit. Alexandri ; Æ-*

*gyptium, Tyrium, et Græcum ; quibus Indium præterea addit in Indicis ex Megasthene. Herculem alii antiquissimum arbitrantur Phœnicium, secundum Ægyptium, postremum ac recentiorem Thebanum. Quidam Ægyptios duos agnoscunt, Herodotus duos Græcos, Deum alterum, alterum Heroëm ; Cicero sex ; duodecim alii ; quidam etiam longe plures. Ego omnino unicum, eumque Josuam fuisse statuo ; nam quæ tribuuntur aliis, ad Josuam omnia commode referri possunt vides.’*

<sup>q</sup> *Ubi*] Non locus hic significatur : alias dicendum fuisset ‘ quo ducit : ’ sed potius causa cur fortibus viris sit eundem, quemadmodum Cicero dixit : ‘ ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea non oportet.’

<sup>r</sup> *Ducit exempli via*] Agamemnonis, Ulyssis, et Herculis, quorum laboribus docemur, vitii quidem facile iter, sed amarum finem ; virtutis vero difficilem viam, sed dulcem exitum. Seneca in Hercule *Œtæo vs. 1983.* ‘ *Nunquam Stygias fertur ad umbras Inclyta virtus : vivite fortes, Nec Lethæos sæva per amnes Vos fata trahent : sed cum summas Exiget horas consumpta dies Iter ad superos gloria pandet.’*

## NOTÆ

\* *Terga nudatis*] Similitudine desumta a militibus, quibus turpe est propositis magnis præmiis, et ducibus generosis præeuntibus, terga vertere in prælio, significatur turpe pariter menti humanæ, ipsam, proposita vita æterna, pluribusque sanctis viris exemplum monstrantibus, averti a Deo

et ad res ceteras converti. Hinc additur: 'superata tellus sidera donat,' quasi dicatur: quæ mens inconcussa corpus vicerit, hæc Deo æternum adhærebit. Matth. 11. 'Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.'



ANICII MANLII TORQUATI  
SEVERINI BOETHII  
DE CONSOLATIONE  
PHILOSOPHIÆ

LIBER V.

---

PROSA I.

DIXERAT,<sup>a</sup> orationisque cursum ad alia quædam tractanda<sup>a</sup> et expedienda vertebat. Tum ego, Recta quidem, inquam, exhortatio, tuaque prorsus auctoritate dignissima. Sed quod tu dudum de Providentia quæstionem pluribus aliis implicitam<sup>1</sup> esse dixisti, re<sup>b</sup> experior. Quæro enim an esse aliquid omnino, et quidnam esse casum arbitrere. Tum illa, Festino, inquit, debitum promissionis absolvere, viamque tibi qua patriam reveharis,<sup>c b</sup> aperire. Hæc autem etsi perutilia cognitu, tamen a propositi nostri tramite

<sup>a</sup> *Philosophia.*    <sup>b</sup> *Reipsa.*    <sup>c</sup> *In patriam reducaris.*

1 *Pluribus implicitam* Delph. Hack.—2 *Sic orsa est* Vulg. Ms. Rittersh. et

NOTÆ

<sup>a</sup> *Ad alia quædam tractanda*] Quæ enim jam dicenda sunt de casu, hæc non pertinent ad præsens institutum, nisi instar cujusdam appendicis accessionisve, et, sicut loquuntur, per accidens. Quocirca statim dicet

Philosophia, ‘ hæc, etsi perutilia cognitu, tamen a propositi sui tramite paulisper aversa esse.’

<sup>b</sup> *Patriam reveharis*] ‘ Usurpatum ab auctoribus,’ inquit Servius, ut in quæstione ‘ quo vel addant vel detrahant

paulisper aversa sunt:<sup>d</sup> verendumque est, ne deviiis<sup>e</sup> fatigatus, ad emetiendum rectum iter sufficere non possis. Ne id, inquam, prorsus vereare. Nam quietis mihi loco fuerit, ea quibus maxime delector, agnoscere: simul cum omne disputationis tuæ latus<sup>f</sup> c indubitata fide constiterit, nihil de sequentibus ambigatur.<sup>g</sup> Tum illa, Morem, inquit, geram<sup>h</sup> tibi; simulque sic exorsa.<sup>i</sup> 2 Siquidem,<sup>k</sup> inquit, aliquis eventum<sup>d</sup> temerario motu, nullaque causarum connexionione productum, casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo, et præter subjectæ rei significationem, inanem prorsus vocem esse decerno:<sup>l</sup> quis enim, coërente in ordinem cuncta Deo, locus esse ullus temeritati reliquus potest? Nam nihil ex nihilo existere, vera sententia est: cui nemo unquam Veterum refragatus est:<sup>m</sup> quanquam id illi non de operante principio, sed de materiali subjecto, hoc est, de natura, omnium rationum quasi quoddam jecerint fundamentum.<sup>n</sup> At si nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse videbitur.<sup>3</sup> Quod si hoc fieri nequit, nec casum quidem hujusmodi esse pos-

<sup>d</sup> Ab instituto nostro aliquatenus aliena.

<sup>e</sup> Extraneis quæstionibus.

<sup>f</sup> Omnis circumscriptio tuæ quæstionis.

<sup>g</sup> Dubitetur.

<sup>h</sup> Obsequar.

<sup>i</sup> Incæpit.

<sup>l</sup> Quodsi.

<sup>l</sup> Quæ nullam rem subjectam significet.

<sup>m</sup> Contradixit.

<sup>n</sup> Non de causa efficiente, sed de materia tantum sive de re quæ modificetur: quasi dixerint modum sive rationem non esse nihili.

edd. prædictæ: sic exorsa est.—3 Vulg. videtur.—4 Thuan. uterque, Reg. et

#### NOTÆ

præpositionem.' Sic Virgil. Æn. I. vs. 6. 'Italiam fato profugus Lavinaque venit Littora.'

<sup>c</sup> Omne disputationis tuæ latus] Ut antecedentia, comitantia, consequentia: vulgo dicimus 'facies' quæstiones: *les choses que nous considerons*, dit l'Auteur du Livre de la Recherche de la Verité, *ne nous paroissent jamais entierement évidentes, que lorsque l'entendement en a examiné tous les côtez et tous les rapports.*

<sup>d</sup> Siquidem, inquit, aliquis eventum, &c.] Deinceps Philosophia varios usus

Delph. et Var. Clas.

exponit hujus nominis, 'casus,' docetque quo modo 'casus' rejici debeat et admitti. Scilicet 'casus' dicitur a 'cadere' ea notione, qua 'cadere,' idem est, quod 'evenire:' quamobrem 'casus' generatim nihil est aliud quam eventus. Verum eventus ille duobus modis dici potest: primum quidem nulla, deinde aliqua causarum connexionione productus. Si 'casus' dicatur 'eventum temerario motu, nullaque causarum connexionione productum;' certe 'casus' nihil est, præter 'inanem vocem:' cum enim

Boëth.

2 A



sibile est, qualem paulo ante definivimus. Quid igitur? inquam: nihilne est quod vel casus vel fortuitum jure appellari queat? An est aliquid, tametsi vulgus lateat, cui vocabula ista convenient? Aristoteles<sup>o</sup> meus id, inquit, in *Physicis*<sup>p</sup> et brevi et veri propinqua ratione definivit. Quonam, inquam, modo? Quoties, ait, aliquid cujuspian rei gratia geritur, aliudque quibusdam de causis, quam quod intendebatur, obtingit, casus vocatur: ut si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat. Hoc igitur fortuito<sup>4</sup> quidem creditur accidisse: verum non de nihilo est: nam proprias causas habet: quarum improvisus inopinatusque concursus casum videtur operatus. Nam nisi cultor agri humum foderet, nisi eo loco<sup>5</sup> pecuniam suam depositor obruisset, aurum non esset inventum. Hæ sunt igitur fortuiti causæ compendii,<sup>q</sup> quod ex obviis sibi, et confluentibus causis, non ex gerentis intentione provenit. Neque enim vel qui aurum obruit, vel qui agrum exercuit, ut ea pecunia reperiretur intendit: sed, uti dixi, quod ille obruit,<sup>6</sup> hunc fodisse con-

<sup>o</sup> *Philosophus.*    <sup>p</sup> *II. lib. cap. 5.*    <sup>q</sup> *Quæstus sive utilitatis.*



uterque Vict. *Hoc igitur fortuitu.*—5 *Eo loci Delph. Hack. Reg. eo loco. Thuan. secundus: in eo loco.*—6 *Ms. Rittersh. edd. Delph. et Hack. quo ille obruit. Reg. et Vict. secundus: quod ille obruit.*

#### NOTÆ

nihilum non possit esse ullius rei causa, eventum omne aliquam habeat causam, saltem exteriorem, necesse est. Si vero ‘casus’ dicatur eventum aliqua causarum connexionem productum, sed præter notionem voluntatemque agentis; distinguendum est. Vel enim causa hæc, præter cujus notionem voluntatemque eventum dicitur fieri, est prima, nimirum Deus; vel est secunda, nempe homo. Si causa hæc fuerit prima, nullus omnino ‘casus’ est: quandoquidem nullum eventum producit præter notionem voluntatemque Dei: cum ‘concurrere ac confluere causas,’ ut

nunc dicitur, ‘faciat ordo ille inevitabili connexionem procedens, qui de Providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit.’ At si prædicta causa fuerit secunda, ‘casus’ potest admitti: quia sæpe eventum producit præter notionem et voluntatem hominis: ut ‘si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat:’ quanquam enim causa aliqua fuerit, quæ aurum obruerit, quanquam etiam aliqua causa sit, quæ exercendo terram aurum detexerit; quia tamen aurum præter notionem voluntatemque agricolæ invenitur ab ipso agricola, idcir-

venit<sup>r</sup> atque concurrat. Licet igitur definire, casum esse inopinatum, ex confluentibus causis, in his quæ ob aliquid geruntur, eventum. Concurrere vero atque confluere causas facit ordo ille inevitabili connexionem procedens, qui de Providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit.

<sup>r</sup> *Contingit.*

## NOTÆ

co eventum illud ‘casus’ appellatur: corpora inanimata non habeant proprie notionem voluntatemque, præter ex quo conficitur hæc casus definitio; quas eventum producat, ideo his ‘inopinatum ex confluentibus causis, in his quæ ob aliquid geruntur, eventum.’ Quare cum bestia, plantæ, et nullus est ‘casus.’

## METRUM I.

RUPIS Achæmenia scopulis, ubi versa sequentum<sup>e</sup>  
Pectoribus figit spicula pugna fugax,

*Quemadmodum Tigris et Euphrates profluunt, veluti ex eadem origine, ex saxis montis Persici, ubi Parthus dimicans fugiendo infigit sagittas conversas cordibus*

## NOTÆ

<sup>e</sup> *Rupis Achæmenia scopulis*] Ex monte Persico. Achæmenia enim Persis est, aut saltem, ipsius Persidis pars, sic dicta ab Achæmene, qui, apud Herodotum l. Hist. iv. primus Persarum Rex, a quo omnes Reges usque ad Darium descenderunt. Hinc Horatius l. II. Carm. Od. 12. ‘Num tu quæ tenuit dives Achæmenes,’ id est, Persarum Rex, et lib. III. Od. 1. ‘Achæmeniumque costum,’ hoc est, unguentum Persicum. Achæmenia autem hic quibusdam est Armenia, mons vero ille est mons Taurus: quod Sallustius, auctor certissimus, ut legitur in Fragmentis historiae ejusdem Sallustii, ‘asserit Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius divi-

dantur, spatio medio relicto multorum millium; quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur.’

*Ubi versa sequentum, &c.*] Hic agitur de Parthis, iis scilicet populis, qui e Scythiis oriundi ad eas usque Asiæ regiones, quæ Tigri et Euphrate fluminibus alluuntur, suum protulerunt imperium. Hi autem populi erant formidolosi suis præsertim sagittis, quas inter fugiendum in insequentes ita retorquebant, ut in versa hostium pectora has vibrarent: tum versis subito equis pugnam instaurarent: unde Virgil. Georg. III. vs. 31. ‘Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.’



Tigris et Euphrates<sup>f</sup> uno se fonte resolvunt,  
Et mox abjunctis dissociantur aquis.

Si coëant, cursumque iterum revocentur in unum, 5

Confluat alterni quod trahit unda vadi :<sup>g</sup>

Convenient<sup>7</sup> puppes, et vulsi flumine trunci,  
Mistaque fortuitos implicet unda modos :

*insequentium, statimque duo illa flumina separantur suis aquis divisis. Si conveniant et rursus redigantur in unum cursum, tum quod aqua utriusque fluvii defert, illud coibit ; quare naves truncique abrepti fluvio coibunt, et aquæ permistæ confun-*

7 Thuan. secundus, Reg. et Vict. secundus : *Convenient.*

#### NOTÆ

<sup>f</sup> *Tigris et Euphrates*] Tigris, a celeritate sic dictus propter sagittam Persica lingua cognominem, flumen est, quod oritur in Armenia, si non ex eodem fonte, quemadmodum ait prædictus Sallustius, saltem ex eodem monte, ex quo Euphrates : tum fluctibus Mesopotamiam alluentibus influit in Euphratem, cum quo in sinum Persicum influit. De hoc fluvio loquitur Virg. i. Ecl. vs. 62. ‘Ante pererratis amborum finibus exul Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.’ Euphrates vero, sic vocatus propter lætitiâ quam incolis affert sua inundatione agros fœcundans, est aliud flumen, quod ex prædictis Armeniæ montibus pariter oritur. Mesopotamiam, ut Nilus Ægyptum, exundans fœcundat, et adjunctis Tigris fluctibus in Persicum Sinum labitur. De hoc locutus Virgilius, ut significaret bellum Parthorum, quorum terminus erat Euphrates Georg. i. vs. 509. ‘Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.’ Nec possum omittere quod Q. Curtius l. v. dicit de utroque hoc flumine : ‘Isti amnes,’ inquit, ‘ex Armeniæ montibus profluunt, et magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere, percur-

runt, duo millia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniæ montes notaverunt. Iidem cum Mediæ et Gordianorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coëunt : et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini maxime sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam vocant. Mediam namque ab utroque latere concludunt. Iidem per Babyloniorum fines in Rubrum Mare prorumpunt.’

<sup>g</sup> *Unda vadi*] Vadum dicunt aquam, quæ littoribus non ita dissitis, pede, aut eqno, aut saltem cymba facilius, quam mare transiri potest : unde a vadendo, vel a Græco βάδος, locus per quem vaditur, vadum putant oriri. Gallice dicimus *le gué*, *passer à gué* : inferiores Normani dicunt, *le grand et le petit vé*. Alternum ergo illud vadum sive flumen, utpote quod ipsis naturæ legibus fluit, tam noto tamque certo cursu fertur, ut ab ipsis hominibus prævideri et intendi possit : cum tamen puppes, trunci, et cetera ejusmodi corpora, quæ ejusmodi aquis circumfusa vehuntur, fortuito sive inopinato eventu conveniant.

Quos tamen ipsa vagos terræ declivia<sup>h</sup> casus,  
 Gurgitis et lapsi defluus ordo regit. 10  
 Sic, quæ permissis fluitare videtur habenis,<sup>i</sup>  
 Fors<sup>k</sup> patitur frænos, ipsaque lege meat.

*dent suos fluctus fortuitos, quos tamen incertos eventus ipsa terra declivis, et series fugax fluminis labentis moderatur: similiter casus, qui videtur contingere nullo duce et veluti laxatis habenis, regitur ceu passus frænos, idemque accidit imperio Dei providentis.*

## NOTÆ

<sup>h</sup> *Terræ declivia*] Intelligi possunt loca. Hæc est autem lex corporis moti divinitus constituta, ut corpus motum, qua minus resistitur, pergat: sed loca declivia minus resistunt.

<sup>i</sup> *Permissis . . . habenis*] Similitudo sumitur ab equis, qui, laxatis habenis, huc illucque temere currunt.

<sup>k</sup> *Fors*] Id est casus: causa pro effecto sumta: Antiquis enim fors dicitur causa, quæ temere fert aliquid: unde Virgil. II. *Æn.* vs. 94. 'Et me, fors si qua tulisset.'

*Patitur frænos*] Continuatur similitudo equorum, qui frænis reguntur: Virg. *Georg.* III. vs. 182. 'Primus

equi labor est animos atque arma videre Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem Ferre rotam, et stabulo frænos andire sonantes.' Hinc quicquid regitur, id vulgo dicitur frænos pati; quemadmodum ab eodem Virgilio *Æneid.* XI. vs. 567. 'Urbem hodie causam belli, regna ipsa Latini, Ni frænum accipere et victi parere fatentur, Ernâ, et æqua solo fumantia culmina ponam.'

*Ipsaque lege meat*] Divina scilicet Providentia, quæ, ut jam dictum est, 'attingit a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.'

## PROSA II.

ANIMADVERTO, inquam, idque uti tu dicis, ita esse consentio. Sed in hac hærentium<sup>8</sup> sibi serie causarum,<sup>1</sup>

<sup>8</sup> *In hac cohærentium* Delph. Hack.—<sup>9</sup> Ambo tam Thuan. quam Vict. *quid-*

## NOTÆ

<sup>1</sup> *In hac hærentium sibi serie causarum, &c.*] Boëthius videtur induere personam eorum, qui humanam libertatem conciliare non potuerunt cum divina Providentia, arbitrati alterum ex his duobus esse necessarium, aut Deum non providere futura, aut ho-

minis nullam esse libertatem: sic Cicero, et plures alii Veteres. Verum cum homo quilibet suæ sit libertatis conscius, magis quam divinæ Providentiæ, Cicero, et quidam illi Veteres, posita humana libertate, negaverunt divinam Providentiam: Ci-



estne ulla nostri arbitrii libertas, an ipsos quoque humanorum motus animorum fatalis catena constringit? Est,

<sup>s</sup> *Nostrī arbitrii libertas.*

#### NOTÆ

cero, inquit S. Aug. I. v. de Civit. D. cap. 9. 'ut vir magnus et doctus et vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat.' Utigitur ea quæ a Philosophia deinceps proponuntur de hac materia, clarius intelligantur, proposita ipsius libertatis definitione, eandem, Philosophia duce, libertatem propugnabimus, varique hujus genera declarabimus. I. Libertas generatim definiri potest 'mens, quæ cognitione duce semetipsam, volendo, agere potest.' Dicitur 1. 'mens:' quia libertas quidam est mentis modus: modus autem mentis, utpote qui, instar ceterorum modorum, sua seorsum idea cogitari nequit, cognosci non potest, nisi facta mentione mentis: sic figuram, quietem, et motum non cognoscimus, nisi facta mentione corporis: 'modi,' inquit Philosophi, 'melius in concreto noscuntur quam in abstracto.' Dicitur 2. 'quæ semetipsam agere potest,' sive, ut nonnulli loquuntur, 'movere' ac 'determinare:' optime enim a Græcis, nominibus ab intelligentia experientiaque communi derivatis, mens libera vocatur *αὐτοκίνητος* 'movens seipsam,' et *αὐτοκρατής* 'sibi ipsi imperans:' hac libertatis notatione usus est S. Augustinus cum alibi, tum præsertim initio tertii libri de libero arbitrio, ubi agit, ut hic agitur, de concordia liberi arbitrii cum divina Providentia: 'motus,' inquit,

'quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset cum ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene.' Dicitur 3. 'volendo:' nam, ut ait S. Aug. I. II. retract. c. 1. 'non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, fit, ubi prius et maxime est ipsum velle.' Propterea omnes Philosophi docent, sedem libertatis esse voluntatem: unde duplex agnoscunt genus actus liberi: alterum vocant 'elicitum,' qui est 'ipsum velle:' alterum dicunt 'imperatum,' qui est obsequium corporis ad nutum mentis. Dicitur 4. 'duce cognitione:' quia, quemadmodum aiunt iidem Philosophi, 'voluntas non fertur in incognitum: ignoti nulla cupido.' Ut autem mens generali hac libertate prædita seipsam agat moveatque, non est necesse ut veluti media et indifferens constituatur inter duo contraria, vel etiam contradicentia: quandoquidem Theologi docent, hanc generalem libertatem reperiri, etiam ubi nulla est ejusmodi 'indifferentia:' siquidem S. Thomas q. 10. de potentia, art. 2. ad 5. post S. Augustinum docet, et Deum libere amare seipsum, et Spiritum Sanctum a Patre Filioque, quamvis non 'possibiliter,' libere tamen procedere: nemo autem dixerit aut Deum ad seipsum amandum, aut Patrem Filiumque ad producendum Spiritum Sanctum esse indifferentem. Quinetiam idem S. Thomas in 3. Sent.

inquit. Neque enim fuerit ulla rationalis natura quin eidem libertas adsit arbitrii.<sup>m</sup> Nam quod ratione uti naturaliter potest, id habet iudicium quo quodque discernat<sup>9</sup> per se: igitur fugienda optandave dignoscit. Quod vero quis optandum iudicat esse,<sup>10</sup> petit; refugit vero quod existimat esse fugiendum. Quare quibus inest ratio,<sup>11</sup> ipsis etiam inest volendi nolendique libertas. Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo.<sup>n</sup> Nam supernis divinisque

//////////

*que discernat.* Edd. Delph. et Hack. *quodque discernat: per se, &c.*—10 *Esse iudicat* edd. eædem.—11 *Uterque Thuan. Reg. et Vict. uterque: quibus in*

#### NOTÆ

dist. 18. q. 1. art. 2. ad 5. videtur hanc libertatem in Christo Domino agnoscere: ‘etiamsi’ liberum Christi arbitrium, inquit, ‘esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, atque ita est actus sui dominus.’ Ex quibus sequitur, potestatem peccandi non pertinere ad rationem huius libertatis: siquidem Deus et Christus, in quibus nulla fuit peccandi potestas, hac saltem libertate afficiuntur. Sequitur etiam, Deum moventem nostram mentem ad semetipsum tanquam ad summum bonum, sive dum nostra mens cum nostro corpore coniungitur, sive etiam dum eadem ab eodem corpore sejuncta est, augere potius quam auferre generalem hanc mentis nostræ libertatem: ‘voluntas enim nostra,’ inquit S. Aug. l. III. de Lib. Arb. c. 3. ‘nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.’ Quamvis autem mens generali hac libertate prædita, non propterea sit indifferens; id ta-

men non obstat, quin in nobis mortalem hanc vitam agentibus libertas sit facultas ad utrumlibet sive indifferens; unde apud nos duplex est libertas: altera contradictionis, qua possumus agere vel non agere: altera contrarietatis, qua possumus agere hoc vel illud: sicut fusius Philosophi docent. ‘Liberum arbitrium,’ inquit S. Aug. l. de Cor. et Gr. cap. 1. ‘et ad malum et ad bonum faciendum, confitendum est nos habere.’

<sup>m</sup> *Neque enim fuerit ulla rationalis natura quin eidem libertas adsit arbitrii]* II. Posita prædicta libertatis definitione, facile potest, Philosophia duce, eadem libertas propugnari hac ratione: cum libertas nihil sit aliud, quam mens, quæ cognitione duce semetipsam, volendo, agere potest, quæcumque mens, cognitione duce, semetipsam agit, volendo, hæc libertate afficiatur, necesse est. Atqui mens omnis ita se habet: nam mens omnis non solum cognoscit, et iudicando discernit, quod fugiendum est et optandum; sed ‘quod optandum esse iudicat, petit; refugit vero, quod existimat esse fugiendum:’ quod unusquisque in semetipso experitur.

<sup>n</sup> *Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo]* III. Posito discrimine inter mentem divinam, angelicam, et hu-



substantiis et perspicax iudicium, et incorrupta voluntas, et efficax optatorum præsto est potestas. Humanas vero animas liberiores quidem esse necesse est cum se in mentis divinæ speculatione<sup>4</sup> conservant: minus vero, cum dilabuntur ad corpora, minusque etiam, cum terrenis artibus colligantur. Extrema vero est servitus, cum vitiis deditæ,

<sup>4</sup> *Contemplatione.*

#### NOTÆ

manam, Philosophia docet, diversam esse in his mentibus libertatem. Nam quod spectat divinam et angelicam mentem, quas Philosophia nunc vocat 'supernas divinasque substantias,' de his sic videtur ratiocinari eadem Philosophia: quæ mens, cognitione duce, semetipsam, volendo, efficacius agere potest, hæc liberior censeretur debet: siquidem libertas versatur in hac potestate: sed prædictæ mentes supernæ, Deus videlicet et Angelus, semetipsas cognitione duce, volendo, efficacius agere possunt: nam in unaquaque mente quatuor considerari possunt, nimirum perceptio, iudicium, electio, et executio; quæ ita inter se connexa sunt, ut nec executio sine electione; nec electio sine iudicio; nec iudicium sine perceptione esse debeat: quare pro varietate perceptionis cetera variantur: in supernis autem divinisque substantiis, magis quam in ceteris, 'est perspicax iudicium, incorrupta voluntas, et efficax optatorum potestas.' Quod vero pertinet ad mentem humanam, hujus distingui possunt quatuor status, qui prout sunt sublimiores aut humiliores, majorem habent aut minorem libertatem. Primus status est mentis a corpore separatæ, quæ scilicet 'se in mentis divinæ speculatione conservat:' et hæc mens liberrima est: quod præstantissima cognitione duce

semetipsam, volendo amandoque Deum, maxime agere potest. Secundus status est mentis conjunctæ cum corpore, quod illi ad nutum obsequitur: qualis erat mens primi parentis, antequam peccasset: hæc enim 'dilapsa est ad corpus:' atque hæc mentis humanæ libertas, non est quidem tanta, quanta est beatarum mentium: sed reliquarum tamen maxima: siquidem Adamus majori cognitione præditus melius semetipsum, volendo, agere poterat. Tertius status est mentis perturbationibus quidem afflictæ, sed iisdem non consentientis: qualis erat mens S. Pauli dicentis ad Roman. 7. 'video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.' Et hæc humanæ mentis 'terrenis artibus' conjunctæ libertas antecedente minor, est subsequente major: quod mens nondum victa fatiscat. Quartus denique status est mentis perturbationibus obsequentis: quæ libertas tam exigua est, ut servitutis potius rationem habere videatur: 'extrema vero' libertas, inquit Philosophia, 'est servitus, cum vitiis deditæ' mentes 'rationis propriæ possessione ceciderunt.'

rationis propriæ possessione ceciderint.<sup>12</sup> Nam ubi oculos<sup>o</sup> a summæ luce veritatis ad inferiora, et tenebrosa dejecerint, mox inscitiae<sup>13</sup> nube caligant,<sup>14</sup> perniciosis turbantur affectibus; quibus accedendo, consentiendoque, quam invexere sibi, adjuvant servitutem, et sunt quodam modo propria libertate captiva.<sup>15</sup> Quæ tamen ille,<sup>u</sup> ab æterno cuncta prospiciens, Providentiæ cernit intuitus, et suis quæque meritis prædestinata disponit, πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.<sup>v p</sup>

<sup>u</sup> Deus providens.      <sup>v</sup> Omnia cernit, et omnia audit.



*ipsis inest ratio.*—12 'Mss. rationis propria possessione ceciderunt.' Sitzm. 'Uterque Thuan. Reg. et Vict. secundus: ceciderint. Flor. cecidere.' Vallin. *Ceciderunt* Delph. Hack.—13 Reg. et Vict. secundus: *inscientiæ.*—14 Mss. et ed. Norimb. *caligantur.*—15 'Ms. Erfurt. et ed. Norimb. *captivæ*: est autem elegans ὀξύμωρον in illis *Libertate captivæ.*' Sitzm. '*Propria libertate captivæ*] *Audivi scriptos. Vulgati corrupte captiva*: levis mutatio, sed quæ sententiam non parum illustrat.' Bernart. *Captivæ* Delph. Hack.

#### NOTÆ

<sup>o</sup> Nam ubi oculos, &c.] Admirabilis prædictorum ratio Lectori potius attendenda, quam mihi exponenda.

<sup>p</sup> Πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει] Hoc est, omnia cernit et omnia audit, ut de Sole ait Homerus Iliad. Γ.

---

## METRUM II.

PURO clarum lumine Phœbum  
Melliflui canit oris Homerus:<sup>q</sup>

*Homerus, poëta eloquentiæ dulcis, canit Solem præstantem luce pura, qui Sol*

#### NOTÆ

<sup>q</sup> *Homerus*] Homerus poëta celeberrimus: sic dictus, quod captus oculis duce indigeret. Hujus etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: Colophonii esse dicunt suum; Chii suum vendicant; Salaminii hunc repetunt; Smyrnæi suum esse contendunt, unde

delubrum eidem in suo oppido constructum dedicaverunt. Quicquid sit de ejus patria, tam facundus fuit vates, ut Alexander Magnus in hoc præsertim dicatur fortunatus, quod suæ virtutis præconem Homerum nactus fuerit. Homerus autem sæpius commendat Solem ejusque lu-



Qui tamen<sup>r</sup> intima viscera terræ  
 Non valet, aut pelagi, radiorum  
 Infirma perrumpere luce. 5  
 Haud sic magni conditor orbis :<sup>s</sup>  
 Huic ex alto cuncta tuenti<sup>t</sup>  
 Nulla terræ mole resistunt ;  
 Non nox atris nubibus obstat.  
 Uno mentis cernit in ictu 10  
 Quæ sint, quæ fuerint, veniantque.<sup>16 u</sup>

*nihilominus non potest pervadere viscera interiora terræ aut maris splendore imbecilli suorum radiorum. Non ita Deus creator magni mundi : terræ etiam crassissimæ non resistunt ei, quippe qui cernit omnia ex sublimi : nox obscuris suis tenebris non impedit ejusdem aspectum : videt, uno intuitu mentis, præsentia, præterita, et fu-*

16 'Veteres, versuum ordine moto, et sane concinnius : *Quæ sint . . . uno.*' Bernart. ' *Quæ sint, quæ fuerint, veniantque Uno.* Sic ambo tam Thuan. quam Vict. et Flor. recte : nemo enim non videt transpositionem factam in aliis editionibus omnibus.' Vallin.

## NOTÆ

men, sed occasionem horum versuum Philosophia nobis videtur sumsisse ex Iliad. Γ. unde ultima verba Prosa superioris desumta sunt, et ubi Homerus Solem allocutus sic canit : ' *Ἡέλιός θ' ὁς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις* : ' Sol quoque qui omnia vides et omnia audis.' Quasi Homerus putaverit, Solem, instar cuiusdam Numinis, omnia videre et audire. Plinius l. II. cap. 6. ' Hic' (Sol) inquit, ' suum lumen ceteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi literarum Homero placuisse in uno eo video.'

<sup>r</sup> *Qui tamen, &c.*] Quamvis Sol ab Homero dicatur tanto præstans lumine, ut omnia videat, Sol tamen lumine adeo debili est, ut remissis cum a terra, tum etiam a mari ejusdem radiis, Sol nequeat illustrare, adeoque nec videre intima aut terrarum aut maris viscera : hæc videre solius est Dei, a quo hæc omnia creata conservantur.

<sup>s</sup> *Magni conditor orbis*] Deus, qui revera est creator non solum hominis, qui dicitur parvus mundus, sed reliquorum omnium ; quorum congeries vocatur magnus mundus.

<sup>t</sup> *Ex alto cuncta tuenti*] Si Deus eam, quam habet rerum creatarum, notionem ipsis rebus creatis referret acceptam, cum ejusmodi res sint Deo longe inferiores, Deus diceretur res istas ex humili tueri. Quare cum Deus, alienæ opis nihil indigus ut ad volendum sic ad cognoscendum, harum rerum notionem ex semetipso habeat, optime dicitur res istas ' ex alto tueri.'

<sup>u</sup> *Quæ sint, quæ fuerint, veniantque*] Præsentia, præterita, et futura : nam cum cognitio Dei infinita sit, hæc nullis præsentis, præteriti, aut futuri temporis differentiis circumscribi potest. Quinetiam, quod eadem Dei cognitio sit infinita, hæc multiplex esse nequit : unde Deus omnia ' uno mentis cernit in ictu.'

Quem, quia respicit omnia solus,<sup>v</sup>  
Verum possis dicere Solem.

*tura. Quoniam igitur Deus solus videt omnia, potes dicere Deum esse Solem verum.*

## NOTÆ

<sup>v</sup> *Quia respicit omnia solus, &c.]* Videtur Philosophia respexisse cum ad prædictam Homeri sententiam, tum etiam ad hæc Ciceronis verba I. de Divin. et II. de Nat. D. ‘Sol,’ inquit, ‘dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia cum exortus est, obscuratis ceteris

sideribus, solus apparet:’ quasi sic argumentata esset Philosophia: quicumque omnia respicit et quidem solus, ille, iudicio Homeri et Ciceronis, verus Sol dici potest. Atqui Deus omnia respicit et quidem solus. Ergo Deus verus Sol dici potest, iudicio tantorum virorum.

---



---

 PROSA III.

TUM ego,<sup>w</sup> En, inquam, difficiliori rursus ambiguitate<sup>w</sup> confundor. Quænam, inquit, ista est? Jam enim, quibus perturbare,<sup>17</sup> conjecto. Nimum, inquam, adversari ac repugnare videtur,<sup>x</sup> prænoscere universa Deum, et esse

<sup>w</sup> *Boëthius.*    <sup>x</sup> *Præsensio divina et humana libertas videntur sibi invicem contradicere.*

~~~~~  
17 *Perturbare* Delph. Hack.—18 ‘Uterque Thuan. Reg. et uterque Vict.

NOTÆ

^w *Difficiliori rursus ambiguitate]* Ambiguitas versatur in hoc, quod proposita multiplici via dubitetur, qua eundem sit: ‘ambiguum’ enim dicitur ab ‘ambigo:’ ‘ambigo’ autem ab ambe circum, et ago: quasi ille qui ambigit, circumagatur. Hinc ambiguitas dicitur primo de corporibus, quæ paribus hinc inde virtutibus acta, neque hac potius quam illac moventur; secundo de mentibus, quæ, paribus utrinque argumentis impulsæ, non uni potius quam alteri quæs-

tionis parti consentiunt. Quo magis autem Boëthius Philosophiam disserentem intelligit, eo ejus mens libratæ argumentorum momentis incerta videtur circa divinam Providentiam libertatemque humanam, de quibus hactenus Philosophia disseruit, quæque ita videntur pugnare, ut altera alteram destruat. Hinc idem Boëthius proponit argumenta, quibus putat destrui posse concordiam divinæ Providentiæ et libertatis humanæ.

ullum libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit Deus,^x neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod Providentia futurum esse præviderit. Quare si ab æterno non facta hominum modo, sed etiam consilia, voluntatesque prænoscit, nulla erit arbitrii libertas: neque enim vel factum aliud ullum, vel quælibet existere poterit voluntas, nisi quam nescia falli Providentia divina præsensierit. Nam si res aliorum¹⁸ quam provisæ sunt, detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia: sed opinio potius incerta: quod de Deo nefas credere¹⁹ judico. Neque enim illam probo rationem^y qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissolvere. Aiunt enim, non ideo quid esse²⁰ eventurum, quoniam id Providentia futurum esse prospexerit: sed e contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam Providentiam latere non possit:¹ eoque modo necessarium est,² hoc in contrariam relabi partem.^y Neque enim necesse est³ contingere quæ providentur: sed necesse est, quæ futura sunt,⁴ provideri.

^y *Non ideo aliquid futurum quod Deus id præsensierit, sed contra Deum id præsensisse quoniam futurum erat.*

//////////

si aliorum: bene. Vallin.—19 Credere nefas Delph. Hack.—20 Non esse ideo quid edd. eadem.—1 Mss. et edd. Norimb. Delphi. Hack. non posse.—2 Edd. Delph. et Hack. omittunt voculam est.—3 Necesse esse edd. eadem.—4 Ne-

NOTÆ

^x *Nam si cuncta prospicit Deus, &c.]* I. Generatim probatur prædicta concordia non posse stare: quia cum libertas hominis viatoris, ut jam dictum est, et experientia quotidiana, ipsi Ciceroni ceterisque paganis nota confirmatur, sit facultas ad utrumlibet, propterea quod ita necessarium est, ut aut nullatenus, aut non alio, quam quo existit modo, existere possit, illud homini non est liberum; adeoque circa illud nulla est ipsius hominis libertas. Atqui, posita divina Providentia, omnia facta, dicta, cogitataque hominis ita se habebunt: cum enim divina Providentia sit horum omnium non solum præteritorum,

præsentiumque, verum etiam futurorum cognitio, si hæc possunt aut non existere aut alio, quam quo existunt, modo existere, divina Providentia non erit præsensio evidens, adeoque firma, et falli nescia; sed potius obscura, incerta, et errori obnoxia; quod de Deo cogitare nefas.

^y *Neque enim illam probo rationem, &c.]* Boëthius sibi objicit, quod nonnulli respondere solent ad tuendam prædictam concordiam, videlicet, 'non divinam Providentiam futurorum eventuum, sed futuros eventus divinæ Providentiæ esse causam: ex quo sequitur, divinam Providentiam potius, quam futurum eventum, esse

Quasi vero,^z quæ cujusque rei causa sit, præscientiæ futurorum necessitatis, an futurorum necessitas Providentiæ, laboretur. At nos⁵ illud demonstrare nitamur,^a quoquo modo sese habeat ordo causarum, necessarium esse eventum præscitarum rerum, etiam si præscientia futuris rebus eveniendi necessitatem non videatur inferre. Etenim si quispiam sedeat, opinionem quæ eum sedere conjectat, veram esse necesse est: at e converso rursus si de quopiam vera sit opinio, quoniam sedet, cum sedere necesse est. In utroque igitur necessitas inest: in hoc quidem sedendi, at vero in altero veritatis. Sed non idcirco quisque sedet, quoniam vera est opinio: sed hæc potius vera est, quoniam quempiam sedere præcessit. Ita cum causa veritatis ex altera parte procedat, inest tamen communis in utraque necessitas. Similia de Providentiâ, futurisque rebus ratiocinari oportet.⁶ Nam etiam si idcirco, quoniam futura sunt, providentur; non vero ideo, quoniam providentur, eveniunt: nihilominus tamen a Deo vel ventura provideri, vel provisâ evenire necesse est: quod ad perimendam arbitrii libertatem solum satis est. Jam vero quam præposterum^{b a} est ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa

^z Sed hoc non solvit.

^a Idipsum tamen probare conemur.

^b Perversum.

cesse esse, quæ futura sint edd. eædem.—5 Uterque Thuan. et Vict. secundus: *ac non. Reg. ac nunc.*—6 ‘Perverse mutatum, cum in omnibus scriptis: *ratiocinari patet: id est liquet: purus putus Hellenismus.*’ Bernart.—7 ‘Reg.

NOTÆ

necessariam.’ Sed idem Boëthius hanc responsionem refutat; primum ex eo quod non solvit difficultatem, deinde ex eo quod præposterum est, eventus futuros esse causam divinæ Providentiæ.

^z Quasi vero, &c.] Primum, inquit, hæc responsio non solvit difficultatem: quandoquidem non quæritur, utra sit alterius causa, an Providentiæ rei futuræ, an res futura Providentiæ: nec minus, utravis sit ne-

cessaria, sequitur alterius necessitas: quemadmodum ex eo, quod vere judicem te sedere, sequitur necessario te vere sedere; aut ex eo quod moles lignea fuerit æqualis cum decempeda, sequitur necessario, decempeda esse æqualem cum hac mole lignea: licet decempeda hujus æqualitatis, aut tuus situs illius iudicii dicatur causa.

^a Jam vero quam præposterum, &c.] Deinde ‘præposterum’ est sive per-

esse dicatur! Quid est autem aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam sunt eventura, providere, quam putare, quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse Providentiæ? Adhæc, sicuti cum quid esse scio, id ipsum esse necesse est; ita cum quid futurum novi, id ipsum futurum esse necesse est. Sic fit igitur ut eventus præscitæ rei nequeat evitari. Postremo si quid aliquis aliorum^{c b} atque sese res⁷ habet existimet, id non modo scientia non est, sed est opinio fallax, a scientiæ⁸ veritate longe diversa. Quare si quid ita futurum est, ut ejus certus, ac necessarius non sit eventus, id eventurum esse præsciri qui poterit?⁹ Sicut enim scientia ipsa impermixta est falsitati,^d ita id, quod ab ea concipitur, esse aliter atque concipitur nequit. Ea namque causa est cur mendacio scientia careat, quod se ita rem quamque habere necesse est, uti eam sese habere scientia comprehendit. Quid igitur? Quonam modo Deus hæc incerta futura prænoscit? Nam si inevitabiliter eventura censet quæ etiam non evenire possibile est, fallitur: quod sentire non modo nefas

^c Non perinde. ^d Est expers erroris.

et Vict. secundus: *quam sese res: bene.* Vallin.—8 *Ab scientiæ* Delph. Hack.—9 Ms. Rittersh. *præscire quis poterit.*—10 *Humana opinione*] *Humanæ opi-*

NOTÆ

versum, mutato scilicet rerum ordine, eventus futuros esse causam divinæ Providentiæ: quia cum omnis causa sit suo effecto prior, 'præposterum' est illud, quod a certo duntaxat tempore existit, esse causam ejus quod ex omni æternitate existit: id autem se haberet, si eventus futurus esset causa divinæ Providentiæ: nam quæ olim acciderunt, verbi gratia, Romana mœnia, cum hæc antea futura essent, essent causæ divinæ Providentiæ quæ æterna est.

^b *Si quid aliquis aliorum, &c.*] II. Probatur speciatim, ex parte ipsius divinæ Providentiæ, prædicta concordia non posse stare: quia quæ

mentis qualitas a Philosophis vocatur scientia, hæc debet esse non modo evidens, verum etiam vera, et certa, saltem ratione judicii quod sibi habet annexum: adeo ut nec instar erroris sit falsa, nec instar opinionis sit incerta: cum igitur Providentia divina sit scientia, et quidem meliori jure, quam quælibet humana cognitio, propterea Providentia divina debet esse non modo evidens, verum etiam vera, et certa: atqui eorum, quæ libertate humana futura essent, nulla posset esse Providentia evidens, vera, et certa: quod hæc non sit nisi de iis quæ necessaria sunt.

est, sed etiam voce proferre. At si uti sunt, ita ea futura esse decernit, ut æque vel fieri ea, vel non fieri posse cognoscat; quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc refert vaticinio^e illo ridiculo Tiresiæ?^f *Quicquid dicam, aut erit, aut non.* Quid etiam divina Providentia humana opinione¹⁰ præstiterit,^g si, uti homines, incerta judicat quorum est incertus eventus? Quod si apud illum rerum omnium certissimum fontem nihil incerti esse potest, certus eorum est eventus quæ futura firmiter ille præscierit. Quare nulla est humanis consiliis actionibusque libertas: quas divina mens, sine falsitatis errore cuncta prospiciens, ad unum alligat et constringit eventum. Quo semel recepto,^h^d quantus occasusⁱ humanarum rerum consequatur, liquet.¹¹ Frustra enim bonis malisque præmia pœnæve proponuntur, quæ nullus meruit liber¹² ac voluntarius motus animorum: idque omnium videbitur iniquissimum quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos: quos ad alterutrum^k non propria

^e Differt a divinatione. ^f Apud Horatium l. II. Serm. Sat. 5. ^g Quomodo divina Providentia major erit opinione humana. ^h Quod si concesseris, nullam scilicet esse in ipsis hominibus libertatem. ⁱ Interitus. ^k Ad utrumlibet.

nione: fortasse: humanæ opinioni.' Vallin.—11 'Mss. et edd. *quantus occasus humanarum rerum conseq.*' Sitzm. 'Quantus occasus humanarum consequatur, liquet] Mutilus locus. Veteres: *humanarum rerum consequatur.* Sane bene: adeoque audacter in contextum admisi.' Bernart.—12 'Ferri posse videtur. Omnino

NOTÆ

^c *Vaticinio illo ridiculo Tiresiæ]* Et certe si divina Providentia esset de futuris istis liberis, sive de iis 'quæ æque possint non fieri ac fieri,' eadem opinio foret similis vaticinationi illi ridiculæ Tiresiæ: 'quicquid dicam aut erit aut non.' Tiresias fuit vates Thebanus, qui fertur a Junone læsa occæcatus, et a Jove miserante donatus facultate vaticinandi. Horat. l. II. Serm. Sat. 5. 'Hoc quoque, Tiresia, præter narrata petenti Responde, quibus amissas reparare queam res Artibus atque modis . . o

nulli quicquam mentite, vides ut Nudus inopsque domum redeam te vate.' Hic autem vates, instar ceterorum, ambigue locutus, solebat dicere: 'quicquid dicam, aut erit, aut non:' intelligens, sua dicta fore aut non fore vera; cum tamen aliis intelligendum præberet sua dicta sive aiendo sive negando semper fore vera. Horatius prædicto loco: 'O Laërtiade, quicquid dicam aut erit aut non; Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.'

^d Quo semel recepto] III. Probatur

mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec vitia igitur, nec virtutes quicquam fuerint, sed omnium meritorum potius mista atque indiscreta confusio.¹ Quo- que nihil sceleratius excogitari potest, cum ex Providentia rerum omnis ordo ducatur, nihilque consiliis¹³ liceat huma- nis, fit ut vitia quæque¹⁴ nostra ad honorem omnium referan- tur auctorem.^m Igitur nec sperandi aliquid, nec deprecandiⁿ ulla ratio est. Quid enim vel speret quisquam,¹⁵ vel etiam deprecetur,^o quando optanda omnia series indeflexa^p con- nectit? Auferetur igitur unicum illud inter homines Deum- que commercium, sperandi scilicet, ac deprecandi.^r Siqui- dem justæ humilitatis pretio inæstimabilem vicem divinæ gratiæ promeremur:^s qui solus modus est quo cum Deo colloqui homines posse videantur, illique inaccessæ luci, prius quoque quam impetrent, ipsa supplicandi ratione conjungi: quæ si, recepta futurorum necessitate, nihil vi- rium habere credantur, quid erit quo summo illi rerum principi^s connecti, atque adhærere possimus? Quare ne-

¹ Confusa perturbatio.
mutabilis. ^q Rogandi.

^m Deum.

ⁿ Rogandi.

^o Roget.

^p Im-

^r Recta nostri abjectione meremur Dei gratiam, quæ non potest satis æstimari.

^s Deo.



tamen audiendi veteres: *metuit liber.* Idem.—13 Ms. Rittersh. *cumque nihil consil.*—14 *Vitia quoque* Delph. Hack.—15 Uterque Thuan. Reg. Vict. se- cundus, et Flor. *speret quisque.*

NOTÆ

speciatim, ex parte ipsius libertatis humanæ, prædicta concordia non posse stare: quia ubi non est potestas ad utrumlibet, ibi non est hominis viatoris libertas: sapientissime enim Ecclesia damnavit hanc propositionem: ‘ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit a coactione:’ optime etiam nunc dicitur hac potestate sublata fore ut 1. nec ‘virtus’ esset nec ‘vitium,’ adeoque nec ‘præmium,’ nec ‘supplicium.’ 2. Deus esset ‘auctor om-

nium vitiorum.’ 3. nec ‘sperandi’ nec ‘deprecandi ratio’ esset, adeoque ‘auferretur unicum illud inter homines Deumque commercium, sperandi scilicet ac deprecandi.’ 4. denique ‘humanum genus disseptum atque disjunctum suo fonte fatiscat.’ Atqui posita divina Providentia, nulla erit in homine viatore potestas ad utrumlibet: siquidem divina Providentia, ut dictum est, utpote quæ evidens est, vera, et certa scientia, non est nisi de necessariis, atque, ut loquuntur Philosophi, ‘ad unum determinatis.’

cesse erit, humanum genus, uti paulo ante cantabas,^e dis-
septum atque disjunctum suo fonte fatiscere.^f

^e *Separatum a suo principio perire.*

NOTÆ

^e *Paulo ante cantabas]* Libro videlicet quarto, Metro VI. versu 43. ubi Philosophia loquebatur.

METRUM III.

QUÆNAM discors fœdera rerum
Causa^f resolvit? quis tanta Deus^g
Veris statuit bella duobus,^h

Quænam causa discors dirimit concordiam rerum? quis Genius ponit tantam

NOTÆ

^f *Quænam discors . . . Causa]* I. Boëthius, facta divinæ præsentationis et libertatis humanæ comparatione, miratur quod hæc et illa seorsum firmis demonstrari videantur argumentis, conjunctim vero altera ab altera destrui: hinc 'causam' tanti mysterii inquirat. 'Causa' autem hæc vocatur 'discors,' quia videtur fœdus inter divinam prænotionem libertatemque humanam factum, aut saltem faciendum, dirimere.

^g *Quis Deus]* Cum effectum non sit sine sua causa, prædicta divinæ Providentiæ et libertatis humanæ discordia, cujus Boëthius jam conscius est, causam aliquam habeat, necesse est: quæ causa, utpote ignota, dubitatur an sit Dens aliquis. Sic Antiquis dicebatur 'Deus ex machina,' sive ex improvise apparens: quod, inquit Tullius I. de Nat. D. 'quia quemad-

modum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis, ut tragici poëtæ, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum, cujus operam profecto non desideraretis, si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis.' Quod Tullius accepisse videtur ex Platonis Cratyllo: ubi 'nisi sane,' inquit, 'quemadmodum tragædiarum scriptores, sic ubi hæserint, ad machinas confugiunt, Deos sustollentes.'

^h *Veris...duobus]* Nempe divinæ Providentiæ, et libertati humanæ: ut enim verum est, Deum omnia prænoscere, sic etiam verum est, hominibus inesse arbitrii libertatem: alterum tamen ita videtur cum altero pugnare, ut, quamvis seorsum stent, conjunctim tamen sese destruere videantur.

Ut quæ carptim singula constant,¹⁶
 Eadem nolint mista jugari? 5
 An nullaⁱ est discordia veris,
 Semperque sibi certa cohærent?
 Sed mens, cæcis obruta membris,^k
 Nequit oppressi luminis igne
 Rerum tenues noscere nexus. 10

pugnam inter duas istas res veras, divinam scilicet Providentiam, et libertatem humanam, ut cum unaquæque seorsum subsistat, ambæ repugnent consistere simul? Nonne est aliqua discordia inter ea quæ vera sunt, semperne hæc certa conveniunt inter se? Est discordia, nec semper hæc convenire videntur menti humanæ, quippe quæ oppressa corpore cæcante non potest splendore luminis sopiti percipere minimos

16 Constant Delph. Hack.—17 'Mss. et ed. Norimb. [Delph. Hack.] Sed

NOTÆ

ⁱ *An nulla]* Quasi 'an non ulla?' 'An' enim quæstio est, qua ita interrogatur, ut tamen interrogans videatur postulare id sibi concedi quod quærit. Sic Terentius: 'an non hoc dixi esse futurum?' *n'ai-je pas bien dit, que cela arriveroit?* Sic ergo Boëthius ait: 'nullane etiam inter ea, quæ vera sunt, occurrit discordia? num semper vera omnia ita inter se conveniunt, ut neutrum cum altero pugnet? non certe, non semper ita conveniunt:' quod eleganter exprimitur hac particula proxime sequenti, 'Sed.' Nimirum si insitum menti nostræ lumen esset infinitum, quæ seorsum menti nostræ, utpote clare et distincte cognita, sunt vera, hæc etiam conjunctim eidem menti viderentur vera: quandoquidem infinitam lucem nihil latet: sic Deo quæ seorsum vera sunt, etiam conjunctim sunt vera. Verum quod idem mentis nostræ lumen suis, et quidem brevissimis, contineatur terminis, idcirco fieri potest, ut quæ a nostra mente clare et distincte cognoscuntur, adeoque illi sunt vera seorsum, hæc ab eadem mente ignorentur, adeoque illi non sint vera conjunctim: neque tamen

ullum ex his quæ clare et distincte cognoscuntur, propterea negandum est: nam non sunt neganda perspicua ex eo, quod obscura animo comprehendere nequeant. S. Aug. l. II. de dono persever. c. 14. 'Numquid,' inquit, 'ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire.'

^k *Sed mens, cæcis obruta membris, &c.]* Præterquam quod mens nostra finita est, hoc insitum menti humanæ lumen corpore, cum quo mens humana conjungitur, ita obscuratur, juxta illud sacri textus oraculum Sap. 9. 'corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem,' ut eadem mens non possit vel 'tenues rerum nexus,' (in quo veritas judicii versatur) 'noscere:' quomodo igitur eadem mens sublimes divinæ Providentiæ et libertatis humanæ nexus comprehendet? 'difficile æstimamus,' continuat Sapiens prædicto loco, 'quæ in terra sunt, et quæ in prospectu

Sed cur tanto flagrat amore¹
 Veri tectas reperire notas?
 Scitne quod appetit anxia nosse?
 Sed quid nota rescire^m laborat?¹⁷
 Et si nescit,^{18 n} quid cæca petit?
 Quis enim quicquam nescius optet?

15

etiam nexus rerum familiarium. Quare vero eadem mens accenditur tanto studio inveniendi signa occulta veritatis? cognoscitne illud quod sollicita desiderat cognoscere? non: quis enim nititur cognoscere ea quæ jam sibi nota sunt? Sed si ignorat, quid ignara quærit? nam quis desiderat id, cujus ignarus est? aut quis

//////////

quis nota scire laborat: quam lectionem amplector lubens, idque duplicem ob causam.' Sitzm. Vid. Not. Var.—18 At si nescit Vulg. Thuan. secundus: Aut

NOTÆ

sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? Ecce quæstionem Boëthii, quam ut solvat, statuit primum mentem nostram non omnia scire; deinde eandem non omnia etiam nescire, ut ex notis transeat ad ignota.

¹ *Sed cur tanto flagrat amore, &c.]* II. Boëthius probat, mentem humanam non omnia scire: quia cum desiderium non sit nisi ejus quod non habetur, si mens humana anxia appetat aliquid nosse, certe mens humana non habet illius, quod nosse appetit, notionem: adeoque illud certe mens humana non scit. Atqui experientia probat, mentem humanam anxiam appetere 'veri tectas reperire notas: has igitur notas nescit.

^m *Nota rescire [scire]* Observari potest quantitas hujus vocis, 'nota,' cujus ultima syllaba, alioqui brevis, hic longa est, ut aiunt, positione, propter duplicem literam consonantem quæ sequitur: quamvis enim utraque hæc litera consonans ab antecedente vocali dictione separetur, non desinit tamen eandem vocalem producere, ut apud Virgil. *Æn. ix. vs. 37.* 'tela.' 'Ferte citi ferrum, date tela, scan-

dite muros.' Et sæpissime apud Catullum, et Martialem: hinc autem factum puto, ut veteres poëtæ diligentius vitaverint concursum vocalis alias brevis, et plurimum ejusmodi consonantium, quamvis hæ omnes consonantes in dictione sequente occurrant: præsertim si utriusque hujus literæ sonus distincte percipiatur auribus, quarum judicium est superbissimum: ut omnia stringunt, omnia spernunt, omnia scribunt, &c.

ⁿ *Et si nescit, &c.]* III. Boëthius probat, mentem humanam non omnia nescire: quia præterquam quod mens humana optat nosse veritatem, ut jam dictum est, nemo vero optat nescius; 'ignoti nulla cupido;' præter hoc, inquit Boëthius, primum quidem 'nemo valet nescita sequi;' cum inquisitio illa, utpote prima mentis cogitatio, quædam sit cognitio sive perceptio. Deinde quamvis ignarus posset inquirere, hic tamen non posset invenire: quo modo 'inveniat?' quandoquidem non invenitur nisi notionem: ut autem color cæco, sic res omnino ignota menti ignaræ nullam dabit sui notionem. Postremo licet ignarus posset ignotum et inquirere

Aut quis valeat nescita sequi ?
 Quo ve inveniatur, quisve repertam
 Queat ignarus noscere formam ?
 An cum mentem^o cerneret altam, 20
 Pariter summam et singula norat ?
 Nunc membrorum condita nube,
 Non in totum est oblita sui,
 Summamque tenet singula perdens.
 Igitur quisquis vera requirit,^p 25
 Neutro est habitu :^q nam neque novit,

possit prosequi ignota? quo modo aliquis inveniatur, aut dignoscere possit formam inventam, hujus ignarus? Nonne, cum mens humana videret mentem supremam, ipsa cognoscebat res tam singulatim quam generatim? nunc vero velata tenebris corporis, etsi non est omnino immemor sui, cetera non singulatim quidem, sed generatim cognoscit. Quicumque ergo investigat veritatem, is non afficitur omnino aut ignoracione aut scientia: siquidem ille neque cognoscit omnia, neque tamen omnino

NOTÆ

et invenire, hic tamen non posset ignotum dignoscendo a ceteris distinguere: 'quis repertam queat ignarus noscere formam?' Sic argumentatur Plato sub persona Socratis in Menone: 'Ponamus,' inquit, 'servum fugitivum ab alio servo, a quo omnino prior ignoratur, domino utriusque imperante, quæri: frustra hic servus quæret: quamvis enim idem in servum fugitivum, quem quærit, incurrat, eundem se invenisse ignorans, ipsum non poterit dignoscere, sive a ceteris distinguere.'

^o *An cum mentem, &c.] Plures putant, Boëthium in reliquo hoc carmine sequi sententiam Platonis, qui, ut ex ipsius Menone, pluribusque aliis libris constat, existimavit, mentes humanas, antequam hæc cum corporibus conjungerentur, conditas, perfecta omnium intelligentia fuisse divinitus instructas; sed hanc intelligentiam commercio corporeo ita amisisse, ut non nisi multo labore eorum quæ antea noverant recordationem sibi compararent: quam quidem Boëthii interpretationem admitti posse non infi-*

cior: sed quæ nunc ab eodem Boëthio dicuntur, hæc etiam refutata illa Platonis sententia possunt intelligi; posito eo, in quo credimus Adamum conditum fuisse, 'innocentiæ statu:' in hoc enim statu mens humana peculiari quodam modo 'cernebat mentem altam,' nempe Deum: unde maximam partem rerum cognoscendarum non solum generatim, sed etiam singulatim cognoscebat: 'pariter summam et singula norat.' At ejus posterius, in pœnam peccati hujus sui primi parentis, perturbationibus ita afficiuntur, ut eorum mens, nondum tamen omnino oblita sui, plura non singulatim sed generatim solum cognoscat: 'summam' enim 'tenet singula perdens:' quatenus etenim Dei sive 'ejus qui est' notione informatur, omnia generatim novit: sed quatenus corpore consorte impeditur, plura non percipit singulatim.

^p *Vera requirit] Philosophus: Philosophia enim, interpretatione nominis, est studium sapientiæ, sive inquisitio veritatis.*

^q *Neutro est habitu] Habitus, auc-*

Nec penitus tamen omnia nescit :^r
 Sed, quam retinens meminit, summam
 Consulit,^s alte visa retractans,
 Ut servatis queat oblitus
 Addere partes.¹⁹

30

ignorat omnia: sed consulit summam cujus memor recordatur, recognoscens ea quæ divinitus novit, ut cognoscendo possit addere rebus, quas meminit, res quarum oblitus est.

si nescit.—19 ‘Meus non male: *Dedere partes.*’ Bernart.

NOTÆ

tore Tullio II. de Inv. ‘in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolute consistit:’ quamobrem habitus generatim, prout hic dici potest et de cogitatione, et de opposita ejus privatione, intelligi potest modus in suo genere absolutus: qua ratione mens nunc dicitur ‘neutro habitu;’ quod videlicet mens humana, neque in absoluta rerum omnium notitia, neque in absoluta rerum omnium ignoratione versetur: nam

^r *Neque novit, Nec penitus tamen omnia nescit*] Contra Academicos et Dogmaticos. Academici enim, illi videlicet Platonis discipuli, qui ab Academia, Collegio Atheniensi, ita vocati sunt, nihil ab hominibus evidenter sciri, adeoque nullum ab hominibus verum certumque judicium haberi posse arbitrabantur: quod etiam Pyrrhoneis, quos Græci σκεπτικὸς contemplatores appellabant, placuit. Dogmatici vero, uti loquuntur, e contrario arbitrantur, omnia tam evidenter ab homine cognosci, nullus ut sit de quacumque materia dubitandi locus.

^s *Quam retinens meminit, summam Consulit*] Insitam videlicet et inna-

tam nobis Dei notionem. Primum enim hanc notionem mens humana semper ‘retinens meminit:’ quandoquidem notio hæc, extingui nescia, tamdiu durat, quamdiu mens humana, nempe æternum. Deinde eadem notio recte dicitur ‘summa’ ceterorum, quæ ab humana mente cognosci possunt: siquidem notio mentis, notio corporis, notio rei, immo notio entis generatim, ut loquuntur Logici, nihil aliud est, quam ingenita hæc Dei notio, sive simpliciter, sive modificata. Denique mens humana generalem hanc notionem prius ‘consulit,’ ut quid in hac clare et distincte comprehensum prius cognoscatur, quam judicium ferat: quod nimirum illa notio prima sit veri certique judicii norma: sicut fusi alibi probatur. Quinetiam hanc notionem mens humana magis ac magis attendendo ‘retractans’ doctior fit, et oblita aut a primo parente, aut ab unoquoque homine ‘momento creationis,’ ut putat Vallinus hic, veluti recordatur. ‘Oblita’ porro dicuntur passive etiam a Virgil. Eclog. IX. vs. 53. ‘Nunc oblita mihi tot carmina.’

PROSA IV.

TUM illa,^u Vetus, inquit, hæc est de Providentia querela, a M. Tullio,^{20 t} cum divinationem distribuit,^v vehementer agitata, tibi que ipsi res diu prorsus multumque quæsitæ: sed haudquaquam ab ullo vestrum hactenus satis diligenter ac firmiter expedita. Cujus caliginis^w causa^u est, quod humanæ ratiocinationis motus ad divinæ præscientiæ simplicitatem non potest admoveri: quæ si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui:^x quod ita demum patefacere atque expedire^y tentabo, si prius ea, quibus moveris, expediero.^{z 1} Quæro enim,^v cur illam solventium rationem minus efficacem putes:^a quæ quia præscientiam non esse futuris rebus causam necessitatis existimat, nihil impediri præscientia arbitrii libertatem putat. Num enim tu aliunde argumentum futurorum necessitatis trahis, nisi

^u Philosophia. ^v Lib. II. de Divinat. ubi divinationem, quam Quintus frater asseruerat, nititur tollere. ^w Obscuritatis. ^x Dubii. ^y Explicare.
^z Explicuero. ^a Quæ habetur Prosa III. hujus lib. Not. ^v



20 Ms. Rittersh. *Tum illa inquit: Hæc est vetus de Providentia querela Marcoque Tullio, &c.* Edd. Delph. et Hack. legunt etiam *Marcoque Tullio*. —1 ‘Assentior Mss. *moveris expendero.*’ Bernart. Sic edd. prædictæ.—

NOTÆ

^t *A M. Tullio*] I. Philosophia meminit veteres, quibus hæc divinæ Providentiæ libertatisque humanæ concordia visa est difficilis: inter hos autem excelluit Marcus Tullius Cicero, qui hinc negata divina Providentia, inde vero stabilita humana libertate, ‘dum vult homines facere liberos,’ inquit S. Aug. v. de Civ. D. c. 9. eosdem ‘facit sacrilegos.’ Argumentum Tullii illud est, quo supra usus est Boëthius, quod nimirum posita humana libertate, quemadmodum experientia probatur ponenda, Providentia divina nequeat esse (qualis est, aut nulla) evidens, vera, et certa scientia.

^u *Cujus caliginis causa*] II. Philosophia ait, ideo Veteres Recentioresque non posse conciliare Providentiam divinam cum humana libertate, quia eorum mens infirmior est, quam ut possit divinam prænotionem percipere: unde, præcipitatione et præjudicio judicans, negat divinam Providentiam, quod eadem Philosophia promittit se demonstraturam, postquam argumentis, quibus antea Boëthius movebatur, responderit.

^v *Quæro enim, &c.*] III. Philosophia respondet argumentis, quibus supra usus est Boëthius; hoc fere pacto: si posita humana libertate Providentia divina possit esse non modo evi-

quod ea quæ præsciuntur, non evenire non possunt? Si igitur prænotio nullam futuris rebus adjicit necessitatem, quod tu etiam paulo ante fatebare; quid est quod voluntarii exitus rerum ad certum cogantur eventum? Etenim positionis gratia, ut quid consequatur advertas, statuamus nullam esse præscientiam. Num igitur, quantum ad hoc attinget, quæ ex arbitrio eveniunt,² ad necessitatem coguntur? Minime. Statuamus iterum esse, sed nihil rebus necessitatis injungere; manebit, ut opinor, eadem voluntatis integra atque absoluta libertas. Sed præscientia, inquires, tametsi futuris eveniendi³ necessitas non est, signum tamen est, necessario ea esse ventura. Hoc igitur modo, etiam si præcognitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret. Omne etenim signum, tantum quid sit, ostendit, non vero efficit quod designat. Quare demonstrandum prius est, nihil non ex necessitate contingere, ut prænotationem signum esse hujus necessitatis appareat. Alioquin si hæc nulla est, nec illa quidem⁴ ejus rei signum poterit esse quæ non est. Jam vero probationem firmam ratione subnixam constat, non ex signis, neque petitis extrinsecus argumentis, sed ex convenientibus necessariisque causis esse ducendam. Sed qui⁵ fieri potest ut ea non proveniant quæ futura esse providentur? Quasi vero nos ea quæ Providentia futura esse prænoscit, non evenitura credamus: ac non illud potius arbitremur, licet eve-

^b Quomodo.



2 Uterque Thuan. Reg. et Vict. secundus: *arbitrio veniunt*.—3 Mss. *tametsi futuris rebus eveniendi*.—4 Vetus: *ne ille prænotio quidem*.—5 Frustra

NOTÆ

dens, verum etiam vera et certa futurorum scientia, certe divina Providentia recte conciliabitur cum humana libertate: siquidem prædicta omnia argumenta contraria hac propositione continentur: sicut attendenti patebit. Atqui res ita se habet: cum enim notio præsentium et

prænotio eorundem futurorum sint idem cogitandi modus, nec differant nisi tempore, cui Deus non subest, propterea, ut notio præsentium, sic prænotio futurorum liberorum potest esse evidens, vera, et certa, nullamque ipsis affert necessitatem.

niant, nihil tamen, ut evenirent, sui natura necessitatis habuisse: quod hinc facile perpendas licebit. Plura etenim, dum fiunt, subjecta oculis intuemur: ut ea quæ in quadrigis^c moderandis atque flectendis facere spectantur aurigæ: atque ad hunc modum cetera. Num igitur quicquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit? Minime. Frustra enim esset^d artis effectus, si omnia coacta moverentur. Quæ igitur, cum fiunt, carent existendi necessitate, eadem, prius quam fiant, sine necessitate futura sunt. Quare sunt quædam eventura quorum exitus ab omni necessitate sit absolutus. Nam illud quidem nullum arbitror esse dicturum, quod quæ nunc fiunt, prius quam fierent, eventura non fuerint. Hæc igitur etiam præcognita liberos habent eventus. Nam sicut scientia præsentium^e nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt, necessitatis importat.^d Sed hoc, inquis, ipsum dubitatur, an earum rerum, quæ necessarios exitus non habent, ulla possit esse prænotio. Dissonare^e etenim videntur: putasque, si prævideantur, consequi necessitatem; si necessitas desit, minime præsciri; nihilque scientia comprehendi posse nisi certum. Quod si quæ incerti^f sunt exitus, ea quasi certa providentur, opinionis constat^g id esse caliginem,^f non scientiæ veritatem. Aliter enim ac sese res habeat^g arbitrari,^g ab integritate scientiæ credis esse diversum. Cujus erroris causa^w est, quod omnia quæ quisque novit, ex ipsorum tantum vi atque natura cognosci existimat quæ sciuntur: quod totum contra est.

^c *Curribus.*^d *Infert.*^e *Pugnare.*^f *Obscuritatem.*^g *Judicare.*

enim esse Delph. Hack.—6 Mss. et edd. prædictæ: s. præsentium rerum.—7 ‘Thuan. secundus: quibus incerti: non male.’ Vallin.—8 Uterque Thuan. Reg. Vict. secundus, et edd. Delph. et Hack. omittunt vocem constat.—

NOTÆ

^w *Cujus erroris causa]* iv. Philosophia ostendit, prædicti erroris causam in eo versari, quod cum ad cognoscendum necessaria sit cum mens

cognoscens, tum materia cognoscenda, prædicti Providentiæ divinæ adversarii prænotationem divinam accipiant secundum naturam materiæ

Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem.^h Nam ut hoc brevi liqueat exemplo, eandem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit.ⁱ Ille eminus manens, totum simul jactis radiis intuetur; hic vero cohærens orbi, atque conjunctus, circa ipsum motus ambitum, rotunditatem partibus comprehendit. Ipsum quoque hominem aliter sensus,^x aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur. Sensus enim figuram in subjecta materia constitutam, imaginatio¹⁰ vero solam sine materia judicat figuram. Ratio vero hanc quoque transcendit, speciemque ipsam quæ singularibus inest, universali consideratione perpendit. Intelligentiæ vero celsior oculus existit.^k Supergressa namque universitatis ambitum, ipsam illam simplicem formam pura mentis acie contuetur. In quo illud maxime considerandum est: nam superior¹¹ vis comprehendendi amplectitur inferiorem: inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam: sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma, quæ subsunt, cuncta¹²

^h Quod cognoscitur, id non ad modum cogniti, sed ad modum potius cognoscentis cognoscitur. ⁱ Corpus rotundum visu absens, tactu præsens solummodo percipitur. ^k Intelligentia sublimior est cognoscendi modus.

9 Habeant edd. eædem.—10 Constitutam. Imaginatio edd. eædem.—11 Ms. Rittersh. Considerandum est, quod superior.—12 Subsunt etiam cuncta Delph.

NOTÆ

cognoscendæ, cum tamen accipienda sit secundum naturam mentis cognoscentis: sicut Philosophia probat primum pluribus exemplis, deinde ratione.

^x *Aliter sensus, &c.*] Primum quidem exempla ista sunt sensus speciatim, sensus generatim, imaginatio, ratio, et intelligentia; quæ ita accipi debent ex parte ipsius cognoscentis, ut quamvis sint de eadem materia

subjecta v. g. de eodem corpore rotundo, differant. Nimirum mens humana, quæ non nisi ab alio informari potest, duobus generatim modis informata cognoscit, nimirum a Deo, cujus ipsa est effectum; et a corpore, cujus eadem est forma. Mens humana a Deo informata rursus dupliciter dicitur cognoscere, nempe prima, et continuata attentione: prima attentio vocatur ‘intelligentia:’ con-

dijudicat: sed eo modo quo formam ipsam, quæ nulli alii nota esse poterat, comprehendit. Nam et rationis universum, et imaginationis¹³ figuram, et materiale sensibile cognoscit, nec ratione utens, nec imaginatione, nec sensibus, sed illo uno ictu mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens. Ratio quoque cum quid universale respicit, nec imaginatione, nec sensibus utens, imaginabilia, vel sensibilia comprehendit. Hæc est enim quæ conceptionis suæ universale ita definit:¹⁴ Homo est animal bipes rationale:¹⁵ quæ cum universalis notio sit, tamen imaginabilem, sensibilemque¹⁶ esse rem nullus ignorat, quod illa non imaginatione,¹⁷ vel sensu, sed rationali¹⁸ conceptione considerat. Imaginatio quoque, tametsi ex sensibus visendi formandique figuras sumsit exordium, sensu tamen absente sensibilia quæque collustrat, non sensibili, sed imaginaria ratione judicandi. Videsne igitur, ut in cognoscendo cuncta, sua potius facultate, quam eorum quæ cognoscuntur, utantur? Neque id injuria:¹⁹ nam cum omne

¹ *Immerito.*



Hack.—13 Vict. secundus: *imaginis*.—14 Thuan. secundus, et Reg. ita *definit*.—15 Ms. Rittersh. plenius: *Homo est animal rationale, bipes, mortale*.—16 *Tum imaginabilem* Delph. Hack. ‘Non video causam cur doctissimi Belgarum J. Lipsii bonum codicem non audiam: *tamen imaginalem sensibilemque*, ea notione qua non solum *sensibile*, sed *sensile* dicimus, et similia.’ Bernart.—17 Thuan. secundus: *non in imaginatione*.—18 Idem: *sed rationabili*.

NOTÆ

tinuata vero dicitur ‘ratio,’ ut ‘ratio’ nihil aliud sit, quam innata notio paulo longius diffusa. Mens autem humana ab ipso corpore informata duobus pariter modis cognoscere potest. Primo, quatenus mens ipso duntaxat cerebro, cujus est forma, movente percipit: ut cum per somnum mens venatoris sylvas et lustra cogitat; idque vocatur ‘imaginatio.’ Secundo, quatenus eadem mens ab ipsis etiam aliis corporibus cum interioribus, tum etiam exterioribus commota percipit: quod vocatur ‘sensus:’ hic autem vel est interior, ut fames et sitis; vel est exterior nempe

visus, auditus, odoratus, gustus, et tactus. Atque hi omnes cognoscendi modi ita inter se disponuntur, ut quo a paucioribus causis pendent, eo, utpote ad divinam sapientiam propius accedentes, sint perfectiores: sic gustus tactu; odoratus gustu; auditus odoratu; visus auditu; imaginatio sensu; ratio imaginatione; intelligentia ratione est perfectior: sic probatur exemplis, modum cognoscendi accipi secundum naturam cognoscentis.

¹⁹ *Neque id injuria*] Deinde id ipsum probatur ratione: nam modus rei, utpote qui non distinguitur a re mo-

judicium judicantis actus existat, necesse est ut suam quisque operam non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat.

NOTÆ

dificata, accipi debet potius secundum naturam rei modificatæ, quam secundum naturam alterius etiam modificantis. Atqui notio non secus ac judicium est modus ipsius mentis cognoscentis et judicantis. Et certe quanquam, inquit Philosophia, Stoici

existimaverint, mentem humanam, nihil nisi a corporibus informatam, percipere; hæc tamen ab efficaciore principio informata, et insensilia, sine ministerio corporum, et sensilia, famulantibus ipsis corporibus, percipit.

METRUM IV.

QUONDAM porticus^z attulit
Obscuros nimium senes,
Qui sensus, et imagines^a
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,

5

Porticus Atheniensis produxit olim Philosophos indoctiores, qui existimabant sensus notionesque omnes, ortas ex corporibus exterioribus imprimi mentibus: quem-

NOTÆ

^z *Porticus*] Nimirum Atheniensis. Erat enim Athenis quædam porticus, in quam nonnulli ad disserendum de quacumque materia convenire solebant: sic suus Cadomi, Bajocarum, ceterarumque minorum urbium locus, in quem plures dicendarum audientiarumque rerum novarum causa convenire consueverunt. Zeno autem inter veteres Philosophos celeberrimus, nactus hanc occasionem, hic instituit docere Philosophiam, illiusque discipuli ab isto loco vocati sunt Stoici: *στοὰ* enim Græcis est porticus. Hos Philosophia nunc vocat 'senes obscuros': 'senes' quidem, quod virtutem præsertim, in qua una vitam beatam versari arbi-

trabantur, colerent instar sapientissimorum Senum: 'obscuros' vero, quod hic erraverint; error enim ex obscuritate nascitur. Quia vero iidem Stoici Dialecticæ, cujus princeps eorum Zeno fertur esse inventor, præcipue studebant, idcirco Philosophia nunc, exposito illorum errore, eosdem refutat argumentis ex Dialectica desumptis; tum quid sentiendum sit, declarat.

^a *Qui sensus, et imagines, &c.*] I. Philosophia exponit errorem Stoicorum, qui in hoc versatur, quod putarent, non modo sensus, sed omnes notiones, quas hic Philosophia vocat 'imagines,' quasque ipsi Stoici, auctore Tullio in *Top.* appellabant *ἐννοίας καὶ*

Ut quondam celeri stylo
 Mos est æquore paginæ
 Quæ nullas habeat notas,
 Pressas figere literas.
 Sed mens si propriis^b vigens 10
 Nihil motibus explicat,
 Sed tantum patiens jacet
 Notis subdita corporum,
 Cassasque in speculi vicem
 Rerum reddit imagines, 15
 Unde hæc sic animis viget
 Cernens omnia notio?

admodum Veteres solebant calamo veloci imprimere literas in charta æquabili, nullisque antea characteribus insignita. At si mens nostra nihil evolvit propria sua cogitatione, sed obnoxia impressionibus corporum ab his solum patitur, et refert imagines inutiles rerum objectarum instar speculi; cur cognitio universalis omnium,

NOTÆ

πρόληψις, a corporibus etiam exter-
 nis imprimi mentibus: non secus ac
 literæ currente calamo imprimuntur
 chartæ. Hinc Stoici, inquit S. Aug.
 l. VIII. de Civ. D. c. 7. 'posuerunt
 iudicium veritatis in sensibus corpo-
 ris, eorumque infidis et fallacibus re-
 gulis omnia quæ discuntur metienda
 esse censuerunt.'

^b *Sed mens si propriis, &c.*] II. Phi-
 losophia refutat Stoicorum hunc er-
 rorem argumentis ex Dialectica, cui
 illi plurimum studebant, desuntis:
 nam in Dialectica, præter notionem
 tam universalem quam singularem,
 tractatur divisio, definitio, methodus,
 et ipsa veritatis norma: quæ omnia
 fieri non possunt, si mens humana
 omnes suas notiones corporibus ac-
 ceptas referat. Primo enim, nulla
 erit notio universalis, sive 'cernens
 omnia notio:' siquidem notio univer-
 salis non acquiritur sensibus, quibus
 quicquid percipitur, illud certo tem-
 pore certoque loco ita circumscribi-
 tur, ut sit singulare. Secundo, nulla
 etiam erit notio singularis, qua mens

'singula prospicit:' quia, præter-
 quam quod mens humana seipsam
 singularem non prospicit famulante
 corpore, qui tactu visque percipi
 creditur, triangulus circulusve singu-
 laris, hic revera triangulus circulusve
 non est: quandoquidem triangulus
 singularis non constat nisi tribus li-
 neis, quæ ita inter se coëant, ut ex
 his fiant tres anguli æquales duobus
 rectis: circulus vero non constat nisi
 una linea circa unum punctum ita
 circumducta, ut omnes illius partes
 ab hoc puncto æqualiter distent:
 cum tamen omnis triangulus circu-
 lusve sensibilis, sicut exquisitis per-
 spiciliis sive, ut loquuntur, 'micro-
 scopis' animadvertere possumus, in-
 finitis prope constet lineis, qua-
 rum aliæ egressæ, aliæ ingressæ
 prædictam anguli circulative notionem
 singularem impediunt. Tertio, nulla
 quoque erit divisio, qua mens 'cog-
 nita dividit:' cum hæc non fiat nisi
 mente ea quæ sensibus videntur con-
 juncta separante, sive, ut loquuntur
 Logici, 'abstractione.' Quarto, nulla

Quæ vis singula prospicit,
Aut quæ cognita dividit?

Quæ divisa recolligit,
Alternumque legens iter
Nunc summis caput inserit,

20

est adeo perspicax in mentibus humanis? quomodo singula cognoscuntur? quomodo cognita dividuntur? quomodo divisa resumuntur? quomodo alternis, modo ab imis

NOTÆ

erit definitio, qua mens ‘divisa recolligit:’ nam, inquit Crassotius, l. II. Post. Anal. cap. 1. Ar. 1. ‘si machinalis horologii partes omnes dissolvantur, et post dissolutionem singulæ spectandæ exhibeantur, tum videtur esse quasi specimen divisionis et partitionis Logicæ. Si partes eas omnes clare et distincte apprehendas, sed suo quamque loco et ordine in toto, tunc videtur esse definitionis specimen:’ ex quo sequitur vim, quæ non potest cognita dividere, non posse etiam ‘divisa recolligere,’ sive definire. Quinto, nulla erit methodus, quæ scilicet monti vallique similis nunc a speciebus subjectis ad genus supremum ascendit; nunc a genere supremo ad subjectas species descendit, suis quæque ordinibus disponendo: nam, ut jam dictum est, genus, species, illorumque ordo sensibus non percipitur. Sexto denique, nulla erit veritatis norma, qua mens ‘falsa redarguit:’ nam regula veritatis, Græcis κριτήριον, illud est, quo tanquam duce fallere et falli nescio, mens humana ita persuadetur, hæc ut verum omnisque dubitationis expers iudicium formet: talis autem non potest esse sensus, de quo nunc agitur; siquidem hoc sæpius fallimur: qua re Stoici putantes, omnem notionem oriri a sensibus, omnem etiam veritatis normam abjiciebant: ut monuit S. Aug. prædicto lib. VIII. de Civit. c. 7. ubi etiam ait: ‘cum pulchros dicant non esse nisi sapientes,

quibus sensibus corporis istam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis, formam sapientiæ decusque conspexerint?’ Hanc vero veritatis normam indicat Philosophia dicens mentem ‘sese referentem sibi.’ Nam duplex est ejusmodi veritatis norma: una exterior et in genere causæ efficientis, videlicet Deus, qui quod sit infinite sapiens et bonus, idcirco falli et fallere non potest: altera interior et in genere formæ, nempe evidentia, hoc est, notio clara et distincta, quam secuti nunquam errabimus, utpote ab ipso præceptore Deo docti. Mens ergo nostra ‘sese referens sibi,’ attendat animo ad hanc suam evidentiam, sive notionem claram et distinctam: ut quamdiu ipsa evidenter, sive clare et distincte, in rebus ad mysteria fidei non pertinentibus, non noverit, tamdiu ‘assensionem sustineat, ne præcipitet si temere processerit,’ ut loquitur Tullius: ‘turpe’ enim ‘est,’ inquit idem Orator, ‘cognitioni et perceptioni assertionem approbationemque præcurrere.’ At ubi eadem mens claram distinctamque suam notionem clare et distincte perceperit, tum remota omni dubitatione iudicium proferat, certa non ab hominibus, sed ab ipso Deo intrinsicè doceri: ‘si intellexistis,’ inquit S. August. in Joan. 40. ‘dictum est et cordi vestro. Munus Dei est intelligentia.’ Notandum in libro de Spiritu et Anima, qui vulgo recensetur inter opera S. Au-

Nunc desidit ¹⁹ in infima ;
 Tum sese referens sibi,
 Veris falsa redarguit ? 25
 Hæc est efficiens magis ^c
 Longe causa potentior,
 Quam quæ materiæ modo
 Impressas patitur notas.
 Præcedit tamen excitans, 30
 Ac vires animi movens,
 Vivo in corpore passio.
 Cum vel lux oculos ferit,
 Vel vox auribus instrepat :
 Tum mentis vigor excitus, 35
 Quas intus species tenet,
 Admotus ²⁰ similes vocans,

ascenditur ad summa, modo a summis descenditur ad ima? quomodo mens sese componens secum, veritate refutat errorem? Causa istorum omnium est multo magis efficax, et magis potens quam mens humana, quæ instar materiæ patitur formas impressas. Ipsa tamen corporis viventis impressio præit excitans commovensque vires mentis: ut cum lumen verberat oculos, aut vox insonat auribus: deinde vis illa mentis commota, conferens species sibi insitas cum ejusmodi motibus, sive



19 Uterque Thuan. et Vict. primus: *decidit*. Vid. Not. Var.—20 *Ad motus* Delph. Hack.

NOTÆ

gustini, cap. 11. reperiri hæc verba: ‘mens nunc caput summis inse-rit; nunc decidit in infimis; nunc sese inferens sibi veris falsa redar-guit;’ cum his etiam scripturæ erro-ribus, ‘decidit,’ ‘infimis,’ ‘inferens;’ ex quo, ut ex pluribus aliis argumen-tis optime Lovanienses concludunt, librum hunc non esse S. Augustini opus, sed cujusdam multo recentioris, forte Hugonis a S. Victore; quippe qui capite 33. ejusdem libri Boëthium nominat.

^c *Hæc est efficiens magis, &c.*] III. Philosophia declarat quid sit sentiendum. Primum quidem, nisi mens humana informaretur a Deo, qui non minus est ejus præceptor, quam con-ditor, eadem mens non posset cog-

noscere, neque generatim, neque sin-gulatim; non posset dividere, defi-nire, aut in ordinem redigere; nul-lam etiam haberet normam veritatis: quandoquidem hæc omnia sunt aut ingenita notio Dei ‘qui est,’ aut qui-dam ejusmodi notionis modus: prop-terea ‘hæc est efficiens magis Longe causa potentior.’ Deinde eadem mens, utpote quæ est corporis forma, ipso corpore commoto etiam afficitur sentiendo: sensus enim, docente S. Augustino l. de Quant. An. c. 25. est ‘passio corporis per seipsam non la-tens animam:’ idcirco ‘præcedit ex-citans vivo in corpore passio:’ ubi observabis hanc vocem, ‘passio,’ non esse ita Latinam, sed aptiorem nul-lam esse ad significandam hanc Phi-

Notis applicat exteris,
Introrsumque reconditis
Formis miscet imagines.

40

speciebus adventitiis, conjungit utrasque.

NOTÆ

losophiæ cogitationem. Sic 'lux' nihil est aliud quam motus oculi a Sole aut aliquo alio simili corpore commoti; commoto oculo nervus hinc ad cerebrum usque productus movetur; unde movetur et cerebrum, quo moto ipsa mens cerebro præsertim conjuncta ita commovetur, ut non modo

sentiat, sed etiam videat. Sic etiam 'vox' commovet 'aures.' Postremo mens conferens hanc ideam adventitiam, cum priori idea innata, tanta libertate judicat, ut possit non modo jungere consentaneas, et dissentaneas separare, verum etiam omnem assensionem sustinere.

 PROSA V.

QUOD si in corporibus sentiendis, quamvis afficiant instrumenta^m sensuum forinsecusⁿ objectæ qualitates, animique agentis vigorem passio corporis antecedit, quæ in se actum mentis provocet, excitetque interim quiescentes intrinsecus formas: si in sentiendis, inquam, corporibus animus non passione insignitur,^d sed ex sua vi subjectam corpori judicat passionem; quanto magis ea quæ cunctis corporum affectionibus absoluta sunt,^o in discernendo non objecta extrinsecus sequuntur, sed actum suæ mentis expediunt? Hac itaque ratione multiplices cognitiones diversis ac differentibus cessere substantiis.^p Sensus^e enim solus cunctis

^m Organa.

ⁿ Extrinsecus.

^o A corporum commercio libera sunt

^p Hoc modo diversis rebus diversa insunt cognoscendi genera.

NOTÆ

^d *Animus non passione insignitur]* Tali scilicet, quali corpus cum animo conjunctum insignitur, videlicet figura, quiete, et motu, quibus etiamsi corpus afficiatur, non propterea mens afficitur. Sed id non obstat, quin

mens sentiendo dicatur pati, auctore ipso Aristotele; quatenus videlicet 'non latet mentem, corpus pati:' sicut docet S. August.

^e *Sensus]* Aliter quidem judicamus de sensu; aliter noster auctor: sed

aliis cognitionibus destitutus, immobilibus animantibus cessit: quales sunt conchæ maris, quæque alia saxis hærentia nutriuntur. Imaginatio vero mobilibus belluis, quibus jam inesse fugiendi appetendive aliquis videtur affectus. Ratio vero humani tantum generis est, sicuti intelligentia sola divini: quo fit ut ea notitia ceteris præstet quæ suapte natura non modo proprium, sed ceterarum quoque notitiarum subjecta cognoscit.^g Quid igitur, si ratiocinationi^f sensus imaginatioque refragentur,^r nihil esse illud universale dicentes quod sese intueri ratio putet? Quod

^g *Et suam propriam et ceteris cognitionibus subjectam materiam percipit.*

^r *Adversentur.*

NOTÆ

hoc nihil facit ad præsens institutum. Primo enim, nobis sensus videtur debere definiri, sicut a S. Aug. definitur: 'passio corporis per seipsam non latens animam:' unde sensus accipi potest dupliciter, nimirum 'inadæquate,' ut loquuntur Philosophi, quatenus est 'passio corporis:' quo modo sensus reperitur in bestiis etiam; et 'adæquate,' ut aiunt iidem Philosophi, quatenus est 'passio corporis per seipsam non latens animam:' qua ratione sensus solius hominis est: quippe qui solus constat ex corpore et mente. Secundo, noster auctor ponit 'sensum' etiam proprie dictum in bestiis, cum hoc tamen discrimine; ut in conchis sit 'sensus' sine 'imaginatione,' in bestiis mobilibus etiam 'imaginatio' sine 'ratione,' sicut in homine 'sensus,' 'imaginatio,' et 'ratio,' sed sine 'intelligentia,' quam dicit 'divini generis.' At, inquam, si 'sensus' est in conchis, cur non in iisdem fuerit 'imaginatio?' cum 'sensus' et 'imaginatio' non differant, nisi quod 'sensus' suo quilibet organo, 'imaginatio' organo communi, videlicet cerebro perficiatur: quod cerebrum etiam in conchis occurrit. Si 'imaginatio' fuerit in aliis bestiis, v. g. in vulpe, cur

non in his fuerit 'ratio?' quandoquidem ab his plurima fiunt, ad quæ si necessaria fuerit quædam cognitio, etiam illa quæ 'sensus' vocatur et 'imaginatio,' certe 'ratio' necessaria erit, hoc est, progressus cognoscentis a notis ad ignota. Si denique 'ratio' fuerit in homine, ut revera est, cur non in eodem fuerit 'intelligentia?' cum 'ratio' non sit sine iudicio, nec iudicium sine 'intelligentia.' Nisi tamen nominata intelligentia Philosophia voluerit intelligi notionem a nullo acceptam et infinitam: hæc enim intelligentia solius Dei est. Tertio, hæc eo liberius notavimus, quod ad præsentem Philosophiæ demonstrationem nihil faciunt: sive enim bestię proprie sentiant sive non; modo unus homo sentiat, id satis erit ad animadvertendum discrimen ordinemque prædicatorum. Similiter quamvis homo intelligentia afficiatur, intelligentia tamen divina, utpote infinita, intelligentiam humanam ita superat, ut quæ intelligentia humana capi non possunt, hæc intelligentia divina recte comprehendantur.

^f *Quid igitur, si ratiocinationi, &c.]* Accedit tandem Philosophia ad eam, propter quam longa fuerunt prælu-

enim sensibile, vel imaginabile est, id universum esse non posse.¹ Aut igitur rationis verum esse iudicium, nec quicumque esse sensibile: aut quoniam sibi notum sit, plura sensibus et imaginationi esse subjecta, inanem conceptionem esse rationis, quæ quod sensibile sit ac singulare, quasi quoddam² universale consideret.³ Ad hæc, si ratio contra respondeat, se quidem et quod sensibile, et quod imaginabile sit, in universitatis ratione conspiciere; illa vero ad universitatis cognitionem aspirare non posse: quoniam eorum notio corporales figuras non possit excedere. De rerum vero cognitione, firmiori potius, perfectiorique iudicio esse credendum. In huiusmodi igitur lite, nos quibus tam ratiocinandi, quam imaginandi etiam, sentiendique vis inest, nonne rationis potius causam probaremus? Simile est quod humana ratio, divinam intelligentiam futura, nisi ut ipsa cognoscit, non putat intueri. Nam ita disseris: Si qua certos,⁴ ac necessarios habere non videantur eventus, ea certo eventura præsciri nequeunt. Harum igitur rerum nulla est præscientia,⁵ quam si etiam in his esse credamus, nihil erit quod non ex necessitate proveniat. Si igitur, uti rationis participes sumus, ita divinæ iudicium mentis habere possemus,⁶ sicut imaginationem sensumque rationi cedere oportere iudicavimus, sic, divinæ sese menti humanam submittere rationem, justissimum censeremus.



1 Ms. Rittersh. *non potest*.—2 Uterque Thuan. Vict. primus, et edd. Delph. Hack. *quiddam*.—3 Uterque Thuan. *considerat*.—4 *Si quæ certos* Delph. Hack. —5 Thuan. secundus: *nullam esse præscientiam*.—6 Vict. secundus: *habere*

NOTÆ

dia, comparisonem, quam ‘proportionis’ vocant: quasi dicat: Ut se habet sensus collatus cum sua subjecta materia ad imaginationem collatam cum sua materia: aut ut se habet imaginatio collata cum sua materia ad rationem collatam cum sua materia: ita se habet ratio collata cum sua materia ad intelligentiam

collatam cum sua materia: sicut ergo ex imbecillitate sensus non est neganda imaginatio, aut ex imbecillitate imaginationis non est neganda ratiocinatio; sic ex imbecillitate ratiocinationis aut intelligentiæ humanæ non est neganda divina futurorum liberorum intelligentia sive prænotio.

Quare in illius summæ intelligentiæ cacumen,^g si possumus, erigamur; illic enim ratio videbit quod in se non potest intueri. Id autem⁷ est, quonam modo etiam quæ certos exitus non habent, certa tamen videat ac definita prænotio: neque id sit opinio, sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas.

//////////

possimus.—7 Ms. Rittersh. omittit voculam *autem*.

NOTÆ

^g *Quare in illius summæ intelligentiæ cacumen, &c.*] Studeamus accedere ad intelligentiam divinam: cum enim hac intelligentia divina perfecte comprehendatur prædicta divinæ Providentiæ humanæque libertatis concordia, quanto propius ad divinum intelligendi modum accedemus, tanto magis hæc concordia nobis innotes-

cet: sed ad Deum accedere non possumus nisi diligenti ad ipsum Deum facta attentione: ad quod ipsa etiam nostri corporis figura nos videtur hortari: siquidem natura, inquit Philosophia, ceteras animantes abjecit ad pastum, solum hominem erexit, ad cœlique quasi cognitionis, et domicili pristini conspectum excitavit.

METRUM V.

QUAM variis^h terras animalia permeant figuris!
Namque alia extento sunt corpore, pulveremque verrunt,

Quam diversis figuris præditæ animantes percurrunt terras! aliæ enim habent corpus longum, quæ serpentes virtute sui pectoris verrunt pulverem et ducunt sul-

NOTÆ

^h *Quam variis, &c.*] Hominem solum erecto, cetera vero animalia prono vultu incedere dixerunt plurimi tam oratores quam poëtæ. Audivisti Tullium, audi Ovidium l. i. Metam. Fab. 2. 'Pronaque cum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit, cœlumque videre Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.' Hic tamen distinguendum videtur inter situm corporis, situmque vultus tam hominis, quam ceterorum animalium: nam erectus homo, cetera ve-

ro animalia prona sunt corpore: vultus autem adeoque aspectus tam hominis, quam ceterorum animalium (saltem si excipiatur piscis ille, qui οὐρανοσκόπος vocatur, quod oculos in superna corporis parte habens, cœlum veluti invitus spectet) non sublimis, sed ad horizontem plus, minus est directus: unde diversa in omnibus animalibus est cerebri constitutio: quod discrimen videtur hic observari: non enim dicitur bestias terram, hominem vero cœlum conversis deor-

Continuumque trahunt vi pectoris incitata sulcum.
 Sunt quibus alarum levitas vaga verberetque ventos,
 Et liquido longi spatia ætheris enatet volatu.ⁱ 5
 Hæc pressisse solo vestigia, gressibusque gaudent
 Vel virides campos transmittere, vel subire sylvas.
 Quæ variis videas licet omnia discrepare formis,
 Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.^k
 Unica gens hominum celsum levat altius cacumen, 10
 Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.
 Hæc, nisi terrenus male desipis, admonet figura,^l
 Qui recto cœlum vultu petis, exerisque frontem,
 In sublime feras animum quoque, ne gravata pessum^m
 Inferior sidat mens corpore celsius levato. 15

cum continuatum: aliæ errantes pennis levibus percutiunt ventos, et longo volatu transeunt magna intervalla aëris liquidi: aliæ gestiunt gradiri per terram; sive hæ passibus transeant agros virides; sive ingrediantur sylvas. Quæ animantes, licet omnes, ut cernis, differant inter se pluribus modis, in hoc tamen conveniunt, quod facies illarum inclinata ad terram, deprimat earundem sensus obtusos. Sola gens hominum erigit altius caput suum sublime, levisque stat corpore erecto, et contemnit terras. Hæc figura te monet, nisi obrutus terra stulte deliras, ut qui tendis ad cœlum vultu recto, et erigis frontem, tu extollas etiam mentem tuam in altum, ne mens oppressa jaceat deorsum, inferior ipso corpore altius erecto.

NOTÆ

sum sursumve oculis videre: sed tantum cetera animalia pronò, hominem vero recto stare corpore: quod sufficit, ut mens humana peculiari sui corporis figura excitetur ad cogitandum Deum. Bestiæ autem, quæ hic numerantur, sunt 1. serpentes, 2. volucres, 3. pedites, quæ vel campos percurrunt, vel sylvas ingrediuntur: de quibus nihil occurrit annotatione dignum.

^l *Liquido longi spatia ætheris enatet volatu]* Confusio verborum, quæ Grammaticis vocatur Hyperbate: siquidem æther liquidus et volatus longus dici deberet. Sic Virgil. ‘ibant obscuro sola sub nocte:’ ‘sceleratam intorsit hastam:’ ‘dare classibus Austros.’

^k *Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus]* Sensus enim non viget nisi spiritibus a corde ad cere-

brum, et a cerebro per nervos ad reliquas corporis partes diffusis: hi autem spiritus minus libere in pronum, quam in erectum caput a corde diffluunt.

^l *Admonet figura]* Si corpora generatim possunt esse quædam mentium exempla, ut certe sunt, corpus humanum præcipuum quoddam esse debet mentis consortis exemplum; ut quemadmodum corpus humanum, veluti servatis corporum levium legibus, ad cœlum recta tendit, ita mens humana ad Deum cogitando aspiret: sed est alia ratio: nimirum

^m *Ne gravata pessum, &c.]* Ne mens humana victa perturbationibus ejus, cujus domina esse debet, corporis fiat mancipium. Nam ad Philipp. 3. ‘gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.’

PROSA VI.

QUONIAM igitur, uti paulo ante monstratum est, omne quod scitur, non ex sua, sed ex comprehendentium natura cognoscitur, intueamur nunc, quantum fas est, quis sit divinæ substantiæ status, ut quænam etiam scientia ejus sit, possimus agnoscere. Deum igitur æternum esse, cunctorum ratione degentium [‘] commune judicium est.ⁿ Quid sit igitur æternitas, consideremus. Hæc enim nobis naturam ⁸ pariter divinam, scientiamque patefecerit.⁹ Æternitas igitur est, interminabilis ^v vitæ tota simul et perfecta possessio: ^o quod ex collatione ^w temporalium clarius liquet.^z

^s Philosophis. [‘] Viventium. ^u Æternitate cognita, divina cum natura, tum etiam scientia cognoscatur necesse est. ^v Infinitæ. ^w Comparatione. ^z Patet.



8 Naturam nobis Delphi. Hack.—9 Uterque Vict. patefacit: et uterque

NOTÆ

ⁿ Deum igitur æternum esse... commune judicium est] Nam æternitas clare et distincte comprehensa cognoscitur in clara distinctaque Dei notione, quam omnes homines divinitus insitam habent: non secus ac tres anguli cognoscuntur comprehendendi in idea trianguli: quare sicut omnes homines judicant, triangulum constare tribus angulis; sic omnes judicant, Deum esse æternum.

^o Æternitas igitur est, interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio] Hæc æternitatis definitio a S. Thoma et ceteris Theologis admittitur: quare particulatim videtur exponenda. Dicitur 1. ‘ possessio:’ quia æternitas est propria Dei perfectio. Nimirum ‘ possessio ’ a corporibus ad mentes transfertur: ‘ possessio ’ autem corporum in hoc versatur, quod illorum ita domini sumus, ut in iis et pedem ponere et sedem figere potes simus:

‘ possidere ’ quippe videtur dici quasi ‘ potens, ’ vel ‘ potis, ’ vel etiam ‘ pos ’ sedere: cum ‘ pos ’ pro ‘ potis ’ vel ‘ potens ’ remanserit in ‘ compos ’ et ‘ impos. ’ Quamobrem ‘ possessio ’ in mentibus optime vocabitur individua mentis perfectio. Æternitas autem est individua Dei perfectio: quandoquidem res summe perfecta cogitari non potest nisi æterna. Sanctus Thomas 1. p. q. 10. a. 1. ad 6. ‘ illud quod possidetur, ’ inquit, ‘ firmiter et quiete habetur: ad designandam ergo immutabilitatem et indeficientiam æternitatis [Boëthius] usus est nomine possessionis. ’ Dicitur 2. ‘ vitæ: ’ ut enim æternitas quidam est modus, sic æternitas, alicujus dici debet æternitas: nullius autem melius æternitas dici potest, quam ‘ vitæ, ’ quippe qua non solum animata corpora ab inanimatis, sed etiam mentes a corporibus, immo et ab aliis mentibus dif-

Nam quicquid vivit in tempore, id præsens a præteritis in futura procedit: nihilque est in tempore constitutum quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit: hesternum vero jam perdidit. In hodierna quoque vita non amplius vivitis quam in illo mobili^y transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles,^z nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitæque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul, infinitæ licet vitæ spatium comprehendit, atque complectitur: sed futura nondum transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac possidet; cui neque futuri quicquam absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur: idque necesse est et sui compos præsens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde non recte quidam, qui cum audiunt visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim, per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit: aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam,^{1°} quod di-

^y Fluxo.^z Lib. I. de cælo.

Thuan. patefecit.—10 Præsentiam. Sic emendavit Vallinus ex consensione

NOTÆ

ferunt. 'Vita' autem cujus æternitas veluti modus est, nihil aliud esse videtur, quam cogitatio; quod æternitas non possit esse nisi mentis, cujus vivere est cogitare. Hinc Aristoteles I. XII. Meta. c. 7. 'Mentis,' inquit, 'cogitatio vita est,' unde 'Philosophus ille ibid.' ait S. Thom. I. p. q. 18. a. 3. 'ostenso quod Deus sit intelligens, concludit quod habeat vitam perfectissimam et sempiter-

nam, quia intellectus ejus est perfectissimus et semper in actu.' Dicitur 3. 'tota simul:' quia vita illa, cujus æternitas dicitur modus, nihil successionis habet: in quo differt a tempore, quod dicitur diurnitas rei, quæ ut incœpit sic desinet esse, cujusmodi est forma equi: differentia enim temporis, nimirum præsens, præteritum, et futurum nunquam sunt simul, sed sibi invicem succe-

vinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque Deus¹¹ conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. Hunc enim vitæ immobilis præsentarium statum^a infinitus ille temporalium rerum motus imitatur: cumque eum effingere, atque æquare non possit, ex immobilitate deficit immotum,¹² et ex simplicitate præsentiae decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem; et, cum totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo nunquam esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur æmulari, alligans se ad qualemcumque præsentiam hujus exigui volucrisque momenti: quæ, quoniam manentis illius præsentiae quandam gestat imaginem,¹³ quibuscumque contigerit, id præstat, ut esse videantur. Quoniam vero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit: eoque modo factum est ut continuaret eundo vitam, cujus plenitudinem complecti non valuit permanendo. Itaque si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mun-

^a *Qui sit totus simul.*

omnium veterum codicum.—11 *Neque enim Deus* Delph. Hack.—12 *Deficit in motum* edd. eædem.—13 ‘*Illius præsentiae quandam gestet imaginem*] Leviculum est, sed longe melius quod in veteribus *gestat*: flagitante sententia

NOTÆ

dunt. Dicitur 4. ‘interminabilis:’ quia æternitas illius est vitæ, quæ neque principio neque fine describitur: in quo etiam differt ab ævo, quod dicitur diuturnitas rei, quæ habuit quidem principium, sed nunquam habitura est finem; cuiusmodi est mens mea: ævum quippe illud saltem uno termino describitur, videlicet principio, ex quo incœpit. Dicitur 5. ‘perfecta:’ quia cum æternitas sit mentis adeoque vitæ perfectæ modus, hæc etiam perfecta sit, necesse est, quamobrem hæc nullam agnoscere debet sui cau-

sam: in quo æternitas differet adhuc a mundo, si hic, ut somniavit Aristoteles, ex æterno extitisset. Ex his porro omnibus, in quibus ratio æternitatis versari dicitur a Philosophia, unum est quod eadem Philosophia præsertim explicat; nempe quod sit ‘tota simul,’ atque ceteras diuturnitates videlicet ævum, et tempus, hanc æternitatis proprietatem, quoad possunt, imitari; ut, si non possunt habere, saltem ‘habere videantur manentem illam præsentiam.’

dum vero dicamus esse perpetuum. Quoniam igitur^p omne iudicium secundum sui naturam,^b quæ sibi subjecta sunt, comprehendit: est autem Deo semper æternus ac præsentarius status: scientia quoque ejus, omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentia, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præscientiam¹⁴ pensare velis qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ, rectius æstimabis. Unde non Prævidentia, sed Providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Quid igitur postulas ut necessaria fiant quæ divino lumine lustrentur, cum ne homines quidem necessaria faciant esse quæ videant? Num enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Minime. Atqui si est divini humane præsentis digna collatio,^c uti vos vestro hoc temporario præsentis quædam videtis, ita ille^d omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio naturam rerum proprietatemque non mutat; taliaque apud se præsentia spec-

^b *Mentis judicantis.*^c *Comparatio.*^d *Deus.*

ita edidi.' Bernart.—14 *Præsentiam* Delph. Hack.—15 '*Necessaria, quam non*

NOTÆ

^p *Quoniam igitur, &c.*] Ex prædictis Philosophia sic nobis videtur argumentari: Cum iudicandum sit de notione secundum naturam mentis cognoscentis; cumque Deus cognoscens futura libera, de quibus nunc agitur, natura sua sit æternus, hoc est, semper cogitans semperque vivens sine ulla differentia præsentis, præteriti, et futuri; idcirco notio Dei ita cogitari debet æterna sive 'tota simul,' ut eodem modo se habeat circa futura libera, quomodo

circa præsentia: quo fit ut illa Dei notio 'non præscientia quasi futuri, sed scientia nunquam deficientis instantiæ rectius æstimetur: unde non Prævidentia, sed Providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.' Atqui notio liberorum præsentium, nullam illis imponit necessitatem: non 'enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus:' similiter si Deus ignarus futurorum

tat, qualia in tempore olim futura provenient: nec rerum iudicia confundit; unoque suæ mentis intuitu tam necessario, quam non necessario ¹⁵ ventura dignoscit.^e Sicuti vos cum pariter ambulare in terra hominem, et oriri ¹⁶ in cœlo Solem videtis; quanquam simul utrumque conspectum, tamen discernitis;^f et hoc voluntarium,^g illud esse necessarium^h iudicatis. Ita igitur cuncta despiciens divinus intuitus, qualitatem rerum minime perturbat, apud se quidem præsentium, ad conditionem vero temporis futurarum. Quo fit ut hæc non sit opinio,¹⁷ sed veritate potius nixa cognitio,ⁱ cum extitutum quid esse cognoscit quod idem existendi necessitate carere non nesciat. Hic si dicas, quod eventurum Deus videt, id non evenire non posse: quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere, meque ad hoc nomen necessitatis astringas: fatebor quidem rem ¹⁸ solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis nisi divini speculator accesserit.^k Respondebo namque idem futurum, cum ad divinam notionem refertur, necessarium; cum vero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ sunt etenim necessitates; simplex una, veluti quod necesse est, omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare ¹⁹ scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter ac

^e Et ea quæ necessario, et ea quæ non necessario ventura sunt, cognoscit.
^f Ponitis discrimen. ^g Hominem ambulare. ^h Solem oriri. ⁱ Certa scientia.
^k Rem quidem esse verissimam, sed ei solum menti perviam, quæ rebus divinis contemplandis assueta est.

necessaria. Uterque Thuan. Reg. et Vict. secundus: *necessarie quam non necessarie.* Vallin. Sic etiam edd. prædictæ.—16 Mss. *Sicut vos . . . hominem conspicitis et oriri.*—17 *Hoc non sit opinio* Delph. Hack.—18 *Fatebor rem quidem* edd. eædem.—19 Thuan. primus: *aliquem hominem ambulare.*—20 Uter-

NOTÆ

illa non cognosceret nisi dum adsunt præsentia, notio hæc Dei nullam illis afferret necessitatem: essetque idem discrimen quod nunc animadvertimus, inter ortum Solis et meam locutionem, quod ille necessario, hæc

libere fiat. Quamobrem sicut ex notione præsentium, sic ex prænotione divina futurorum liberorum, non potest inferri hæc esse necessaria nisi 'sub conditione:' sicut etiam notio præsentium (licet in homine tunc li-

notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem^l trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem,^{m 2o} quamvis eum tamen,¹ cum graditur,ⁿ incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid Providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat naturæ² necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur, ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis: per se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt.^o Fiant³ igitur proculdubio cuncta quæ futura Deus esse prænoscit, sed eorum quædam de libero profisciscuntur arbitrio: quæ quamvis eveniant existendo, tamen propriam naturam non amittunt: quia prius⁴ quam fierent, etiam non evenire potuissent. Quid igitur refert non esse necessaria, cum propter divinæ scientiæ conditionem modis omnibus, necessitatis instar, eveniant? Hoc scilicet, quod ea quæ paulo ante proposui,⁵ Sol oriens, et gradiens^p homo, quæ dum fiunt, non fieri non possunt: eorum tamen unum prius quoque quam fieret, necesse erat existere: alterum vero minime. Ita etiam quæ præsentia Deus habet, procul dubio existunt: sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit, illud vero de potestate facientium. Haud igitur^q injuria diximus, hæc, si ad divinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessita-

^l *Necessitatem.* ^m *Ambulantem.* ⁿ *Ambulat.* ^o *Non privantur absoluta libertate suæ naturæ.*
^p *Ambulans.* ^q *Non immerito.*

que Thuan. Reg. et Vict. secundus: *voluntate gradientem.*—1 Vict. primus, et Reg. *cum tum.*—2 *Naturæ habeat* Delph. Hack.—3 *Fient* edd. eædem.—4 *Quæ prius* edd. eædem. Uterque Thuan. *qua prius.*—5 Thuan. primus: *po-*

NOTÆ

bere agente, illæsa remaneat potestas ad utrumlibet) est evidens, vera, et certa scientia, sic etiam prænotio divina futurorum (quamvis in homine olim acturo intemerata perseveret po-

testas ad utrumlibet) est evidens, vera, et certa scientia. Atque id eo potius, quod quamvis mea locutio sit causa notionis, qua nunc cognoscis me loqui; nulla tamen res, sive præ-

tis esse nexibus absoluta: sicuti omne quod sensibus patet, si ad rationem referas, universale est; si ad seipsum respicias, singulare. Sed si in mea, inquires, potestate situm est mutare propositum, evacuabo^r Providentiam, cum quæ illa prænoscit, forte mutavero. Respondebo, Propositum te quidem tuum posse deflectere, sed quoniam et id te posse, et an facias, quove convertas, præsens Providentiæ veritas intuetur, divinam te præscientiam⁶ non posse vitare; sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamvis te in varias actiones libera voluntate converteris. Quid igitur? inquires, ex meane⁷ dispositione scientia divina mutabitur; ut cum ego nunc hoc, nunc illud velim,⁸ illa quoque noscendi vices alternare videatur? Minime. Omne namque futurum divinus præcurrit intuitus, et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet, ac revocat:⁹ nec alternat, ut tu existimas, nunc hoc, nunc illud prænoscendi vices: sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit, atque complectitur. Quam comprehendendi omnia, visendique præsentiam, non ex futurarum proventu^r rerum, sed ex propria Deus simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque resolvitur quod paulo ante posuisti, indignum esse si scientiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientiæ vis¹⁰ præsentaria notione cuncta complectens,¹¹ rebus omnibus modum ipsa constituit, nihil vero posterioribus debet.¹² Quæ cum ita sint, manet inteme-

^r *Destruam.* ^s *Eventu.* ^t *Refert acceptum.*

.....

sui.—6 Thuan. secundus, et Reg. *divinam te præsentiam.*—7 *Quid igitur, inquires? Ex meane* Delph. Hack.—8 Uterque Thuan. et Vict. secundus: *nunc aliud velim.*—9 *‘Omne namque futurum divinus præcurrit intuitus, et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet ac revocat’* Aurea sententia, sed literulæ vitio fœde deformata: reformavi ex scriptis in alium habitum: *propriæ cognitionis.* Id meæ fidei crede germanissimum esse, et salve quisquis es Lector.’ Bernart. Ms. Rittersh. *cognitionis retorquet ac revocat.*—10 Thuan. secundus: *scientia ejus.*—11 Reg. *cuncta prospiciens vel complectens.*—12 Thuan.

NOTÆ

sens, sive futura, est causa divinæ seu notionis, seu prænotionis: nam ‘comprehendendi omnia visendique præ-

sentiam, non ex futurarum proventu rerum, sed ex propria Deus simplicitate sortitus est:’ ut nunc dicitur.

rata mortalibus arbitrii libertas. Nec iniquæ leges, solutis omni necessitate voluntatibus, præmia pœnasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum præsciens Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas¹³ cum nostrorum actuum futura qualitate concurrat, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes, precesque; quæ cum rectæ sint,¹⁴ inefficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta¹⁵ probitatis,⁹ cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.”

* *Dei.*

secundus: *dedit posterioribus.*—13 [*Semper-æternitas*] Sic conjunctim scribendum esse monet Fr. Juretus Miscellan. ad lib. III. Symmachi, Epist. 18. multis adductis exemplis: quale illud est Terentianum: *heri semper-lenitas.* Sitzm.—14 *Rectæ sunt* Delph. Hack. Thuan. primus: *receptæ sunt.*—15 Vict. secundus: *indita.*

NOTÆ

⁹ *Magna vobis est . . . necessitas indicta probitatis, &c.*] Nam ut loquitur S. Basilius in Regul. Brevioribus Respons. 2. ‘Mens iners ex eo efficitur, seque justo plus dedit otiosæ securitati, quod Deum adesse non credit, qui scrutetur corda et renes. Si enim hoc crederet prorsus illud face-

ret, quod dictum est: providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear . . . Quis est enim,’ inquit Respons. 29. ‘alterius potestati subiectus, qui in oculis principis sui aliquid ausurus sit unquam eorum, quæ ipsi non placent?’

THEODORI PULMANNI CRANEBURGII

DE METRIS BOETHIANIS

LIBELLUS.

GENERA metrorum quibus in libris de Consolatione Philosophiæ usus est Boëthius sunt sex et viginti.

Metrum primum, Dicolon distrophon : constat enim heroico, et pentametro : quo bis utitur.

- i. 1. Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu, mæstos cogor inire modos.
v. 1. Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax.
- - - - -
- - - - -

II. Monocolon. Versus est dactylicus Alcmanius tetrameter hypercatalectus : qui constat cæsura semiquinaria heroica, dactylo, et spondæo, sive trochæo : quo semel utitur.

- i. 2. Hen, quam præcipiti mersa profundo.
- - - - -

III. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est dactylicus. Secundus Alcmanius dactylicus tetrameter acatalectus, qui quatuor dactylis componitur : interdum tamen, præterquam in quarta regione, spondæum admittit. Utitur hoc Metro semel.

- i. 3. Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibusque prior rediit vigor.
- - - - -
- - - - -

IV. Monocolon. Versus est dactylicus Phalæcius pentameter hendecasyllabus, constans spondæo, dactylo, et tribus trochæis : quo bis utitur.

I. 4. Quisquis composito serenus ævo.

-- -UU -U -U --

III. 10. Huc omnes pariter venite capti.

-- -UU -U -U --

Hic vero in prima regione nonnunquam pro spondæo trochæum invenies.

V. Monocolon. Versus est anapæsticus Pindaricus, dimeter acatalectus, constans anapæsto : recipit tamen spondæum et dactylum : nonnunquam proceleusmaticum, sed rarius. Utitur hoc Carminis genere quinquies.

I. 5. O stelliferi conditor orbis.

III. 2. Quantas rerum flectat habenas.

IV. 6. Si vis celsi jura tonantis.

V. 2. Puro clarum lumine Phœbum.

V. 3. Quænam discors fœdera rerum.

-- -- -UU -U

Hoc Adonio finivit.

VI. Monocolon. Versus est Glyconius choriambicus trimeter acatalectus. Constat spondæo, choriambo, et Pyrrhichio : quo quinquies utitur.

I. 6. Cum Phœbi radiis grave.

II. 8. Quod mundus stabili fide.

III. 12. Felix qui potuit boni.

IV. 3. Vela Neritii ducis.

Verum in hoc Carmine primus quisque pes fere trochæus est, excepto ultimo versu, in quo nonnulli tamen *ulcere* legunt.

V. 4. Quondam porticus attulit.

-- -UU- UU

VII. Monocolon. Versus est dactylicus Adonius dimeter catalecticus, constans dactylo et spondæo, sive trochæo. Semel hoc utitur.

I. 7. Nubibus atris.

-UU --

VIII. Monocolon. Versus est iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus, qui scazon appellatur, quod in sexta regione spondæum vel trochæum habeat. Recipit imparibus locis iambum, tribrachyn, spondæum, dactylum, et anapæstum : paribus iambum, et tribrachyn : apud comicos frequenter et anapæstum. Bis hoc utitur.

II. 1. Hæc cum superba verterit vices dextra.

-- U- -- U- U- --

III. 11. Quisquis profunda mente vestigat verum.

-- U- -- U- -- --

IX. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est Asclepiadeus choriambicus tetrameter acatalectus, constans spondæo, duobus choriambis, et Pyrrhichio. Secundus est dactylicus Pherecratius trimeter acatalectus, constans spondæo, vel anapæsto, dactylo, et spondæo. Hoc metro semel utitur.

II. 2. Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas.

-- -UU- -UU- UU
-- -UU --

X. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est dactylicus Sapphicus pentameter acatalectus, constans trochæo, spondæo, dactylo, et duobus trochæis. Secundus est Glyconius: cujus supra VI. Carminis genere meminimus. Hoc metro semel utitur.

II. 3. Cum polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit.

-U -- -UU -U --
-- -UU UU

XI. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est iambicus Anacreontius dimeter catalecticus, constans tribus pedibus et syllaba: primo enim loco habet iambum vel spondæum, secundo iambum, tertio iambum vel spondæum. Secundus Pherecratius: de quo IX. Carminis genere diximus. Hoc metro semel utitur.

II. 4. Quisquis volet perennem
Cautus ponere sedem.

-- U- U- -
-- -U --

XII. Monocolon. Versus est anapæsticus Partheniacus dimeter catalecticus. In prima et secunda regione anapæstum vel spondæum recipit, tertia solum anapæstum, postea superest syllaba. Hoc Carminis genere bis utitur.

II. 5. Felix nimium prior ætas.

III. 5. Qui se volet esse potentem.

-- UU- UU- -

XIII. Monocolon. Versus est dactylicus Sapphicus pentameter acatalectus: de quo paulo ante X. Carminis genere memoravimus. Hoc carmine bis utitur.

II. 6. Novimus quantas dederit ruinas.

IV. 7. Bella bis quinis operatus annis.

Hoc Adonio terminavit.

-U -- -U -U --

XIV. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est iambicus Archilochius senarius acatalectus, imparibus locis recipiens interdum anapæstum, in fine Pyrrhichium vel spondæum. Secundus

est iambicus Archilochius dimeter acatalectus. Hoc metro semel utitur.

II. 7. Quicumque solam mente præcipiti petit,
Summumque credit gloriam.

-- ˘ -- ˘ ˘ ˘
-- ˘ -- ˘

XV. Monocolon. Versus est dactylicus Ithyphallicus tetrameter acatalectus, constans tribus dactylis, et Pyrrhichio: quo semel utitur.

III. 1. Qui serere ingenuum volet agrum.

˘˘ ˘˘ ˘˘ ˘˘

XVI. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est iambicus senarius acatalectus: de quo XIII. Carminis genere diximus. Secundus est elegiacus pentameter. Hoc metro semel utitur.

III. 3. Quamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogit avarus opes.

-- ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘
-- -- - ˘˘ ˘˘ -

XVII. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est dactylicus Phalæcius pentameter hendecasyllabus. Hic iambum pro spondæo in prima sede positum reperies. Secundus est Archilochius, vel, ut aliis placet, Alcmanius tetrameter acatalectus, constans duobus dactylis et totidem trochæis: quo metro semel utitur.

III. 4. Quamvis se Tyrio superbus ostro
Comeret, et niveis lapillis.

-- ˘˘ ˘ ˘ --
˘˘ ˘˘ ˘ ˘

XVIII. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est dactylicus Alcmanius trimeter hypercatalecticus, constans tribus pedibus heroici versus, et syllaba: ita tamen, ut non sit ex meris spondæis. Secundus est Pherecratius, de quo supra IX. Carminis genere memoravimus. Hoc metro semel utitur.

III. 6. Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu.

˘˘ ˘˘ -- -
˘˘ ˘˘ --

XIX. Monocolon. Versus est iambicus Anacreontius dimeter catalectic: qui constat ex anapæsto, duobus iambis, et syllaba. Hoc metro semel utitur.

III. 7. Habet omnis hoc voluptas.

˘˘ ˘ ˘ -

XX. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est Asclepiadeus: de quo IX. Carminis genere diximus. Secundus est iam-

bicus Archilochius dimeter catalecticus: cujus XIV. metri genere meminimus. Hoc Carmine semel utitur.

III. 8. Eheu, quam miseros tramite devio
Abducit ignorantia!

-- ~~~~~
-- ~~~~~

XXI. Monocolon. Versus est heroicus hexameter: quo semel utitur.

III. 9. O qui perpetua mundum ratione gubernas.

-- ~~~~~

XXII. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est dactylicus Alcmanius tetrameter acatalecticus; cujus III. metri genere mentionem fecimus. Secundus est iambicus Archilochius dimeter acatalectus: de quo supra XIV. Carminis genere diximus. Hoc metro semel utitur.

IV. 1. Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli.

~~~~~ -- ~~~~~  
-- ~~~~~

XXIII. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est trochaicus Alcmanius dimeter acatalectus. Recipit locis imparibus trochæum, tribrachyn, nonnunquam dactylum: paribus vero cum supradictos, tum etiam spondæum et anapæstum. Secundus Phecrecratus: cujus ante IX. Carminis genere meminimus. Hoc metro semel utitur.

IV. 2. Quos vides sedere celso  
Solii culmine Reges.

~~~~~ ~~~~~  
~~~~~ ~~~~~

XXIV. Dicolon distrophon. Primus quisque versus est dactylicus Phalæcius pentameter hendecasyllabus: de quo supra XVII. metri genere diximus. Secundus est elegiacus. Hoc metro semel utitur.

IV. 4. Quid tantos juvat excitare motus,  
Et propria fatum sollicitare manu?

-- ~~~~~ ~~~~~  
~~~~~ -- ~~~~~

XXV. Dicolon distrophon. Primus versus mistus videtur ex Sapphico et Alcmanio, constans trochæo, spondæo, vel dactylo cum syllaba, dactylo, et spondæo, vel trochæo. Secundus est Alcaicus tetrameter iambicus, constans ex penthemimere iambica, dactylo, et spondæo. Quid si hunc dixerimus compositum ex Alcaico dimidiato, et dimidiato Alcmanio? Hoc carminis genere semel utitur.

iv. 5. Si quis Arcturi sidera nescit
 Propinqua summo cardine labi.

-- -- - ~ ~ ~
 ~ ~ - ~ ~ --

XXVI. Monocolon. Versus est dactylicus Archilochius, constans tetrametro bucolico, et tribus trochæis : quo semel utitur.

v. 5. Quam variis terras animalia permeant figuris !

~ ~ -- ~ ~ ~ ~ ~ ~

NOTÆ VARIORUM

IN

BOETHII CONSOLATIONEM PHILOSOPHIÆ.

EX EDITIONE HACKIANA,

LUGD. BAT. 1671. 8vo.

NOTÆ VARIORUM

IN

ANICII MANLII TORQUATI

SEVERINI BOETHII

CONSOLATIONEM PHILOSOPHIÆ.

LIBER I.

METR. 1. *Anicii*] Anicii, florentis jam olim reip. Ro. temporibus, clari atque illustres habiti sunt; L. enim Anicius Gallus Lucii filius, Marci nepos de Illyriis et eorum Rege Gentio triumphavit Proprætor an. Urb. DLXXXV. et L. Anicius Gallus Lucii fil. Lucii nepos Cons. fuit, collega Cor. Cethego an. Urb. DXCIII. Anicius Cerealis sub Nerone Cons. designatus. Ex ea familia primus ille Christianus senator Anicius Julianus: ex ea v. c. Probus sub Valentiniano præfectus prætorio; ejusque filii Anicius Hermogenian. Olybrius, Probinus, et Probus: ex ea Anicius Faustus, Anicius Maximus Boëthii ætate, omnes diversis temporibus Consules, cæterique plures, quos recensere singulos, operæ longioris esset. Nomen autem hoc, Boëthii præsertim sæculo, celebratum est,

ob Anicium illum Julianum, qui, quemadmodum Flavius Constantinus primus imperatorum, ita primus senatorum Romanorum Christianus fuit. Unde postea omnes fere imperatores Flavii, sicut et senatores Anicii, affectata primaria illa familia, cognominabantur; ut Romanorum Græcorumque fasti annotant et vetera monumenta loquuntur. Aniciorum, Proborum scilicet et Olybriorum, splendorem Secundinus ad D. Augustinum scribens notat, cum ait, 'Ego namque fateor, non tali diligentia, nec tanta industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta prælucent eloquentia:' quod et S. Gaudentius sermone de Machabæis confirmat. 'Anicios,' inquit apud Cassiodorum [Epist. xi. lib. x.] Rex Theodahadus, 'pene principibus pares ætas prisca progenuit.' 'Fa-

miliam,' inquit paulo post [Epist. sequenti] 'toto orbe prædicatam.' *Valentinus*.

Anicii Manlii Torquati] Phœbus Ecclesiasticæ historiæ Illustrissimus Baronius lucem dabit. Ann. vi. de Boëtio scribens: 'Nobilitate generis nulli secundus, prognatus nimirum ex antiqua Manlii Torquati familia, et eo qui Christianitate resplenduit Anicio gaudens atavo; adolescens Athenas, in quibus fuerant litteræ Philosophicæ restitutæ, petiit, ubi varia Philosophiæ pervestigans dogmata, Aristotelicis tandem sese totum addixit, toto illo decem et octo annorum curriculo, quibus est moratus Athenis: testatur id quidem ipse in libro quem edidit de disciplina scholarum, prope finem c. iv.' *Bernart*.

Manlii Severini] Utramque familiam videtur sanguine aut affinitate attigisse. Illa, a primis etiam. Reip. temporibus clara et patricia, Consules et Dictatores tulit. Hæc, Boëtii præsertim ætate, duos Consules, patrem anno Christi CDLXI. filium anno CDLXXXII. Romanis dedit. *Valentin*.

Boëtii] Serius nomen istud apud Romanos notum, atque nisi me conjectura fallit, ex Oriente Latio donatum est. Postquam enim apud Bizantium imperii sedem constituere imperatores, Græcæ familiæ miscere se Romanis; unde prout quæque illustres fama viros tulit, ita nepotibus aut in eam ascitis nomen dedit. Porro cum Boëtii (hæc enim fuit veterum olim lapidum vetustiorumque dehinc omnium codicum scriptura) seu Boëthii plures fuerint; ut aliorum, qui pene omnes Græci fuerunt, memoriam omittamus, nostros tantum, hoc est, Romanos, hoc veluti stemmate recensebimus, ut referatur fuisse.

I. *Boëtius* v. c. sub Valentiniano Præfectus Prætorio, in ejusdem pa-

latio una cum Aëtio amico, anno Christi CDLIV. trucidatus, ut meminere Victor Tuneti, Marcellinus Comes, et Cassiodorus in Chronicis. Paull. Diaconus lib. xv. qui 'senatorem nobilissimum' vocat.

II. *Anic. Manl. Flav. Boëtius*, nostri pater, anno CDLXXXVII. Consul. Cujus Synodus Romæ eod. an. coacta mentionem facit. Eumque Onuphr. Panvinius in Fastis, nostri patrem fuisse existimat, licet illi non Flavii, sed Severini, prænomen adscribat. Nos quoque in hoc inclinamus, quod nimirum ab Ennodio Epist. i. lib. viii. Boëtio nostro fuisse dicatur 'vena purpurarum.' 'Prope inops,' inquit, 'ad scipionem adducitur suffragii Consularis, qui tantum de parentibus gloriatur. Tibi utrumque in peculio est, Latiaris scientia, et vena purpurarum.' Vena purpurarum, quia nempe pater, ut et multi alii majores, Consul fuerat: quia et mater fortasse illi ex Severinis Consularibus fuit. Sæpe enim ex avo materno sibi prænomen asciscebant. Porro 'venam' dixit Ennodius, hoc est, parentum sanguinem, eo sensu quo Focas Grammaticus, Virgilii patrem designavit his verbis, 'Quis non miracula rerum Hæc stupeat? Dives partus de paupere vena Emicnit.'

III. *Anic. Manl. Severin. Boëtius* Patricius primum, deinde Consul anno DX. postremo Magister Officiorum: summus utriusque Philosophiæ, ac Theologiæ, Mathematicarumque disciplinarum antistes. Quem multis elogiis, iisque clarissimis, idem ipse Rex Theodoricus ornavit, qui occidit: cujus mortem miraculis illustrem, is ipse, qui imperavit, fleuit, ut Cassiodorus lib. i. Variar. et Procopius lib. i. Hist. Gothicæ auctores certissimi testantur. Quem celebrat Ennodius propinquus multis Epistolis. Cujus et meminere auctor Hist. Miscellæ lib. xv. Paull. Diaconus lib. xvii. Anastasius bib-

liothecar. in Joanne I. atque alii multi. Cujus filius fuit,

IV. *Anic. Manl. Severin. Boëtius*, qui puer cum Symmacho fratre item puero natu majore, Consul fuit ordinarius anno DXXII. Quem ingenio excelluisse testatum lib. II. Consol. modestissimus pater reliquit.

Excons. Ord.] Non amplius quam semel, anno videlicet DX. Neque enim Boëtii consulatus ille anni CDLXXXVII. nostri fuit, ut multi existimavere, sed patris. Ejus neque ipse meminit, data non semel occasione, nec propinquus Ennodius, gratulatus illi de unico ejus Consulatu anni DX. longiore Epistola, primi illius memoriam alioqui non omissurus.

Exmag. Off.] Monuerat jam olim Jo. Bernartius cod. Ms. optimum Berchemianum, quo usus fuerat, titulum hunc prætulisse, cui nos quoque consentire alterum Thuanum, et S. Victoris item alterum, optimæ notæ libros permonemus. Fuit igitur Magister Officiorum Boëtius, et quidem suo maximo malo. Cum enim, inter cætera hujus magistratus munia, incumberet illi aulicos seu Palatinos pene omnes Officiales seu Ministros, Fabricarumque armorum per provincias Præfectos judicare, et querelis provincialium acceptis, de iis ad principem, cujus in aula versabatur, referre; dum æquitati studet vir sapientissimus, Gothorum aulicorum potentia tunc et avaricia, in miseros Italos sævientium, sceleratorumque omnium inimicitias incurrit. Utque se eum magistratum gessisse invitum lib. III. Consol. ipse refert, cum aliquin recusanti grave periculum immineret; ita, ut eo minime ad fastum aut injuriam functum se ostendat, quæ causa non recusandi ejus fuerit, sic lib. I. subjungit, Philosophiam compellans: 'Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, Beatas fore respublicas, si eas vel studiosi

sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. Tu ejusdem viri ore hanc sapientibus capessendæ Reip. necessariam causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisque civibus, urbinum relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent. Hanc igitur auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicæ administrationis optavi. Tu mihi, et, qui te sapientium mentibus inseruit, Deus, conscii, nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium, detulisse: inde cum improbis graves inexorabilesque discordiæ, et, quod conscientiæ libertas habet, pro tuendo jure sprete semper potentiorum offensio.' Quæ omnia haud dubie eo magistratu abs se facta fuisse innuit; Adjutoremque, sic enim vocabatur, qui eo absente judicabat et jus dicenti aderat, sibi fuisse in eo Decoratum, nequissimum hominem lib. III. conqueritur. De quo eo loci. Non igitur absurdum fortasse fuerit, si quis supra pro *nullum me ad Magistratum* reponat, *nullum me ad Magisteriatum*: ut et lib. III. *gerere Magisteriatum*. Ea enim dignitas passim Magisteria, Magisteriatus, Magisterium; et qui gerit, Magister appellatur.

Patricii] Ut diserte affirmat Ennodius Parænesi didascalica, 'Est Boëtius Patricius, in quo vix discendi annos respicis, et intelligis peritiam sufficere jam docendi.' Et ipse lib. II. innuere videtur dum ait; 'Prætereo, libet enim præterire communia, sumptas in adolescentia negatas senibus dignitates.' Quod omnes veteres libri confirmant. *Vallin.*

Severini Boëthii] Manuss. ἐπιγραφή, ut exerte demit illud τὸ *Torquati*, ita disertim addit *Exconsulis ordinarii et Patricii*: quin Berchemianus optimus codex præfert, *Excons. ordinari. Exmag. Offic. atque Patricii*. Notum

discrimen inter ordinarios et suffectos Consules. Constat ex fastis, non semel sed sæpius ordinarium Consulem Boëtium fuisse. Nota etiam Magisterii et Patriciatus dignitas. inter titulos vero inferiori ævo hæc relata, qui vel Cassiodori decem paginas evolverit, non ignorat. Consule Epist. XII. libro I. Var. Epist. II. libro II. Epist. XLVII. lib. IV. Denique ut plene et plane capias, lege formulas Consulatus, Patriciatus, et Magisterii, apud eundem Cassiodorum lib. VI. *Bernart.*

Consolationis Philosophicæ] Sic repositum ex vett. codd. manuscriptis, iisque optimæ notæ: neque aliam scripturam habent plerique Senecæ Consolationum libri in vett. membranis. Sensit quippe Boëtius, ut et alii scriptores, sæculorum superiorum barbariem, dum quisque infelix interpres aut temerarius scholiastes audet et titulum et orationis seriem turbare, plerumque et sententiarum ipsarum vim acumenque adulterare ac frangere; quod in nostro ita manifestum est, ut pene alius sit Boëtius, qui cum Commentariis D. Thomæ falso ascriptis legitur, quam qui in vetustis codicibus. *Vallin.*

Carmina . . . peregi] Diu equidem valdeque dubitavi, an satis Latine dici posset 'Peragere carmen;' quem tamen meum scrupulum probati postea exemere auctores Valerius Flaccus lib. 4. Argonaut. de Orpheo: 'Thracius at summa sociis e puppe sacerdos Fata Deum, et miseræ solans incommoda vitæ Securum numeris agit, et medicabile carmen.' Ausonius de Ludo VII. sapientum: 'Unam trecentis versibus sententiam Tandem peregit, meque respectans abit.' 'Peragere volumina,' dixit Plinius Secundus, lib. III. Epist. 5. 'Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit.' Et: 'Peragere libros,' lib. 9. Epist.

1. 'Libros incolumi eo peregisti.' Isti loquendi formulæ non absimilis illa Horat. Carm III. Od. ult. 'Exegi monumentum ære perennius.' Et Ovid. in fine Metam. 'Jamque opus exegi.' *Sitzm.*

Fletibus ora rigant] Senecæ testimonio frequentissime utar in hisce Notis, annitarque demonstrare nullum fere legi carmen Boëthii, ex quo non appareat, eum studiosum fuisse imitatore illius Tragici, qui ita in Octav. vs. 322. et seqq. 'Scindit vestes Augusta suas, laceratque comas, Rigat et mæstis fletibus ora.' *Idem.*

Has saltem] Imitatus esse Ovidium videtur, ex IV. Tristium Elegia I. non semel, 'Me quoque Musa levat Ponti loca jussa petentem, Sola comes nostræ perstitit illa fugæ: Sola nec insidias inter, nec militis ensem, Nec mare, nec ventos, barbariamque timet:' aliisque versibus ibid. Patetque ex hoc loco exulem nostrum, Theodorici aut metu aut terrore, ab omnibus amicis desertum: quid enim, post eversam Romam, a Gotho non cruentum expectaretur? *Vallin.*

Ne nostrum comites persequerentur iter] Tanta est vis, tanta efficacia liberalium artium, ut conjunctæ cum animis nullo tempore deficient, sed permaneant stabiliter ad summum exitum vitæ. Ovid. III. Trist. Eleg. 7. 'Nil non mortale tenemus Pectoris exceptis ingenique bonis. En ego cum patria caream, vobisque domoque, Raptaque sint adimi quæ potuere mihi: Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque, Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.' Et illud erat quod Stilpo apud Diogenem Laërtium lib. 1. Demetrio Antigoni filio, scriptis sibi tradere ea quæ amiserat volenti nihil suum se perdidisse respondit: quippe doctrinam et eruditionem sibi ademisse neminem, reliquaque sibi esse et eloquentiam et disciplinam. Neque hic omittenda

aurea Aristippi verba, qui comitibus naufragio ejectis, Rhodoque in patriam reverti volentibus, ita domi mandavit dicere: 'Ejusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quæ etiam naufragio una possent enatare.' Rectissime. Nam ea sunt vera præsidia vitæ, quibus neque fortunæ tempestas iniqua, neque publicarum rerum mutatio neque belli vastatio potest nocere: vide Vitruvium in Procem. lib. vi. de Architectura. *Sitzm.*

Venit enim p. m.] Bion apud Diogenem Laërt. lib. iv. de vitis Philosophorum: τὸ γῆρας ἔλεγεν ὄρμον εἶναι τῶν κακῶν· εἰς αὐτὸ γοῦν πάντα καταφεύγειν. Non de nihilo itaque eam timere jubemur veteri Iambo: φοβοῦ τὸ γῆρας· οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. 'Time senectutem: haud enim sola advenit.' Maximinianus, seu, ut alii volunt, Cornel. Gallus: 'His veniens onerata malis inopina senectus, Cedere ponderibus se docet ipsa suis.' *Idem.*

Properata malis inopina senectus] Hinc colligitur, Boëtium, nondum senem, fuisse anno DXXV. occisum; puer enim desolatur parente, qui anno CDLXXXVII. Consul fuit. Circa annum DVIII. Patricius sed juvenis adhuc, ab Eunodio propinquo celebratur. Natum igitur credibile est circa annum CDXCV. Deinde solis sese ærurnis senem factum queritur, dum anno DXXIII. aut XXIV. tædia exilii, alii volunt carceris sui, describit his versibus: 'Venit enim properata malis inopina senectus, Et dolor ætatem jussit inesse suam. Intempestivi funduntur vertice cani.' Ante senectam igitur soloque dolore senex, et circa annum vitæ quinquagesimum sublatus est. Quam ejus ætatem refert quoque ejus marmorea vetus statua, quæ Romæ est in ædib. interque τὰ σύμμικτα Justiniani v. c. ejusque imago, quam inde optima manu expressam in hac editione exhiberi cu-

ravinus. *Vallin.*

Intempestivi...cani] Ovid. i. de Ponto, Eleg. 5. 'Ante meum tempus cogor et esse senex.' *Sitzm.*

Mors hominum felix] Hecuba apud Senec. in Troad. vs. 1170. et seqq. 'Sola mors votum meum. Infantibus violenta, virginibus venis; Ubi cunque properas sæva: me solam times, Vitasque gladios inter, ac tela et faces; Quæsita tota nocte cupientem fugis.' In Agamemnone vs. 996. 'EL. Mortem aliquid ultra est? ÆG. Vita si cupias mori.' Quintilian. Declamat. iv. 'O mors laudanda fortibus, expetenda miseris, non recusanda felicibus, quantum te quæsimus in bello.' *Idem.*

Quæ se nec dulcibus annis Inserit] Aliter Pub. Syrus: 'Dum vita grata est, mortis conditio optima est.' *Idem.*

Et mæstis sæpe vocata venit] Pub. Syrus:

Bona homini } vitæ } quæ extinguit
mors est } animi } mala.

Eheu quam] Senec. in Hercule Œt. vs. 122. 'Felices sequeris Mors, miseros fugis.' *Idem.*

Surda...avertitur aure] Statius II. Sylvar. 'Odistique chelyn, surdaque averteris aure.' *Idem.*

Merserat hora] Locutio Boëtio familiaris lib. II. initio, 'Suique magnum monstrat ostentum si quis Visatur una stratus ac felix hora.' Et epitaphio Elpes, quod ejus esse putatur, 'Quo sine mæsta dies, nox anxia, flebilis hora.' *Vallin.*

Protrahit ...moras] Senec. in Phœniss. vs. 45. et seqq. 'Desertor anime, fortis in partem tui, Omitte pœnas languidas longæ moræ, Mortemque totam recipe: quid segnis traho?' *Sitzm.*

Impia vita] 'Impia vivacitas' apud Quintilian. in Procem. lib. VI. Institut. Orator. 'Tunc igitur optimum fuit,' inquit, 'in faustum opus, et quicquid hoc est in me infelicitium lit-

terarum, super immaturum funus consumpturis viscera mea flammis injicere, neque hanc impiam vivacitatem novis insuper curis fatigare.' *Idem.*

Quid me felicem] Senec. in Agam. vs. 741. 'Quid me vocatis sospitem solam e meis Umbræ meorum?' *Idem.*

Stabili non erat ille gradu] Prudentius in Præfat. lib. II. contra Symmachum: 'Mortalem Deus increpat Qui sit non stabili fide.' *Idem.*

PROSA I. *Visa est mulier*] Non absimilis est Prodicianæ virtutis pictura apud Xenophontem Ἀπομνημονευμάτων lib. II. Sed eadem apud Philonem expressius lib. Μίσθωμα πόρνης εἰς τὸ ἱερὸν μὴ προσδέχασθαι. Recteque hic Philosophia consolatrix inducitur; 'quæ ubi pectore recepta est hominum, inhonesto atque inutili affectu dispulso, totos in solido virtutis munimento confirmat, potentiores metum ac dolore faciens,' inquit Val. Max. lib. III. cap. 3. Philosophi enim est mentis morbos curare atque expellere: ἔργον γὰρ ἔξει οὐδὲν ἄλλο ἢ ἑαυτὸν τε καὶ τοὺς ἄλλους εἰς τὸν κατὰ φύσιν ἀνθρώπῳ προσήκοντα βίον ἀποκαθαίρειν. κοινός τε πάντων ἔσται πατήρ καὶ παιδαγωγός, διορθωτής τε καὶ σύμβουλος καὶ κηδεμονικὸν πᾶσιν ἑαυτὸν παρέχων, καὶ συνεργός ὢν παντὸς ἀγαθοῦ. τοῖς μὲν εὐήμεροῦσι συνηδόμενος, τοῖς δὲ λυπομένοις συνταλαιπωρῶν καὶ παραμυθούμενος αὐτούς. 'Nec enim aliud munus ejus erit,' inquit Simplicius in Epict. Enchirid. c. xxxi. 'quam et sese et alios ita repurgare, ut vitam naturæ humanæ convenientem agant, omniumque communis pater erit et pædagogus, et corrector, et consiliarius, seque curatorem præbebit omnium, et adjutor erit omnis boni. Congratulabitur iis quibus res secundæ sunt, vicem dolebit calamitosorum, eosque consolabitur.' Nec alium olim ob usum proceribus, ut Pericli Anaxagoras, Alexandro Antisthenes, Lysis Pythagoræus Epaminoudæ,

Scipioni Panætius, Athenodorus et Apollonides Stoici ac Demetrius Peripateticus Catoni, Athenodorus alter Augusto, Licinio Silano Heliodorus, Bareæ Sorano Egnatius Celer, Pæto Thræseæ Demetrins Cynicus, Epaphrodito Epictetus, Canio Julio suus, Juliano Cæs. Sallustius ac Maximus, magnisque aliis viris Philosophi in familia erant: qui eos in ipso vitæ cursu præceptis sapientiæ instituerent; et instante morte, labantem aut certe nutantem animum contra vim fortunæ et fati necessitatem firmarent. *Vallin.*

Oculis ardentibus] Virg. Georg. IV. de Proteo: 'Ardentes oculos intorsit lumine glauco.'

Oculis ardentibus, &c. atque inexhausti vigoris] In Panegyri. Maxim. et Constant. dicto: 'Te vero in quo adhuc istæ sunt integræ solidæque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatorius ardor oculorum, immaturum otium sperasse miramur.' Q. Curtius lib. X. de Alexandro extincto: 'Ut tandem curare corpus exanimum amicis vacavit, nulla tæbe, ne minimo quidem livore corruptum videre, qui intraverant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum.' *Sitzm.*

Ultra communem hominum valentiam] Plin. Epist. lib. VIII. Ep. ult. 'Longeque valentior amor ad obtinendum quod velis.' Noster lib. III. Prosa 9. 'Sed hoc modo ne sufficientia quidem contingit ei quem valentia deserit.' Et l. IV. Prosa 2. 'defuisse valentiam dubitare non possis:' idem valet quod 'potentia' ῥώμη. Romanæ urbis etymon sane hinc derivant Veteres. Solinus c. 2. 'Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum natum, cum oppidum ibi offendisset, quod extractum antea Valentiam dixerat juvenis Latina: servataque significatione impositi prius nominis, ῥώμην Græce Valentiam nuncupatam.' Adi Fes-

tum in Roma. *Bern.*

Inexhausti vigoris] Ausonius ad Paulinum: 'Nostra senectus Servat inexhaustum, tibi gratificata, vigorem.' *Sitzm.*

Pulsare cælum summi verticis cacumine videbatur] Horat. I. Carm. Od. 1. 'Quod si me Lyricis vatibus inseris Sublimi feriam sidera vertice.' Martialis lib. VIII. Epig. 36. 'Hæc Anguste tamen, quæ vertice sidera pulsat, Par domus est cælo, sed minor est Domino.' *Idem.*

Harum in extremo margine π, in supremo vero θ legebatur intextum] Practicam intelligit Philosophiam et Theoricam. De utraque vide B. Augustin. I. VIII. de Civit. Dei, cap. 4. Illam 'Activam,' hanc 'Speculativam' vocat Cassiodorus, I. Variar. Epist. 45. Aliter vero alii (ut Cicero et Apuleius) Philosophiam partiuntur. Ex quibus Cicero lib. I. Acad. Quæst. sic ait: 'Fuit jam a Platone accepta philosophandi ratio triplex. Una de vita et moribus: altera de natura et rebus occultis: tertia de disserendo, et quid verum et quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens, quid repugnans, judicando.' Et idem lib. V. Tuscul. Quæst. ubi triplicem hunc animi fœtum ait existere: quorum 'unus' sit 'in cognitione rerum positus et in explicatione naturæ: alter in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum: tertius in judicando, quid cuique rei sit consequens, quid repugnans; in quo inest omnium subtilitas disserendi, tum veritas judicandi.' *Idem.*

Π. Θ.] Designari his elementis Philosophiam *πρακτικὴν καὶ θεωρητικὴν*, 'activam et contemplativam' certum est. Hæc enim est apud Platonicos totius tum vitæ, tum philosophiæ divisio, quam utramque qui complectitur, is demum sapiens est. Hæc *ἐν τῇ γνώσει τῆς ἀληθείας*, 'in veritatis cognitione,' versatur, quod *τὰ νοητὰ*

καὶ τὸ θεῖον, 'intelligibilia ipsamque divinitatem' intelligat. Illa vero *ἐν τῷ πράξει τὰ ὑπαγορευόμενα ἐκ τοῦ λόγου*, 'in iis rebus agendis, quas recta ratio præscribit,' hoc est, in exercitatione virtutum. Unde Hierocles in Carm. Pyth. scribit, 'Ὅτι ἡ μὲν πρακτικὴ φιλοσοφία διὰ τῆς τῶν ἀρετῶν φύσεως ἀνθρώπων ἀγαθὸν ἀποτελεῖται. ἡ δὲ θεωρητικὴ εἰς ὁμοιότητα Θεοῦ καθίστησι νοῦ καὶ ἀληθείας ἐλλάμψει,' philosophiam, quæ versatur in agendo, virtutum vi hominem probum efficere: quæ autem in contemplando, illustratione mentis atque veritatis Deo similem reddere.' Hinc eidem, fit homo primum *ἀγαθός*, deinde *θεός*. Quam Platonis sententiam exponit tum idem Hierocles proœmio aurei commentarii, tum Alcinous *εἰσαγωγῆς* cap. 2. Nihil enim hoc toto opere aliud fere Boëtius quam *Πλατωνίζει*: quamquam ea quoque divisio Aristotelis sit ac Theophrasti, ut exponit Plutarchus proœmio lib. I. de placit. philosophor. et noster Boëtius Præfatione in Porphyrii *εἰσαγωγὴν* doctissima. *Vallin.*

Gradus quidam] Eos recenset idem Hierocles commentario illo aureo in Pythagor. aurea carmina; ea præsertim quorum initium est: *Μὴ δ' ὑπὸν μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι*. Quibus vero gradibus Christiani ad sapientiam, hoc est, ad Deum contemplandum, perveniant, docet D. Augustinus lib. II. de doctrina Christ. cap. 7. et lib. IV. de Trinit. cap. 1. *Id.*

Poëticas Musas] Quas Philosophia e conspectu suo fugat, quia, ut inquit Plato lib. X. de Rep. *παλαιὰ μὲν τις διαφορὰ φιλοσοφία τε καὶ ποιητικὴ*, 'vetus est Philosophiæ et Poëtices dissensio.' Quod nimirum Poëtæ in movendis ad voluptatem affectibus toti fere sint, quos rectæ rationi subicere philosophiæ præcipuum officium est. Neque alia de causa Poëtis e sua civitate pellit ibidem Plato, ait enim, *εἰ δὲ τὴν ἡδυσμένην μουσάν*

παραδέξῃ ἐν μέλεσιν ἢ ἔπεσιν ἡδονὴ σοὶ καὶ λύπη ἐν τῇ πόλει βασιλεύσετον, ἀντὶ νόμου τε καὶ τοῦ κοινῆ δόξαντος ἀεὶ εἶναι βελτίστου λόγου, ‘ Si autem voluptuosam Musam in canticis et carminibus acceptaveris, voluptas in civitate ac dolor, legis et ejus, quod semper optimum visum est, rationis videlicet loco, dominabuntur.’ Hinc eas noster ‘ Scenicæ meretriculas ’ vocat, hoc est, molli, scenico et ad voluptatem comparato habitu cultuque comptas, ut qui Philosophiam non deceat. Philonis quoque Virtus ad Voluptatem, Τὴν τερατουργὸν καὶ μάχλον καὶ μυθολόγον εἶδον ἡδονὴν τραγικώτερον ἐνεσκευασμένην, καὶ λιπαρῶς θαμινὰ σοὶ προσομιλοῦσαν, ‘ Hanc aspicio præstigiaticam, impudicam et nugatricem splendide ac scenice ornatam blanditiis te aggredi.’ Unde in Gorgia ait, Poësim, Rhetoricam, Sophisticen esse *κολακείας* ‘ adulationes,’ ὅτι τοῦ ἡδέος στοχάζεται ἀνευ τοῦ βελτίστου, ‘ quod ’ earum unaquæque, ‘ nulla optimi habita ratione, ad voluptatem tanquam scopum tendat.’ Quamquam Poësim quoque in eodem de Rep. libro in Rep. admittit ac laudat, eam videlicet quæ ὕμνους θεοῖς καὶ ἐγκώμια, ‘ hymnos in Deos, et ’ fortium illustriumque virorum ‘ laudationes ’ continet. Quod ille ab Hesiodi *θεογονία* acceperat, ubi officium Poëtæ materiamque sic illi præscribit, Ἀὐτὰρ αἰοιδὸς Μουσάων θεράπων κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων Ὑμνήσῃ, μάκαράς τε θεοῦς οἳ Ὀλυμπον ἔχουσιν. ‘ Nempe Poëta Res priscorum hominum claras, Divosque beatos, Summo stellantis regnant qui in culmine Olympi Cantarint, famulus Musarum.’ Quam dialogo Ἴωνος multis summisque laudibus effert idem Plato. *Vallin.*

Commota paulisper] Ex decoro, neque enim decuit Philosophiam diu irasci: bene Aristoteles: τὸν σόφον μετριοπαθῆ μὲν εἶναι, ἀπαθῆ δὲ μὴ εἶναι. ‘ Sapientem mediocres affectus habere, nullos non habere.’ *Bernart.*

Hæ sunt enim quæ infructuosis] Pontius Paulinus ad Ausonium, de Poëtis aliisque Ethnicorum scriptoribus: ‘ Qui corda falsis atque vanis imbuunt: Tantumque linguas instruunt, Nihil adferentes, ut salutem conferant: Quod veritatem detegat. Quid enim tenere vel bonum aut verum queant, Qui non tenent summum caput, Veri bonique fomitem, et fontem Deum? Quem nemo nisi in Christo videt.’ *Sitzm.*

Hunc vero Eleaticis atque Academicis studiis attigistis enutritum] Restitui ex scriptis insigni Aposiopesi: *Hunc vero Eleaticis atque Academicis studiis enutritum? Sed abite potius.* Theodor. l. II. de Princ. ‘ Gens vero Philosophorum, qui apud nos Eleatici nominantur, a Xenophane atque alius initium ducens.’ vide, si pretium operæ tibi, Clem. I. Stromat. Euseb. x. de præparatione Evangelica. *Bern.*

Eleaticis ... studiis] Dialecticis. Zeno ex Elea Lucaniæ urbe, quæ post Silarim juxta sinum Possidoniatem sita est, fuit oriundus. Hic ipse fuit inventor primus Dialecticæ. Diog. Laërt. in Proëm. Alexander ab Alex. lib. I. cap. 30. *Sitzm.*

Academicis] Platonicis, quibus Boëthius fuit addictissimus. *Innutritum*] Apuleius lib. IV. Metam. ‘ Omnibus delitiis innutrita:’ de virgine captiva loquitur. *Idem.*

Eleaticis, atque Academicis] ‘ Eleaticis,’ hoc est, iis quæ pertinent ad Dialecticam, cujus inventor fuit Zeno Eleates, quam multi coluere, et præcipue [cujus libros transtulit commentatusque est Boëthius] Aristoteles, qui in ea excelluit. Cicero lib. I. de Oratore, refert ‘ multo plura ’ de arte dicendi ‘ Aristotelem, quam omnes dicendi magistros dixisse, multoque meliora.’ Is enim, ut Symmachi lectissimis verbis utar, ‘ naturam bene loquendi, in artem redegit.’ Cum igitur non solum universam Dialecticam Aristotelis, quum interpretatio-

nibus, tum commentariis illustravit, sed ad eam enucleandam multa ipse pepererit, jure per Eleatica studia, Dialecticam seu λογικὴν, disserendi rationem intelligas. ‘Academicis,’ iis scilicet, quæ ex Platonis Platoniorumque libris hauserat, quibus addictissimus fuit. Cui enim dubium est Platonicos, Academicos vocari? *Vallin.*

Sed abite potius Seirenes usque in exitium dulces] Pindarus Olymp. Od. 1. scribit ‘Poëticen omnia facere, quæ μείλιχα sint hominibus.’ *Sitzm.*

Ne dignoscere possem, quænam, &c.] Mss. *Nec dignoscere.* Ita in vetustiss. membranis Vegetii lib. III. cap. 5. legitur: ‘Sunt et alia multa (al. muta) signa, quæ Dux belli in equis, aut indumentis, et in ipsis armis, ut dinoscatur hostis, præcepit custodiri.’ *Idem.*

METR. 2. Heu, quam præcipiti mersa profundo] Lactantius de resurrect. Dom. die: ‘Qui genus humanum cernens mersum esse profundo.’ *Idem.*

Tendit in externas ire tenebras] Prudent. περὶ στεφάνων Hym. 1. ‘Absit ut cælestis ignis se tenebris misceat.’ vid. quæ not. ad Metr. 9. lib. III. vs. 25. *Idem.*

Suetus in ætherios ire meatus] Apul. in principio lib. De Mundo: ‘Homines philosophiam Ducem nacti, ejusque inventis imbuti, animo peregrinari ausi sunt per cæli plagas, his itineribus, quæ exploratione acuminis sui pervia sapientiæ, solis cogitationibus viderant.’ *Idem.*

Cernebat rosei lumina Solis] Senec. in Oct. vs. 378. ‘Cælum intueri, Solis et currus sacros, Mundique motus, Solis alternas vices, Orbemque Phæbes, astra quem cingunt vaga, Lateque fulgens ætheris magni decus.’ Diog. Laërt. libro II. de Anaxagora: ἐρωτηθεὶς ποτε εἰς τί γεγένηται, εἰς θεωρίαν (ἔφη) ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ οὐρανοῦ. Vid. quæ not. ad Carm. ult. lib. v. *Idem.*

Lumina Solis] Val. Flacc. lib. v. Solem vocat ‘Æternum lumen:’ ‘Non aliter quam si radiantis adiret Ora Dei, verasque æterni luminis arces; Tale jubar per tecta micat.’ De diversis vero nominibus Solis ejusque magnitudine vid. Macrobr. in Somn. Scip. lib. I. cap. 20. *Idem.*

Sidera Lunæ] Manil. lib. II. ‘Nunc sidera Lunæ Mota tenens.’ Q. Curt. lib. IV. de Reb. Gest. Alexandri Magni: ‘Prima fere vigilia Luna deficiens primum nitorem sideris sui condidit. Deinde sanguinis colore suffuso, lumen omne fœdavit.’ Quid inter stellam et sidus intersit, docet Macrobr. lib. I. in Somn. Scip. c. 14. Lactant. lib. II. Div. Instit. cap. 5. ‘Illi Solem et Lunam: vos etiam sidera Deos putatis.’ *Idem.*

Et quæcunque vagos stella rec.] Seneca in Herc. Fur. vs. 125. ‘Nox victa vagos Contrahit ignes.’ Quintilian. Declam. v. ‘Alia toto sparsa cælo vagos cursus certis emetinntur erroribus.’ Vide Apulei. de Mundo et de Deo Socratis, ubi Planetas ab imperitis ‘Vagas stellas’ appellari asserit. At Macrobr. in Somn. Scip. lib. I. cap. 18. non solum manifestissimam rationem, sed visum quoque ipsum monstrare, quod Planetæ errent, firmis probat rationibus. Ut porro hoc tralaticie addam, videtur mihi Boëthius illorum accedere opinioni, qui Sole et Luna exclusis, quinque duntaxat stellas in errantium censum venire volnerunt. Diog. Laërtius in Platone: Πρὸς χρόνου γένεσιν, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὰ πλανώμενα γίνεσθαι. ὅπως δὲ διάδηλος τῶν ὠρῶν ἢ ἀριθμὸς, καὶ μετὰσχη τὰ ζῶα ἀριθμοῦ, τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ἀνάψαι τὸν θεόν. εἶναι δὲ ὑπὲρ μὲν τὸν τῆς γῆς κύκλον σελήνην, ἐν δὲ τῷ ἔχονμένῳ ἡλίον, ἐν δὲ τοῖς ἐπάνω τοὺς πλανήτας: quæ hausisse liquet Diogenem ex Platonis Timæo. Macrobr. lib. II. in Somn. Scip. cap. 10. ‘Ut omnis latitudo qua Sol cum quinque vagis et Luna nitro citroque discurrunt habeat

subjecti humoris alimoniam.' Alia vid. in Collectan. Jani Dusæ filii ad Propert. Eleg. 1. lib. iv. *Idem.*

Quin etiam causas] Manil. lib. 1. 'Cur imbres ruerent, ventos quæ caussa moveret, Pervidit.' *Idem.*

Flamina soll. æq. P.] Arnobius lib. 1. Adv. Gentes, 'Flaturas' nominat. 'Quid enim si hoc pacto navigationis cupidissimus conqueratur ventos jam diu non esse, et cæli conquievissæ flaturas?' Et lib. vi. 'Aëris fluores.' 'Intelligimus omnes ventos aëris esse fluores, pulsos et mundanis rationibus concitatos.' Valer. Flacc. lib. III. 'Flamina conticuere; jacet sine flatibus æquor.' *Idem.*

Autumnus gravidis influat uvis] Stat. 1. Sylvar. 'Et multo gravidus mero December.' Claudian. de Laudib. Stilic. l. II. vs. 466. 'Autumni maturet gramina Virgo, Lenior et gravidis allatret Sirius uvis.' 'Autumnum' pro ipso fructu autumnali posuit Ovid. ix. Met. Fab. 1. 'Incessit, totumque tulit prædivite cornu Autumnum.' Item Seneca Thyest. vs. 167. 'Totus in arduum Autumnus rapitur, sylvaque mobilis.' 'Mustulentæ Autumni delitiæ' Apul. l. 9. Dicitur et 'Autumnitas,' quo nomine nsi Veteres. Vide Notas eruditiss. Joh. a Wouthern ad Minutium Felicem, et Miscellanea Francisci Jureti, ad lib. III. Symmachi, Epist. 23. *Idem.*

Latentis Naturæ varias reddere causas] Eadem fere scribit de Archimede Silius Ital. lib. XIV. Et Lucret. lib. 1. de Epicuro: 'Virtutem irritat animi, confringere ut arta Naturæ primus portarum claustra caperet.' *Idem.*

Declivemque gerens pondere vultum] Prudent. in Hamartig. 'Nam quia Naturam tenuem declivia vitæ Pondera non reprimunt.' Vid. quæ not. ad vs. 5. Met. lib. IV. *Idem.*

PROSA 2. *Invicta te firmitate tuerentur]* P. Syrus: 'Non eripit fortuna, nisi quod et dedit.' *Idem.*

Lethargum patitur] Horat. Serm. 11. Sat. 3. 'Lethargo grandi est oppressus.' De hoc morbo præter Lucret. lib. III. Q. Serenus, cap. 56. 'Denique nonnunquam somno sic membra gravantur, Ut jungatur lecto sopor altus acerbo.' Et Cornel. Celsus, lib. III. cap. 20. 'Alter quoque morbus est aliter phrenetico contrarius. In illo difficilis somnus, prompta ad omnem audaciam mens est: at in hac marcor, et inexpugnabilis pæne dormiendi necessitas, λήθαργος Græce nominatur: atque id quoque genus acutum est, et nisi succurritur, celeriter jugulat.' *Idem.*

Oculosque meos siccavit] Propert. lib. III. Eleg. 5. 'Humidaque impressa siccabat lumina lana.' *Silzm.*

METR. 3. *Discussa nocte]* Senec. in Herc. Cæt. vs. 1707. 'Nube discussa diem Pande.' Claudian. De Laudib. Stilic. lib. II. vs. 11. 'Vultuque sereno Discussis tenebris in lucem sæcula fudit.' Min. Felix in Octavio: 'Et cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem Sapientiæ et Veritatis emergerem, non respuit comitem, sed quod est gloriosius præcurrit.' Apuleius Metam. lib. II. 'Nocte discussa Sol novus diem fecit.' *Idem.*

Ut cum præcipiti] Senec. in Hippolyto, vss. 734. 'Fugit insanæ similis procellæ Ocyor nubes glomerante Coro.' Virgil. 1. Georg. 'Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum, Et fædam glomerant tempestatem inbribus atris Collectæ ex alto nubes.' Silius Ital. lib. III. 'Interdum adverso glomeratus turbine Corus In media ora nives fuscis agit horridus alis.' *Idem.*

Corus] Est idem qui 'Caurus.' Nam et 'plostrum' et 'planstrum,' 'clostrum' et 'claustrum' dixere Veteres. Apuleius de Mundo: 'Caurus Græce ἀργέστης vocatur, is est adversus Aquiloni.' *Idem.*

Boreas] Apuleius de Mundo: 'Qui

ab æstiva et solstitialis Orientis meta venit βορέας Græce, Latine Aquilo nominatur. Hinc αἰθρηγενέτην, quod sit alias serenus, Homerus ait: Boream vero ἀπὸ τῆς βοῆς, quod non sine clamore soleat intonare.' Agellius lib. II. cap. 22. 'Boream putant dictum ἀπὸ τῆς βοῆς, quoniam sit violenti flatus et sonori.' De honore isti vento ab Atheniensibus, Thuriis, Megalopolitis exhibito habes apud Ælian. lib. XII. Var. Hist. cap. 61. *Idem.*

Et clausum reseret diem, Emicat] Martianus Capella lib. I. de Phœbo: 'Atque idem pallio rutilante, ac reserato stellantis poli limine, Sol repente clarus emicuit.' *Idem.*

Oculos radiis ferit] Ennius I. Ann. 'Exin candida se radiis dedit ista foras lux.' Silius lib. III. in fine: 'Majorque repente Lux oculos ferit.' *Idem.*

PROSA 3. *Hausi cælum]* Q. Curt. lib. V. de Reb. gestis Alex. 'Alium domi esse cæli haustum, alium lucis aspectum.' *Idem.*

Supero cardine delapsa] Themistius Orat. I. Σωκράτης δὲ ἐκείνος ὁ Σωφρονισκὸν θεία μοῖρα μόνη παραγενέσθαι ἐς ἀνθρώπους, 'Socrates' denique 'Sophronisci' ille filius 'divina duntaxat sorte' Philosophiam 'in hominum genus delapsam fuisse testatus est;' in Sophista Platonis ubi et Prodicus sapiens θεῖος dicitur. Quod sit nimirum (ut ait Rex Indorum Phraotes apud Philostr. in vita Apollonii lib. II. cap. 12.) θειότατον τῶν κατ' ἀνθρώπους, 'omnium, quæ sunt apud homines, divinissimum.' Seneca Epist. XC. 'Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quod vivimus: Philosophiæ, quod bene vivimus? Itaque tanto plus nos debere huic quam Diis, quanto majus beneficium est bona vita, quam vita?' Quid enim cælestius, aut ad Deos propius accedit, quam homo omnia cum recta ratione faci-

ens? *Vallin.*

Ante nostri Platonis ætatem] Solone, Anaxagora, et Pythagora in exilium actis: Zenone vero Eleate aliisque optimis viris morte damnatis. *Idem.*

Certamen....certavimus] Ita Homerus Iliad. Γ. πόλεμον πολεμίζειν. 'Pugnare pugnam' apud Plautum in Pseudolo Act. I. scen. 5. 'Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius Dabo aliam pugnam claram et commemorabilem.' Gaudet autem noster Boëtius hac verborum figuratione, nam et infra lib. II. Pros. I. dixit, 'Ludere ludum,' et lib. eod. Pros. 5. 'Ornare ornamentis.' Græcis maxime familiare hoc loquendi genus esse docet C. Rittersh. ad Opiantum. *Sitzm.*

Cujus hereditatem] Huic loco non absimilis habetur apud Philostr. vitæ Apollonii lib. II. cap. 12. ubi Phraotes Indorum Rex ait, Τοὺς δὲ πολλοὺς ὥσπερ σκυλεύσαντας αὐτὸ ἐτέρων, περιβεβλησθαι τε αὐτὸ ἀναρμόστως, καὶ σοβεῖν ἀλλοτρίαν ἐσθήτα ἐπισύροντας. Et mox, Τὸ δὲ αἴτιον, νόμοι ὑμῖν οἴμαι εἶσιν. εἰ μὲν τὸ νόμισμα παραφθείροι τίς, ἀποθνήσκειν αὐτόν. καὶ παιδίον, εἴ τις παρεγγράφοιτο· ἢ οὐκ οἶδ' ὅ, τι ἐπὶ τούτῳ. τοὺς δὲ τὴν φιλοσοφίαν ὑποβαλλομένους, ἢ παραφθείροντας, οὐδεὶς οἴμαι νόμος παρ' ὑμῖν ἴσχει, οὐδὲ ἀρχὴ τις ἐπ' αὐτοὺς τέτακται, 'Plurimos autem apud vos esse audio, qui tanquam alienam rem' Philosophiam 'deprædantes, eaque tanquam veste inepte tamen se induentes, elati incedunt vestem trahentes alienam. Hujus autem mali causam esse arbitror leges vestras. Si quis enim numisma adulterinum cuderit, capite plectitur: si quis etiam pupillum circumvenerit, aut aliud quidpiam fecerit ejusmodi. Philosophiæ vero simulatores aut corruptores, nulla ut audio apud vos lex coercet, nec ullus huic rei magistratus præficatur.' *Vallin.*

Cujus hereditatem] Vide hac de re

præter Diogenem Laërt. B. Augustinum lib. viii. De Civ. Dei cap. 7. et ibi Lud. Vivem. *Sitzm.*

Nostrī habitus] Seneca Epist. 55. 'Adeo Philosophia sacrum quiddam est et venerabile, ut etiam si quid illi simile est, mendacio placeat.' *Vallin.*

Quod si nec Anaxagoræ fugam, nec Socratis venenum, nec Zenonis tormenta, quoniam sunt peregrina, &c.] Minime erunt peregrina, si legatur Diog. Laërtius de vitis Philosophorum. Nobis singulorum vitam fortunamque multis dictis jam recensere, 'perdelirum esse videtur.' *Sitzm.*

Quod si nec Anaxagoræ fugam] Cum quinque talentis multatus, exilioque ab Atheniensibus damnatus, Lampsacum profectus est, ubi et diem suum obiit. Adi Laërtium in Anaxagora. *Bern.*

Anaxagoræ fugam] Nempe exilium, quod est *φυγή*, in quod Atheniensium decreto actus est: sive fugam, quod ut alii volunt, ipse sua sponte in exilium iverit. Vid. Diogen. Laërt. *Vallin.*

Nec Zenonis tormenta] Zenonem Eleatem intelligit, Dialecticæ inventorem: de cujus tormentis non eadem scriptores tradidere. Laërtius, cum Learchum tyrannum seu ut alii volunt Diomedontem profligare voluisset, constantissime tormentis omnibus restitisse, tandem ne dolore victus socios proderet, linguam *ξ*dentibus præcidisse et in tyranni faciem expuisse scribit: [eadem Cicero, Tusc. Quæst. I. II. eadem Theodoritus de Græcarum affect. cur. I. VIII. Erasthenem citans. Valerius vero, lib. III. c. 3. Zeno Eleates, 'Agrigentum,' inquit, 'miserabili servitute obrutum petiit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, ut speraret et tyranno et Phalari vesanæ mentis feritatem a se deripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilii

salubritatem valere animadvertit; nobilissimos ejus civitatis adolescentes, cupiditate liberandæ patriæ inflammavit: cujus rei cum indicium ad tyrannum manasset, convocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit, subinde quærens quosnam consilii participes haberet. At ille nec eorum quempiam nominavit, et proximum quemque ac fidissimum tyranno suspectum reddidit, increpitansque Agrigentinis ignaviam ac timiditatem, effecit, ut subito mentis impulsu concitati, Phalarium lapidibus prosternerent. Senis ergo unius eculeo impositi non supplex vox, nec miserabilis ejulatus, sed fortis cohortatio, totius urbis animum fortunamque mutavit.' A quibus omnibus diversum it Tertullianus Apologetico: 'Zeno Eleates consultus,' inquit, 'a Dionysio, quidnam Philosophia præstaret, quum respondisset contemptum mortis: flagellis tyranni objectus, sententiam suam ad mortem usque signabat.' Æstuo profecto, nec cuneum reperio huic nodo. *Bern.*

Zenonis] In cruciatus auctore et genere penitus variant auctores. Diogenes Laërtius [ex quo idem Snidas scripsit] in Nearchi tyranni os linguam præcisam conspuisse; deinde ex Hermippo, illum in cavum lapidem injectum contusumque fuisse inquit. Ab eo Val. Maximus dissentit, qui lib. III. c. 3. Phalaridis Agrigentinar. tyranni jussu cruciatum refert, ut et Cicero, Anaxarchum Nicocreonis Cypriorum tyranno ad ultimum amputationem linguæ minitanti respondisse; 'Non erit,' inquit, 'effeminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis: protinusque dentibus abscissam et commanducatam linguam in os ejus ira patens expuit.' Tertullianus quoque sub finem apologetici diversum abit, 'Zeno Eleates,' inquit, 'consultus a Dionysio, quidnam philosophia præ-

staret, cum respondisset contemptum mortis, impassibilibus flagellis tyranni objectus, sententiam suam usque ad mortem signabat.' Credas omnes in id conspirasse, ut diversa scriberent. Sed is tamen nodus solvetur si distinctis illis patientiæ exemplis, pro comperto et certo maneat, ut certe ex Plutarcho lib. *περὶ ἀδολεσχίας*, Clemente Alexandrino IV. *Στρωματέων*, Theodoro *Ἑλληνικῶν παθημάτων* Serm. VIII. aliisque constat, Zenonem, non alium quemquam, Eleam patriam dum in libertatem vindicare conatur, Nearchi tyranni jussu cruciatum, inter tormenta 'avulsam sedibus linguam suam,' ut ait Amm. Marcellinus l. XIV. 'cum cruento sputamine in oculos interrogantis Cyprii Regis impigisse.' Anaxarchum vero, ut cum Laërtio omnes pœne auctores affirmant, Nicocreontis Cyprii tyranni jussu in pilam saxeam conjectum, ibique ferreis malleis cæsum, celebre hoc dictum geminasse, *Πίσσε, πίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πίσσεις*: 'Tunde, tunde Anaxarchi capsam, Anaxarchum autem non tundis.' *Vallin.*

At Canios, at Senecas, at Soranos] Canii Julii viri magni constantiam in morte perferenda, describit Seneca de Tranquillitate cap. 14. ipsius Senecæ deplorandam mortem Annal. XV. Sorani viri illustris necem Annalium XVI. Tacitus refert. *Bern.*

At Canios, at Senecas, at Soranos] Canii Julii mortem constantiamque videre est apud Senecam lib. de Tranquill. cap. 14. ubi scribendum censet Lipsius *Canus*, non *Canius*. 'Annæi Senecæ,' apud Suetonium in Nerone: veterem interpretem Juvenalis Satyr. V. Annalium Taciti XV. 'Bareas Sorani,' eorundem Annalium XVI. *Vallin.*

At Canios] Canii Julii, quem 'natrix Pop. Romani, Phaëtonque orbis terrarum C. Cæsar Caligula' est prosequutus, passim meminit Seneca

philosophus. *Sitzm.*

At Senecas] Vetus Interpres Juvenalis in Sat. V. 'Hic sub Claudio quasi conscius adulteriorum Juliæ Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est. Qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, sævum immanemque natum et sensit cito et mitigavit, inter familiares solitus dicere: Non fore sævo illi leoni quin gustato semel hominis cruore ingenta redeat sævitia. Huic postremo, quod habitus esset inter consocios conjurationis Pisonianæ, Nero per tribunum ultimam necessitatem denuntiavit. Hic interritus amicorum animos, quibus jam ejus casus lacrimas exciverat, ad firmitudinem revocavit, rogans: Ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversus imminetia? cui præterea ignara fuerit Neronis sævitia? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret. Deinde sibi venas præsecans, crurumque venas abrumpens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, et postremo calidæ aquæ stagnum introiens, exanimatus est.' *Idem.*

At Soranos] Bareas Soranus, Proconsul Asiæ, justitiæ atque industriæ studiosior Neronem sibi offensum reddidit, a quo tandem mortis dato arbitrio vita excedere est jussus. De hoc Tacitus l. XVI. Annalium: 'Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit, interfecto Barea Sorano et Thræsea Pæto, olim utrisque infensus.' *Idem.*

Quos nihil aliud in cladem detraxit] Ms. Rittersh. *dejecit*. De tribus posterioribus, quorum mentionem facit, paucis dicemus. *Idem.*

Quod nostris moribus instituti, studiis improborum dissimillimi videbantur] In

eundem sensum Petronius Arbiter : ‘ Non dubium est, si quis vitiorum omnium inimicus rectum vitæ iter cœpit inspicere, primum propter morum differentiam odium habet: quis enim potest probare diversa.’ *Idem.*

Itaque nihil est, quod admirere] Salvi-
nianus lib. v. de Gubernatione Dei,
convenienter ait : ‘ Ac per hoc infel-
licissimi pauperes sic sunt, quasi in-
ter concertantes procellas in medio
mari positi, nunc istorum scilicet,
nunc illorum fluctibus obruuntur.’ Et
Cassiodor. lib. v. Variar. Epist. 40.
‘ Inter mundi fluctuantes procellas
unde se humana fragilitas contineret,
si nostris actibus mentis firmitas non
adesset?’ *Idem.*

METR. 4. *Quisquis composito serenus
ævo*] Senec. in Herc. Cæt. vs. 107. et
seqq. ‘ Quisquis sub pedibus fata rapa-
cia Et puppem posuit luminis ultimi.
Non captiva dabit brachia vinculis
Nec pompæ veniet nobile ferculum.
Et vs. 1834. ‘ Non est gemendus,
nec gravi urgendus nece, Virtute
quisquis abstulit fatis iter.’ In Thy-
est. vs. 365. ‘ Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia, Occurritque suo
libens Fato, nec queritur mori.’ *Idem.*

Minæque Ponti] Senec. in Herc.
Cæt. vs. 49. ‘ Tulimus Oceani minas.’
Idem.

Torquet...ignes] Val. Flaccus lib.
iv. ‘ Sic ubi prorupti tonuit cum
forte Vesevi Hesperiaæ letalis apex;
vix dum ignea montem Torsit hiems,
jamque Æoas cinis induit urbes.’
Idem.

Vesevus] Mons Campaniæ, ab æstu
et igne nobilissimus. Apuleius de
Mundo : ‘ Quibusdam subter occulti
sunt spiritus, et flantes incendia in-
didem suspirant : ut Lipara, ut Æt-
na, ut Vesuvius etiam noster solet.’
Minutius Felix : ‘ Sicut ignes Ætnæ
et Vesuviï et ardentium ubique ter-
rarum flagrant, nec erogantur: ita
pœnale illud incendium non damnis
ardentium pascitur, sed inexesa cor-

porum laceratione nutritur.’ Elegan-
ter Silius lib. XII. ‘ Monstrantur Ve-
seva juga, atque in vertice summo
Depasti flammis scopuli, fractusque
ruina Mons circum, atque Ætnæ fa-
tis certantia saxa.’ *Idem.*

Aut celsas soliti ferire turres] Horat.
III. Carm. Od. III. ‘ Justum et te-
nacem propositi virum Non civium
ardor prava iubentium, Non vultus
instantis tyranni Mente quatit soli-
da, neque Auster Dux inquieti turbidus
Hadriæ, Nec fulminantis magna
Jovis manus : Si fractus illabatur or-
bis Impavidum ferient ruinæ.’ Se-
nec. in Thyest. vs. 355. ‘ Quem non
concutiet cadens Obliqui via fulminis,
Non Eurus rapiens mare, Aut sævo
rapidus freto Ventosi tumor Hadriæ.’
Idem.

Via fulminis movebit] Senec. in
Agam. vs. 593. ‘ Nullus hunc terror,
nec impotens Procella fortunæ mo-
vet, Aut iniqui flamma Tonantis.’
Secus de sceleratis, qui ob commissa
trepidant. Juvenalis Satyra XIII.
‘ Hi sunt qui trepidant, et ad omnia
fulgura pallent, Cum tonat, exani-
mes primo quoque murmure cæli,
Non quasi fortuitus, nec ventorum
rabie, sed Iratus, cadat in terras, et
judicet ignis. Illa nihil nocuit, cura
graviore timetur Proxima tempestas,
velut hoc dilata sereno.’ In quorum
numero habendus C. Cæsar Caligula,
de quo Suetonius lib. IV. ‘ Nam qui
Deos tantopere contemneret, ad mi-
nima tonitrua et fulgura connivere,
caput obvolvere; ad vero majora
proripere se e strato, sub lectumque
condere solebat.’ *Idem.*

Nec speres aliquid, nec extimescas] Expressit elegantissime primum illud
sapientiæ et beatitudinis Stoicæ de-
cretum, quod Epictetus Enchirid.
sic profert : “Ὅστις ἐλεύθερος εἶναι βού-
λεται, μήτε θελέτω τι, μήτε φευγέτω τι
τῶν ἐπ’ ἄλλοις. εἰ δὲ μὴ, δουλεύειν ἀνάγκη : ‘ Quisquis liber esse volet, neque
cupiat quicquam, neque aversetur,

eorum quæ penes alios sunt. Sin minus, servire necesse erit.' Senec. de Beata Vita cap. 5. 'Potest beatus dici, qui nec cupit nec timet, beneficio rationis:' et divine Epist. LXXX. 'Nunquam major est' animus, 'quam ubi aliena disposuit, et fecit sibi pacem nihil timendo; divitias, nihil concupiscendo.' Philosophiæ finem esse volunt Val. Maximus l. III. cap. 3. et Simplicius proœmio in Enchirid. Epicteti. Sed Plato, cujus sententiam sibi usurparunt illi, longe divinius in Philebo jamdudum censuerat, Μηδὲν δεῖν μήτε μέγα, μήτε μικρὸν χαίρειν τῷ τὸν τοῦ νοεῖν καὶ φρονεῖν βίον ἐλομένῳ. ΠΡΩ. Καὶ μάλα οὕτως ἐβρῆθη. ΣΩ. Οὐκοῦν οὗτος ἂν ἐκείνῳ γε ὑπάρχοι· καὶ ἴσως οὐδὲν ἄτοπον εἰ πάντων τῶν βίων ἐστὶ θεϊότατος: 'Nihil oportere prorsus ullave ex parte vel gaudere vel dolere eum, qui intelligendi sapiendique vitam elegit. PROTARCH. Id quidem certe dictum est. SOC. Nonne illa vivendi ratio eidem' homini sapienti 'maxime fuerit consentanea? ac nihil absurdi erit fortasse, si constituamus ex omnibus vivendi generibus hoc esse divinissimum.' Hinc eidem Senecæ in Hippolyto ruris cultor felix dicitur quod, 'Non ille regno servit, aut regno imminens Vanos honores sequitur, aut fluxas opes, Spei metusque liber.' Itemque Virgilio II. Georgic. quia 'Metus omnes et inexorabile fatum Subjecit pedibus.' Vallin.

Nec speres aliquid, nec extim.] Senec. in Troad. vs. 424. 'Miserrimum est timere, cum speres nihil.' Martial. lib. X. Epig. XLVII. 'Summum nec metuas diem, nec optes.' Ausonius ex mente Periandri: 'Mortem optare malum, timere pejus.' Sitzm.

Quod non sit stabilis] Lactant. De Ira Dei, cap. 3. 'Caligantibus veritatis fulgore luminibus, qui stabilem gressum tenere non possunt, revolvuntur in planum.' Idem.

Abjecit clypeum] Flavius Caper de

Orthographia: 'Clypeum ἀσπίδα: clypeum ornamentum dices.' Vide de eod. vocabulo Charis. lib. I. Instit. Grammat. Fronton. de diff. vocum, Velium Longum de Orthographia, quos cum ceteris Latinæ linguæ auctoribus pulcerrimo volumine edidit amicus noster (non sine gravissimo omnium bonorum luctu nuper in ipso ætatis flore vivis exemptus) HELIAS PUTSCHIIUS. Accipitur autem hoc loco 'Clypeus' pro recta ratione, quemadmodum 'Regimen' apud Senec. in Agam. vs. 139. 'Proinde omisi regimen e manibus meis: Quocunque me ira, quo dolor, quo spes feret, Huc ire pergam.' Idem.

PROSA 4. Esne ὄνος λύρας] Intellige, ἀκροατῆς 'auditor.' Sic omnes veteres libri, non πρὸς λύραν. Ut et omnes veteres scripsere, Varro in satyra quæ Testamentum inscribitur apud Agellium libro III. cap. 16. 'Ii' liberi, 'si erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunt.' Suidas ex Menandro, Lucianus, Mart. Capella lib. VIII. atque alii quos refert Erasmus, in eo adagio. Imo et apud Varronem id nominis satyra extitit. Vallin.

Esne ὄνος πρὸς λύραν] 'Asinus ad lyram.' Proverbium vetus; quod nec pueri septennes ignorant. Bernart.

'Ἐξαύδα] 'Ἡμιστίχιον ex Iliados A. Ubi Thetis Achillem filium non satis doloris sui causas aperientem alloquitur, aitque, 'Ἐξαύδα, μὴ κεῖθε νόῳ, ἴνα εἶδομεν ἄμφω. 'Dic, ne occulta animo' fili, 'noscamus ut ambo.' Pro quo nescio quis Thomas Volfius, substituit σύμφαθί μοι, μὴ κρύπτῃς, in editione Antverp. anni M.D.XXXIII. nec solum hunc locum, sed omnes alios corrupit, Græcis versibus pro libito mutatis, vel interpolatis; ita ut ne uni quidem pepercerit, egregie scilicet inscientiam suam, ne impudentiam dicam, professus. Vallin.

Hæccine est bibliotheca] Latinos eadem notione, pro loco in quo libri reponuntur, τὸ libraria accipere, ex

Cicerone Philippica II. Agel. lib. v. cap. 4. aliisque vulgatum. *Bernart.*

Siderum vias radio describeres] Virgil. 6. *Æneid.* ‘Cælique meatus Describent radio, et surgentia sidera dicent.’ *Sitzm.*

Siderum vias] Ea pulcherrima est imprimis disciplina, rerum cœlestium cognitio, et homine cum doctrinæ tum pietatis studioso digna: adeo ut Anaxagoras huic uni tota sibi vita incumbendum diceret; is enim, ut est apud Laërtium, ἐρωτηθεὶς ποτε εἰς τί γεγένηται, εἰς θεωρίαν (ἔφη) ἡλίου καὶ σελήνης καὶ οὐρανοῦ, ‘rogatus cuius rei causa natus esset, Inspiciendi, inquit, cæli, et solis, et lunæ.’ Cuius rationem reddit Plotinus *Ennead.* VII. lib. VII. ‘Ὡς δὴ ὁ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ τὸ τῶν ἀστρων φέγγος ἰδὼν, τὸν ποιήσαντα ἐνθυμεῖται καὶ ζητεῖ οὕτω χρῆ, καὶ τὸν νοητὸν κόσμον ὃς ἐθεάσατο· καὶ ἐνεῖδε καὶ ἐθαύμασε τὸν κάκεινου ποιητήν: ‘Nempe quemadmodum qui in cælum diligentius suspicit, stellarumque splendorem impensius contuetur, protinus auctorem mundi ‘cogitat atque perquirat: sic oportet et eum qui mundum intelligibilem intuetur, cernit, admiratur, effectorem ejus diligenter inquirere.’ Hermes trism. *Asclepio*, ‘Itaque’ Deus ‘hominem conformavit ex animi et corporis, id est, ex æterna et mortali natura, ut animal ita conformatum utrique origini suæ satisfacere possit, et mirari atque orare cœlestia et æterna, incolere atque gubernare terrena.’ Et paulo post, ‘Hominum enim admirationibus, adorationibus, laudibus, obsequiis cælum cœlestesque delectantur: nec immerito in hominum cœtum Musarum chorus est a summa divinitate demissus, scilicet ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine carnisset; sed potius ut modulatis hominum cantilenis concelebraretur laudibus, qui solus omnia ut pater est omnium,

atque ita cœlestibus laudibus nec in terris harmoniæ suavitas defuisset. Aliqui enim ipsique paucissimi, pure mente præditi, sortiti sunt cœli suspiciendi venerabiliorum curam.’ Ovid. I. *Fast.* ‘Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis, Inque domos superas scandere, cura fuit. Credibile est, illos pariter vitiisque locisque Altius humanis exseruisse caput.’ Quam scientiam *Ægyptii* seu *Chaldæi* γενεθλιακοὶ in vetitas artes converterunt, ausi scilicet prædicere mortalibus, ut ait *Manilius*, ‘Nascendi quæ cuique dies, quæ vita fuisset, In quas fortunæ leges quæque hora valeret.’ *Vallin.*

Ad cœlestis ordinis exemplar] *Platonis* verba sunt ultima lib. IX. de *Rep.* *Μανθάνω*· (ἔφη) ἐν ἧ νῦν διήλθομεν οἰκίζοντες πόλει λέγεις, τῇ ἐν λόγοις κειμένη· ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι. ‘Ἄλλ’ (ἦν δ’ ἐγὼ) ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὄρᾶν, καὶ ὄρωντι, ἑαυτὸν κατοικίσειν: ‘Intellego, inquit, eam civitatem significas, de qua constituenda longum hunc sermonem habuimus, quæ quidem verbis solum, in terris vero nusquam (opinor) revera exstat. Atqui in cælo, inquam, illius exstat exemplar, conspicuum ei qui et intueri ipsum voluerit, et cum intuitus fuerit seipsum ad illud instituere.’ Idemque scripserat I. VI. de *Rep.* Hinc noster *Carm.* ultimo libri secundi, ‘O felix hominum genus, Si vestros animos amor, Quo cælum regitur, regat!’ *Idem.*

Platonis ore] Lib. V. de *Rep.* ‘Ἐὰν μὴ (ἦν δ’ ἐγὼ) ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἰκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς τ’ αὐτὸν ξυμπέση δύναμις τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία; τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐφ’ ἐκάτερον αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα, ᾧ φίλε *Γλαύκων*, ταῖς πόλεσιν· δοκῶ δὲ, οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει: ‘Nisi Philo-

sophi civitatibus dominantur, vel hi qui nunc reges potentesque dicuntur, legitime sufficienterque philosophentur, in idemque civilis potentia et philosophia concurrant, neque (quod nunc fit) a diversis duo hæc tractentur ingeniis; non erit civitati, vel, ut mea fert opinio, hominum generi requies ulla malorum.' Idemque ex eo refert Alcinous cap. xxvii. Apuleius lib. de morali ejusdem philosophia. et Valer. Max. lib. vii. c. 2. 1. Capitolinus in M. Antonino phil. et Prudentius contra Symmachum. Sed eam sententiam multis exponit Musonius apud Stobæum serm. xlvi. solidissimisque rationibus demonstrat, et tandem statuit Τὸν βασιλέα τὸν ἀγαθὸν εὐθὺς καὶ φιλόσοφον ἐξ ἀνάγκης εἶναι. καὶ τὸν γε φιλόσοφον, εὐθὺς καὶ βασιλικὸν εἶναι: ' bonum regem, statim et philosophum, esse necessario: et philosophum, animo statim præditum esse regio.' Quod et deinde declarat quoque fusius. Aut si philosophus non est optimus quisque princeps, Οὐ πόρρω τῆς ἀλουργίδος τοὺς πατέρας λόγων ἐτίθετο, ἀλλ' ἐγγὺς ἄγων τοῦ θρόνου, καὶ δωρεαῖς διαθάλπων συχναῖς, καὶ τιμῆς οὐκ οὐκ ἐλαχίστης μεταδιδὸνς, ἐδείκνυ ἐαυτὸν καὶ φιλοσοφίαν οὐρανοβάμονα ὡς μέγα τι χρῆμα οἰόμενον καὶ πλείστου τιμώμενον, καὶ σοφιστὴν ἐγκωμιάζοντα καλλιβρήμονα, καὶ τοὺς νομοτριβεῖς ἀνδρας περὶ πλείστου μάλα τιθέμενον: ' eruditos non procul a purpura, sed prope solium suum collocatos et muneribus frequentibus fovit, et honores eis non minimos habendo, cælestem philosophiam divinarumque rerum doctores, disertos et juris peritos, magnam rem et summi pretii se æstimare declaravit,' inquit Nicetas in Andronico. *Idem.*

Beatas fore Respub. si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset] Platonis sententia in Alcibiad. i. quam verbis diversis ab istis Valerius expressit lib. vii. cap. 2. ' Jam Platonis verbis adstricta,' inquit, ' sed sensu præ-

valens sententia: qui tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicavit, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent.' Et cum Valerio Prudentius contra Symmachum: ' Nimirum pulchre quidam doctissimus: Esset Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.' At nostro Boëtio consentiens Julius Capitolinus in M. Antonino Philosopho, ' Sententia Platonis semper in ore illius fuit,' inquit, ' flores civitates, si aut Philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.' *Bernart.*

Ejusdem viri ore] Dialogo vi. de Rep. *Vallin.*

Hunc igitur auctoritatem sequutus] Quod Philosophia ab administranda Repub. non sit aliena, et quod ex Philosophis quidam Rempub. gubernarint, testatur Ælianus Variar. Hist. lib. iii. cap. 17. Nec immerito Plutarchus illud Epicuri λάθε βίωσας refutavit. *Sitzm.*

Ad magistratum] Monnimus supra scribendum hic esse *Magisteriatum*: verique simili est ea, quæ Boëtius præclare a se facta mox recenset, in ea dignitate constitutum fecisse. Neque enim tanquam senator ista Romæ, sed Ravennæ in aula principis egit: quod nemo est qui non statim videat ac judicet. *Vallin.*

Conigastum] Sen *Cunigastum*, ut habet Cassiodorus: cum Gothum illum Athalaricus rex illustrem appellet, ad eum apud Cassiodorum lib. viii. Epist. xxviii. scribens, apud Theodoricum potentem fuisse appareret. *Idem.*

Conigastum] Fuit dubio procul unus exactorum, de quibus vide Cassiodorum libro secundo Variar. Epistol. xxiv. Apud eundem libro octavo legitur Epistola ad Cunigastum. *Sitzm.*

Regiæ præpositum domus] Vide Cujacium ad legem secundam Codic.

De Excusationibus munerum, libro decimo. *Idem.*

Provincialium fortunas] Salvian. l. iv. de Gubern. Dei: 'Illud latrocinium ac scelus quis digne eloqui possit, quod cum Resp. vel jam mortua, vel certe extremum spiritum agens in ea parte, qua adhuc vivere videtur, tributorum vinculis, quasi prædonum manibus strangulata moriatur: inveniuntur tamen plurimi divitum, quorum tributa pauperes ferunt: hoc est, inveniuntur plurimi divitum, quorum tributa pauperes necant.' *Idem.*

Tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus] Apud Cassiodorum Var. v. Epist. xxxix. Theodoricus Rex ægerrime fert compulsorum arbitrio provincialium subjacere fortunas; inde subjungit: 'Genus evidentis est prædæ, pro illius voluntate dare, qui ad suum commodum amplius festinat exigere.' Salvianus quoque lib. v. De Gub. Dei, vulturios istos, qui ad rapacitatem convertunt animum, vario et exquisitissimo calumniarum et auctionum et vectigalium genere, his verbis reprehendit: 'Illud gravius est, quod plurimi proscribuntur a paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse privatos: et hoc non summi tantum, sed pæne infimi: non iudices solum, sed etiam iudicibus obsequentes. Quæ enim sunt non modo urbes, sed etiam municipia atque vici, ubi non quot Curiales fuerint, tot tyranni sunt.' *Idem.*

Non aliter, quam qui patiebantur, indolui] Congrua verba invenies in libro Job, cap. 29. *Idem.*

Cum, acerbæ famis tempore] Hæc ut melius intelligas, vide passim Cassiodorum Variar. xii. 'Certe ad tantam penuriam provincialium tum pervenerunt fortunæ, ut vitæ pericula sustinere non potuissent, nisi eis pietas regalis solita humanitate prospexisset,' ut loquitur idem d. lib.

Epist. xxvi. *Idem.*

Coemptio] Ipsa coemptio *συνώνη*, publice vero species annonarias vel urbi vel exercitui necessarias etiam ab invitis provincialibus exigendi consuetudo, *συνώνητον* vocabatur. Quamquam et onus illud, quod Justinianus Bithyniæ, Phrygiæ, et Thraciæ incolis frumentum Byzantium perferendi conditione durissima imposuit, notat Suidas ab illis *συνώνην* esse appellatum. *Vall.*

Coemptio] Publica comparatio specierum Græce *συνώνητον* appellatur, *ἐκ τοῦ συν καὶ ὠνεῖσθαι*. Latine *Coemptio*. Quemadmodum autem hujusmodi coemptio accipienda sit, non æque constat inter omnes. Alii sic eam accipiunt, ut provinciales a fisco species annonarias emere cogantur. Alii, ut eas fisco vendere forensibus precii compellantur. Quorum sententia verior. Coemebat enim undique fiscus a provincialibus etiam invitis species annonarias, usui publico vel exercitui necessarias. Necessarias dico. Non enim nisi urgente aliqua necessitate *συνώνητον* indicabatur, veluti militum aut urbis sublevandæ causa; ac tum cogebantur omnes (excepta Thraciæ diœcesi, ubi tributa fiscalia in solidum non inferebantur, cum barbarorum incursibus coloui attererentur) species fisco vendere, neque ulli penitus possidentium sese sub cuiuscunque privilegii occasione excusandi tribuebatur facultas. Non autem fiebat coemptio sine auctoritate principis, nisi si qua municipia annonæ caritate laborarent. Cura porro emendarum specierum ad eum proprie pertinebat, cui princeps eam demandarat. Hæc de Synoneto collegimus ex Jurisconsultorum Phœnice Jac. Cujacio, quem vide Observat. i. c. 35. et Commentar. ad Cod. lib. x. t. 27. Operæ precium autem mihi facere sum visus, si adjicerem locum Cassiodori ex lib. ii. Var. Epist. 38. ubi Theodoricus

Rex negotiatoribus quibusdam, depopulatione vastatis, inducias concedens, ita ad Faustum præpositum scribit: 'Quia egentium levamina nostras potius divitias æstimamus, illustris magnificentia tua per hoc jure biennium nuncupatos nulla faciat cõemptione vexari.' *Sitzm.*

Campaniam] L. Florus de Gestis Romanor. lib. i. cap. 16. 'Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cælo: denique bis floribus vernal. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.' Solinus Polyhist. cap. 8. 'Amœnissimus Campaniæ tractus.' Utcunque tamen sit amœna Campania, sæpenumero Vesuvii, Ætnei ignis imitatoris, hostilitate sive incendio vastatur. unde Cassiodor. iv. Var. Epist. 50. 'Laborat hoc uno malo provincia, quæ ne perfecta beatitudine frueretur, hujus timoris frequenter acerbitate concutitur.' Vide et C. Pliu. Cæcil. Secundum, lib. vi. Epist. 16. et 20. *Idem.*

Præfectum Prætorii] De dignitate Præfecturæ Prætorianæ Cassiodorus viii. Variar. Epist. 20. 'Redeat ad nomen antiquum Præfectura illa Prætorii, toto orbe laudabilis. Cujus si principium quæramus, per Joseph a beneficiis inchoavit: nec immerito a legibus nostris pater provinciarum, pater etiam prædicatur imperii: quia sic juste, sic provide agi voluerunt, ut non districtum judicis nomen, sed vocabulum illi pietatis imponerent.' *Idem.*

Paulinum] Non Decium Theodorum Paulinum juniorem illum, qui Indict. xii. hoc est, anno 534. ultimus Consul Occidentis collega Justiniano imp. fuit, Venantii patricii filius, jam mortuo Boëtio: cujus consulatus ab Athalarico dati exstat formula apud Cassiodorum lib. ix. Epist. 22. Sed Decium Paulinum anno 498. Consulem, quem etiam Pa-

tricium vocat Theodoricus in rescripto ad Argolicum urb. præf. xxix. lib. 3. apud Cassiodorum: quo idem illi rex collapsa in urbe horrea donat. Inter quem, et Symmachum ac Festum etiam patricos et senatus principes, ut componatur orta ingens contentio, constituit controversiæ judices Theodoricus viros alios illustres Epist. 23. lib. i. Variar. Ex Deciorum familia fuit, quemadmodum Importuni et Venantii. *Vallin.*

Paulinum consularem virum] Existimo eundem esse, qui cum Joanne Scytha consul fuit anno Christi 498. Anastasii Papæ a. 2. Anastasii Imperatoris 8. Theodosii 6. Ad Cassiod. lib. ix. Var. Epist. 22. Baronium Ann. 7. Onufrium, et alios. *Bernart.*

Paulinum] De hoc vide Cassiodor. Variar. lib. i. Epist. 23. lib. ii. Epist. 3. lib. iii. Epist. 29. *Sitzm.*

Opes...devorassent] Hæc illustrabis ex Salviani lib. v. de Gub. Dei. ubi agit de Bagaudis, inter alia asserendo, 'fuisse quosdam qui in similitudinem immanium bestiarum non rexerint traditos sibi, sed devorarent.' *Idem.*

Palatini canes] Aristippum, 'quem' (teste Horatio) 'omnis decuit color,' Diogenes βασιλικὸν κύνᾱ appellavit. Vid. Diog. Laërt. lib. ii. Prudentius quoque περὶ στεφ. Hymn. 5. ministros pœnæ sive carnifices 'canes' nuncupat. *Idem.*

Ne Albinum] Decium illum Albinum juniorem fortasse innuit, qui anno cdxciij. consul fuit: ex eadem, ut videtur Deciorum familia. Ad quem scribit Theodoricus apud Cassiod. Epist. xxx. lib. iv. et Ennodius Ep. xxi. lib. ii. Cui collega additur in consulatu Eusebius a Marcellino. *Vallin.*

Ne Albinum consularem virum] Intelligit Albinum juniorem: qui anno Christi cccxcij. Gelasii Papæ ii. Anastasii Imp. iii. Theodorici re-

gis I. solus consul fuit, ut Cassiodorus in fastis refert. at apud Marcellinum collega Eusebius additur. Consule et Cassiodorum Var. IV. Epist. XXX. *Bernart.*

Ne Albinum] Ad Albinum extant apud Cassiodorum lib. I. Var. Epist. 20. et lib. IV. Epist. 30. *Sitzm.*

Odiis me Cypriani delatoris opposui] Quis ille? idem ne de quo Athalaricus Rex apud Cassiodorum l. VIII. Variar. Epistola XXI. 'Senescis quidem corpore, sed laude juvenescis?' et post multa: 'Quamobrem multis laboribus multaque fide et constantia comprobato, Patriciatus tibi, Deo auspice, conferimus dignitatem, honorem quidem celsum, sed qui tuis meritis probetur esse æqualis.' Sane vix credo: utique cum apud Procopium legerim de bello Gothorum lib. I. 'Theodorico igitur suo fato perfuncto, Athalaricus hujus ex filia nepos suscepit imperium, annos octenos natus, sub matre Amalasantha adluce educatus: nam hujus pater ex humanis excesserat, nec longo post tempore quam Justinianus iniisset imperium. Amalasantha itaque, filii procuratione suscepta, regnum administrabat: prudentia et æquitate mirifice pollens, virilem præ se ferebat naturam: quippe quamdiu hæc imperio præfuit, Romanorum neminem vel corporis affecit pœna, vel rerum jactura: quinetiam nec Gothos ipsos, etsi lacessendi Romanos percupidos, his quoque pacto injuriam permittebat inferre: quin potius Symmachi ac Boëtii liberis paterna bona restituit, dudum' (ait Aretinus lib. I. de bello Ital. contr. Got.) 'a Theodorico publicata, afferens eos falsis delationibus et temere a rege creditis fuisse damnatos.' *Bernart.*

Cypriani] Cyprianns et Opilio fratres fuere. Non ille Opilio qui a. DXXIV. consulatum cum Justino iugessit. quem virum sublimem et magnificum Eunnodius Ep. III. l. v. quem

et Onuphr. Panvinius, perperam puto, Aëtii magni illius ducis filium vocat; fortasse melius, ex Gaudentio Aëtii filio, cujus meminit in Chronico Idatius, nepotem dixisset: Aëtius enim occisus est a. CDLIV. Opilio vero iste anno DXXXIV. cum Liberio patricio Theodahadi de pace ad Justinianum legatus Constantinopolim missus est, ut scribit Procopius lib. I. Hist. Gothicæ, cum supra annum octogesimum constitutus, minus legationi isti aptus fuisse censeatur. Non is inquam; sed, ut doctissimi Sirmondi ad Epist. III. lib. v. Ennodii verbis utar, 'diversus ab hoc consulari hic eadem ætate Opilio Boëtii delator, quem perstringit l. I. de Consolatione. Is nimirum quem Athalaricus postea, ut est apud Cassiodorum lib. VIII. Epist. XVI. Comitem sacrarum largitionum fecit indict. VI. hoc est a. DXXVIII. triennio postquam a Theodorico ead. Comitiva ornatus fuerat Cyprianus ejus frater, delator et ipse, ut scribit Boëtius, Albinus consularis. Quin et horum quoque fratrum pater Opilio alius, qui Comes item sacrarum largitionum fuerat sub Odoacre lib. Var. v. Epist. XL.' *Vallin.*

Cypriani] Fallor? an fuit ille ipse, cui Referendarii officium laboriosis primum conditionibus obeunti, propter eloquentiam aliarumque rerum peritiam Theodoricus Rex contulit dignitatem Sacrarum Largitionum: Athalaricus vero, hujus successor, dignitatem Patriciatus? Vide Cassiodorum libro quinto Variar. Epist. 40. et 141. libro octavo Epist. 21. *Sitzm.*

Quibus autem deferentibus percussi] Ita rectissime veteres: excusi perverse, *percussi.* Tacitus Ann. XIV. 'Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere.' *Bernart.*

Quorum Basilius, olim regio ministerio depulsus] Propter magiæ crimen. Theodoricus rex apud Cass. Var. IV. Ep. XXII. ad Argol. Præf. Urb.

‘Magnitudinis itaque tuæ relatione comperimus, Basilium atque Prætextatum artis sinistrae jamdiu contagione pollutos:’ apertius Epist. xxiii. ‘Basilium et Prætextatum magicis artibus involutos.’ Hoc ita pronuntio, ut legis Valeriæ beneficium non tollam. *Bernart.*

Basilius] Mentionem Basilii facit Cassiodor. Var. II. Epist. 11. lib. IV. Epist. 22. 23. et 40. an vero idem ille fuerit, de quo noster loquitur, valde dubito. Quin et Cassiodorus de duobus hoc vocabulo nuncupatis, loqui videtur. *Sitzm.*

Opilionem vero, atque Gaudentium] Et hic hæsito. Apud Cassiodorum duos reperio Opiliones, patrem et filium. De illo Variarum libro quinto Epistol. 42. De hoc libro octavo Epist. 16. et 17. certum est utrinque eos commendari. Quis Gaudentius fuerit, qualeve officium, aut qualem vicem in aula Theodorici sustinuerit, non habeo compertum. *Idem.*

Opilionem vero, atque Gaudentium] Romani fuere non Gothi, optimi viri nequissimi accusatores. Joh. Magnus Gothus, Archiepiscopus Uspalensis in Historia Gothor. lib. IX. cap. 32. de Theodorico: ‘Fuisset nimirum longe felicior ejus exitus, si suorum Gothorum consilia ita in extremo anno attendisset, quemadmodum semper antea audiverat; et illorum seditiosorum Romanorum, Gaudentii et Opilionis, delationes suspectas et perniciosas a se longius removisset.’ *Bernart.*

*Sacrarum sese ædium defensione tue-
rentur*] De perfugio illo ad templa, statuas, aras vide J. Lipsium in Commentar. ad librum tertium Annual. Taciti, Joh. Mariam Catanæum ad C. Plin. Secundi Epist. 78. libri decimi. Meminit etiam rescriptum Imp. D. Antonini, cujus verba sunt inserta t. 8. Inst. l. 1. *Sitzm.*

Compertumque id regi foret] Theodorico regi Italiæ. Is Theodemeris

Ostrogothorum regis ex concubina Erelieva filius, puer Constantinopoli in aula Zenonis imp. obses educatus, anno cdxxciv. Consul ordinarius, statua equestri ibidem donatus fuit. Deinde Zenone non repugnante Italiam ab Erulis vindicaturus petiit, eorumque regem Odoacrem vicit et mox interfecit. Rex Italiæ anno cdxix. factus, Clodovæi Francorum regis sororem Audefredam uxorem duxit. Ipse duas ex concubina filias, unam, Alarico Visigothorum, alteram Sigismundo Burgundionum regibus nuptiis copulavit: quemadmodum et filiam suam Amalasuendam Eutharico ex Amalorum eadem stirpe nato: et mox Amalafredam germanam suam, matrem Theodahadi, Trasamundo in Africa Vandalorum regi; filiamque ejus neptem suam Amalabergam Thuringiorum in Germania regi Hermenfredo collocat. Ita rex prudentissimus vicinos omnes reges sibi affinitate propinquos facit. Occiso Alarico, Amalaricum ejus filium in regni, ab Clodovæo occupati, partem restituit; dum, comparato ingenti exercitu, per Hibbam ducem obsessis apud Arelaten et Carcassonam Visigothis subvenit, non triginta millibus Francorum in prælio cæsis, ut falso scripsit Jornandes, sed multis utrinque desideratis, dum eæ obsidiones tandem solvuntur. Omnia denique prospere illi feliciterque cesserant, sed imperante præsertim Anastasio, quem, utpote Arianum, oderat universa Italia. Sed ubi Catholicus Justinus Orienti affulsit, tum desiderari colique ab Italis cœpit: Theodericus vero Arianus quoque timeri, amari non item. Inde per suspicionem conjurationum tot patratae ab illo cædes, quarum pœnitentiam mors tandem ejus anno dxxvi. secuta est. *Vallin.*

Ut nisi infra præscriptum diem] Ms. Rittersh. *ut nisi intra p. d.* Proclivis prolapsio fuit a *t.* ad *f.* eadem opera

corrigen- dus ex Ms. nostro Cassiodorus libro primo Variar. Epist. 2. ‘ Si te salutis propriæ tangit affectus, intra illum diem imminente tibi harum portitore, cum blatta, quam nostro cubiculo dare annis singulis consue- sti, venire festina.’ *Sitzm.*

Ravenna urbe] In qua regni sui sedem post Odoacrem Theodericus constituerat; quamque successores quoque ejus reges Gothi inhabitaverunt. *Vallin.*

Ravenna urbe decederent] Sede imperii Gotthici. Aretin. lib. I. de bello Italico: ‘ Ceterum civitates per seipsas, ac per cives suos gubernari permisit. Ipse vero’ (Theodericus videlicet) ‘ sedem regni Ravennæ constituit, ibique inhabitavit.’ *Bernart.*

Notas insigniti frontibus] Notas illas Threicias vocat Cicero lib. II. Officiorum, ex more Thracibus solito. Genus illud supplicii antiquum, servorum primum, hinc Juvenalis Sat. XIV. ‘ Tum felix, quoties aliquis tortore vocato Uritur ardenti propter duo lintea ferro.’ Ejus post Plautum meminit Cicero loco citato, Martialis lib. II. Epig. XXIX. Deinde et quorumlibet reorum infamium villumque, ut hic et apud Guill. Neubrigensem Hist. Angl. lib. II. c. XIII. ubi hæretici Publicani tanquam infames clave candenti notantur in fronte, eorumque præterea magister et in mento. His stigmatibus seu cauterio inustos vocat Cicero ‘ stigmatias.’ Et quia quasdam veluti litteras referebant ejusmodi notæ, ‘ inscriptiones frontis’ vocat Seneca. *Vallin.*

Notas insigniti frontibus pellerentur] Cujacius Observationum libro septimo, cap. 13. de Fugitivorum notis et suppliciis: ‘ Solebant et ita plerique reorum frontibus notari, veluti lege Remnia calumniatores, quod tollitur l. si quis C. de Pœnis. Boëtius de Consolatione Philosoph. ‘ Edixit ut notas insigniti frontibus pelleren-

tur.’ Seneca de Ira: ‘ Varia vinculo- rum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, et bestiarum immanium cavernæ.’ Hæc ille. *Sitzm.*

Notas insigniti frontibus] ‘ Ελληνικῶς, pro ‘ notis insigniti.’ Papinius Theb. II. ‘ Di bene quod tales stirpemque animosque venitis.’ accusandi casu pro auferendi, ‘ stirpeque animoque.’ *Bernart.*

Eodem die] Quo anno, nedum die, id acciderit, non facile quisquam conjectura assequatur. Filiis tamen consulibus, hoc est, anno DXXII. factum voluit, quisquis quædam de vita ejus præfatus est in vet. cod. Consol. Philosophiæ S. Victoris, ‘ Duo filii ejus,’ inquit, ‘ in Consulatu permanserunt sub regia potestate.’ Cui consentit quod et de ea re scribit Ricobaldus. *Vallin.*

Præmissa damnatio] Significat Boëtius et quodammodo innuit non solum accusatores in se ad senatum Romanum regem misisse, sed clam dedisse quoque operam, forte et ut condemnaretur mandasse. *Idem.*

At cujus criminis arguimur? summam quæris? Senatum dicimur salvum esse voluisse] Causam injustæ pro- scriptionis hic aperit: quod videlicet innocentem Senatum majestatis crimine postulatum defenderit ac liberaverit: quod calumniose per adversarios factum, ut suo nomine litteræ vulgarentur, quibus significabantur ejus conatus de restituenda in statum pristinum collapsa jacente Romana Republica. Hæc exilii causæ: at quæ mortis? Dicam. Ticini in carcere detentus, non præclarissimos solum libellos De Consolatione Philosophiæ scripsit, sed adversus Arrianos quoque (quorum labe et plerique Gothorum, et ipse Theodericus rex infectus) clarissimum Commentarium, cujus titulus: ‘ Quomodo Trinitas sit unus Deus:’ qua illustri confessione hæreticus rex magis ex-

acerbatus, Boëtius vero noster martyrii palmam est consecutus. Auctores mihi affirmandi fidi testes. Joh. Magnus Gothus Archiep. Uspal. in Historia Gothorum et Sueonum lib. ix. cap. 32. de Theodorico: 'Nec dissimili furore desævit in nonnullos Romani Senatus principes: in quorum numero, Boëtium et Symmachum, jampridem apud Papiam relegatos, interfici jussit. Boëtium quidem, quasi librum illum nobilissimum, quem de Trinitate adversus Arrianos conscripsit, in ejus contumeliam composuisset.' Hæc Magnus. Julius Martianus vero, qui Boëtii vitam erudite conscripsit, illustre narrat miraculum. 'Ticini incolæ,' inquit, 'semper a majoribus traditum constanter asseverant, Severinum cum regius spiculator letale vulnus intulisset, utraque manu divulgatum caput sustinuisse, interrogatumque a quonam se percussum existimaret? ab impiis, respondisse: atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paululum exspirasse. Extinctus divinos honores, illos videlicet qui sanctis martyribus exhiberi solent, a nostris consecutus est, quod pro Catholicis contra perfidiam Arrii mortem sustinuerit.' Accidere hæc anno Christi quingentesimo vigesimo sexto, Joannis Papæ anno III. Justini Imp. ix. Theod. ult. Adi Illustrissimum Baronium Annal. tom. VII. ubi inter alia, honorifico sed merito elogio Boëtium celebrans, scribit: 'Qui enim literarum peritia Dionysio magno illi Arcopagitæ Atheniensi jure fuit absque invidia comparandus, Boëtius et illud a Deo accepit, ut et genere mortis insuper et insigni operatione miraculi eidem fuerit exæquandus; id operante Dei summi potentia, dives in omnibus qui invocant eum.' *Bernart.*

Sed sibi semper mentiens impruden-

tia rerum, merita non potest immutare] Hunc locum ita ex editione Florentina distingue: *sed sibi semper mentiens imprudentia, rerum merita non potest immutare.* Ita infra hac eadem Pros. noster: 'Existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum.' *Sitzm.*

Socratico decreto] Illud est et pulcherrimum apud Platonem lib. VI. de Rep. Quo requirit in philosophis Socrates sancitque τὴν ἀψεύδειαν, καὶ τὸ ἐκόντας εἶναι μηδαμῆ προσδέχεσθαι τὸ ψεῦδος, ἀλλὰ μισεῖν, τὴν δ' ἀλήθειαν στέργειν, 'ut mendacii omnis natura expertes sint, neque sponte mentiantur umquam, sed omnem oderint falsitatem, diligant veritatem: quod nihil, ut inquit paulo post, οἰκειότερον σοφία ἀληθείας, 'Sapientiæ affinius, quam Veritas,' inveniatur. Aristoteles I. II. Metaphys. Philosophiam vocat, ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας, 'veritatis scientiam.' P. Nigidius apud Agellium lib. XI. cap. 11. 'Vir bonus,' inquit, 'præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.' *Vallin.*

Unde haud injuria tuorum quidam familiarium] Epicureum illud dogma diserte refutat Salvia. lib. 1. de Gub. Dei, aliisque; et Arnob. lib. 1. Adver. Gentes; Lactantius passim. *Sitzm.*

Majestatis crimen] Arnob. lib. 4. 'Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris secus obmurmuraverint aliquid Regibus.' *Idem.*

Recipit famæ pretium] Nimirum præceptum est Stoicum: 'Ne te quæsiveris extra.' Ideoque, ait Macrobius cap. x. lib. II. in somnium Scipionis, 'Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria.' Et Plinius Epist. VIII. lib. I. 'Si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis? Nam cum ipsi honestati, tum ali-

quanto magis gloriæ ejus prædicationique invidemus; atque ea demum recte facta minus detorquemus et carpimus, quæ in obscuritate et silentio reponuntur.' *Vallinus*.

Inflammare sacras ædes] Petron. Arbiter: 'Non sanguine tristi Perfusus venio; non templis impius hostis Admovi dextram.' Hoc ipsum facinus exprobrat Persis Alexan. Magnus apud Q. Curt. lib. III. 'Cum adierat Græcos, admonebat, ab iis gentibus illata Græciæ bella Darii prius, deinde Xerxis insolentia, a quam ipsam terramque postulantium, ut neque fontium hanstum, nec solitos cibos relinquerent. Dein Deum templa ruinis et ignibus esse deleta, urbes eorum expugnatas, fœdera humani divinique juris violata referebat.' *Sitzm.*

Proscriptioni damnatur] Magis ergo oratorie quam vere Ennodius in Panegyrico Regi Theoderico dicto ait: 'Nusquam in aula tua ambitio; et opum ubique confusio est. Nemo indonatus abscedit; et nullus incommoda proscriptionis ingemiscit.' *Idem.*

Dignitatem . . . fuscarent] Familiaris loquutio Symmacho aliisque. Vide Juret. ad Epist. 53. lib. IX. *Idem.*

Ἐπὸν θεῶ] Jamblichus enim [vitæ Pythagoræ l. II. Symb. VII.] eorum, quæ ad Sapientiam conferunt, primum Pythagoræ Symbolum ejusmodi fuisse refert, Γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κρᾶται θεοῖς ἐπόμενος. 'Linguae ante omnia contineto Deos sequens.' Quod ita exponit, Πρῶτον γὰρ ἔστι Σοφίας ἔργον, τὸ τὸν λόγον ἐπιστρέφειν εἰς ἑαυτὸν, καὶ ἐθίζειν μὴ ἔξω προΐεναι τελειοῦσθαι τε καθ' ἑαυτὸν, καὶ ἐν τῇ πρὸς ἑαυτὸν ἐπιστροφῇ. καὶ μετὰ τοῦτο ἐν τῷ τοῖς θεοῖς ἔπεισθαι. οὐδὲν γὰρ ἄλλο οὕτω τελειοῖ τὸν νοῦν, ἢ ὅταν ἐπιστρεφόμενος εἰς ἑαυτὸν τοῖς θεοῖς συνακολουθῇ, 'Primum enim Sapientiæ opus est sermonem [seu animi discursum] in seipsum convertere, et ita assuefacere ut foras non progredi-

diatur perfectusque reddatur in seipso, et in conversione ac consideratione ad seipsum: deinde in eo consistit, ut Deos sequaris. Nihil enim aliud mentem sic perficit, quam si in se conversus Deos quoque sequitur.' Idemque habet Hierocles commentarii in carm. aurea Pythagoræorum capitulo II. eademque ratione explicat. Sed et latini de ea re disserit idem Jamblichus ejusd. vitæ lib. I. c. XIX. et XXIX. gratiamque habiturus est indici quisquis legerit. Et Hippodamus Thurius Pythagoræus apud Stobæum serm. CI. Qui omnes Pythagoricum effatum esse cum Boëtio existimaverunt. Alii vero ut Cicero, Plutarchus, Clem. Alexandr. Str. II. et D. Ambrosius unum e veteribus VII. sapientum præceptis agnoscunt. Quicquid sit, illud ab antiquis acceptum Plato egregie celebravit. Siquidem in libris de Rep. omne hominis bonum in primi summique boni scientia positum, hocque in omnibus sequendum cæterisque relictis huic uni adhærendum præscribit: docetque Alcinous εἰσαγωγῆς c. XX. ex verbis ejus in Phædro et IV. de Rep. hominis bonum et finem esse hoc ipsum, Θεῶ ἐπεισθαι. Idemque penitus scribit Apuleius lib. de ejusd. Morali philosophia, interpretaturque ita, nimirum ut Sapiens 'æmulatione vitæ ad Deorum actus accedat.' Philo quoque lib. περὶ ἀποικίας. De qua re videndus et Proclus Institutionum theologic. cap. 203. et sequentibus. Alim vero Stoici hujus præcepti usum peculiarem fecerunt, quo se, adversus omnia quæ humanis accidunt adversa, solarentur. Aiunt enim sequi Deum esse τὴν αὐτοῦ γνώμην ὑποτάσσειν τῷ διοικῶντι τὰ ὅλα, καθάπερ οἱ ἀγαθοὶ πολίται τῷ νόμῳ τῆς πόλεως, 'mentem suam submittere gubernanti omnia' Menti, 'sicut boni cives Legi civitatis.' Cleanthes apud Epictetum, Ἄγε δὴ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,

Ὅποι ποτὲ ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος, ὧς ἔψομαι γ' ἄοκνος. Hoc est, 'Me Jupiter duc et fati necessitas, Quocunque vestro destinatus numine Sum. nam volens sequar.' Ipse Epictetus non semel, ut apud Lipsium videre est: sed et celebri illo loco Dissert. ultimæ lib. III. Προσκατατάξαχά μου τὴν ὀρμὴν τῷ θεῷ. θέλει μ' ἐκεῖνος πυρέσσειν; καὶ γὰρ θέλω. θέλει ὀρμᾶν ἐπὶ τι; καὶ γὰρ θέλω. θέλει ὀρέγεσθαι; καὶ γὰρ θέλω. θέλει με τυχεῖν τινός; καὶ γὰρ βούλομαι. οὐ θέλει; οὐ βούλομαι. ἀποθανεῖν θέλει; ἀπόθανεῖν οὖν θέλω. i. 'Appetitum meum obedientem præbui Deo. Vult ille me febricitare? Volo et ipse.' Vultne me ad 'aliquid agendum impellere? Et ego volo. Vult me aliquid appetere? volo et ipse. Vult me aliqua re potiri? Volo et ipse. non vult? nolo. Mori me vult? Mori igitur volo.' Seneca quoque lib. de beata vita, 'Omnem temporum difficultatem sciet' Sapiens 'legem esse naturæ. Et, ut bonus miles, feret vulnera, enumerabit cicatrices, et transverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem. habebit in animo illud vetus præceptum, Deum sequere.' Et Epistola xc. sapiens Democritus 'non nosse tantum, sed sequi docuit Deos, et accidentia non aliter excipere, quam imperata.' Et xcvi. 'Non pareo Deo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor.' Cujus præcepti non veteres illi modo, sed et nostri meminerunt. D. enim Augustinus lib. de Virginitate ait, 'sequi Deum' esse 'imitari' Deum. 'Qui Deum sequitur,' inquit D. Ambrosius l. 1. de Abraham, 'tutus semper est.' In eoque 'perfectionem' D. Hieronym. in Math. 19. collocat. Vallin.

Consimilem Deo faceres] Et hoc Pythagoricum esse ex ejusdem Jamblichi vitæ Pythagoræ lib. II. patet, Φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὄσιον μετὰ φρονή-

σεως γενέσθαι. Θεὸς οὐδαμῆ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ', ὡς οἶόν τε, δικαιοτάτος. καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὐτῷ γένηται ὅτι δικαιοτάτος. i. 'Fuga autem' e mundo 'in eo sita est, ut, quantum possibile est, Deo similes fiamus.' Et: 'Deus' enim 'nullo omnino pacto injustus, sed, ut sic dicam, quam justissimus: nec quicquam ei similis, quam ut nostrum quisque sit justissimus.' Voluitque Pythagoras, ut refert vitæ ejus auctor anonymus apud Photium, homines eam similitudinem consequi, assidue τῇ ὁμιλίᾳ τῇ πρὸς τοὺς θεοὺς, 'cum Diis colloquendo.' ἀνάγκη γὰρ προσιόντα αὐτοῖς, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ χωρίζεσθαι αὐτὸν πάσης κακίας, εἰς δύναμιν ὁμοιοῦντα ἑαυτὸν τῷ θεῷ. 'Accedentem enim ad eos tunc potissimum ab omni se maleficio abstinere necesse est, et quoad fieri potest, Deo assimilari,' inquebat. Quo ex fonte, ut et alia multa hausit Plato, illud protulit quoque in Theæteto, Φυγὴ δὲ, ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Ὅμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὄσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Et: Θεὸς οὐδαμῆ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἶόν τε δικαιοτάτος. καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὐτῷ γένηται ὅτι δικαιοτάτος. περὶ τούτου ἢ ὡς ἀληθῶς δεινότης ἀνδρός. i. 'Fuga autem' e mundo 'in eo sita est, ut, quam proxime fieri poterit, Deo similes fiamus.' Et mox, 'Deus nullo omnino pacto injustus est, sed quantum fieri potest justissimus: nec quicquam ei similis, quam cum ex nobis' hominibus 'aliquis quam justissimus est. In hoc nimirum vera hominis præstantia versatur.' Ubi notandum est Platonem censere cum Pythagoræis Justitiam et Sanctitatem cum Prudentia seu Sapientia homines Deo assimilare κατὰ τὸ δυνατόν scilicet; ut et de Rep. libro ultimo: sic ut et refert Alcinoüs cap. xx. Quod 'cum Deo colloqui' dixit Pythagoras; 'contemplari divinam effigiem' scripsit Apuleius lib. de Deo Socratis:

quam virtutem, si cuiquam mortali-
 lium contigerit, in Socrate fuisse ait,
 ‘Quod si cuivis potest evenire facultas
 contemplandi divinam effigiem, cur non
 apprime potuerit Socrati obtingere,
 quem cuivis amplissimo numini Sapien-
 tiæ dignitas cœquarat? Nihil enim est
 Deo similis et gratius, quam vir animo
 perfecte bonus: qui tam hominibus cæteris
 antecellit, quam ipse a Diis immortalibus
 distat.’ Idemque Socrates Platonis
 præceptor, eadem cum discipulo senti-
 tiens, solam justitiam sen probitatem,
μόνον δίκαιον, felicitatem esse dicebat:
 ut refert Theodoretus Gr. aff. cur. serm. xi.
 Plato enim hanc *δμοίωσιν τῷ θεῷ*, ‘cum
 Deo similitudinem,’ finem totius Philo-
 sophiæ seu Sapien-
 tiæ constituit, ut ex loco superius allato
 aliisque constat; ex quibus idem colligunt
 Alcinous eod. c. xx. Apuleius lib. de Morali
 ejusd. Philosophia, et Diogenes Laërtius in
 ejus vita, Theodoretus loco citato, Pachy-
 meres compendii log. cap. ii. Quid vero sit
 assimilari Deo, aut qua ratione quis eam
 similitudinem possit assequi, exponit post
 Platonem late Plotinus Ennead. i. lib. ii. initio.
 Ammonius Præfatione illa pulcherrima in
 Porphyrii v. voces: ubi recte etiam cur
 Platoni sit illa *δμοίωσις*, *κατὰ τὸ δυνατόν*
 duntaxat, recenset. Hierocles optime Com-
 mentario aureo in eum Pythagoreorum ver-
 sum *Πρῆσσε δὲ μηδὲν τῶν μὴ ἐπίστασαι. ἀλλὰ
 διδάσκει Ὅσσα χρεῶν*. Nimirum edit.
 Parisien. pag. 174. et pag. 257. Egre-
 gie Alcinous loco cit. Lactantius etiam de
 Falsa Relig. lib. i. c. ix. De Vero Cultu l. vi.
 cap. 13. et 23. et de Ira Dei cap. 19. Sim-
 plicius in Epicteti Enchirid. cap. 32. Quibus
 in locis sanctissima maximeque Chris-
 tiano homine digna præcepta continentur:
 unde germanum celebris hujus dicti sensum
 explanationemque petas licet: tantum enim
 hic fungimur vice cotis. Hinc quoque varii

auctores illud imitati sunt: Plinius initio
 Panegyri. ‘Quid enim præstabilis, aut
 pulchrius munere Deorum, quam castus et
 sanctus et Diis similis princeps?’ Idem
 Musonius de re eadem apud Stobæum serm.
 xlvi. Aristoteles enim Politic. lib. iii. c.
 ix. hominem virtute præstantem *θεὸν ἐν
 ἀνθρώποις εἶναι*, ‘esse’ tanquam ‘Deum
 inter homines’ existimat. Hinc et illa
 Homeri ac Virgilio de eximiis heroicaque
 majestatis viris, *Θεῷ τὸ εἶδος ὁμοίος*. ‘Os
 humerosque Deo similis.’ Porro non solum
 Plato hominis finem voluit esse *τὸ ὁμοιω-
 θῆναι τῷ θεῷ*, ‘assimilari Deo,’ sed
ἔπεσθαι ‘sequi’ quoque ‘Deum:’ de quo
 supra. Ut in Phædro, *Ἡ μὲν ἀριστα
 θεῶν ἐπομένη καὶ εἰκασμένη ὑπερῆρεν
 εἰς τὸν ἕξω τόπον τῆν τοῦ ἡνιόχου
 κεφαλῆν*. Animus ‘ille qui Deos optime
 secutus est et ad eorum similitudinem
 conformatus, in supercœlestem locum aurigæ
 extulit caput.’ Idemque omnino sed clarius
 ait lib. iv. de Legibus. Unde utrumque
 confundit Alcinous, cum tamen videatur
 Plato in his duobus locis velle primum nos
 ‘sequi Deum;’ hoc est, virtutum exercitio
 probos, pios, justos et sapientes fieri: ‘
 assimilari’ vero, mente per virtutes
 illustrata Deum contemplari, sen, ut
 Pythagoras volebat, cum eo colloqui,
 illique adhærere. Quo et sensu accipere
 videtur Lactantius Firmianus lib. de Ira
 Dei cap. 19. ‘Qui autem Deum secuti,
 eique parentes, corporis desideria contemp-
 serint, et virtutem præferentes voluptatibus,
 innocentiam justitiamque servaverint,
 hos Deus ut sui similes recognoscit.’
 Stoicorum autem de ea re sententias hic
 non attingimus: nemo enim est qui
 blasphemias eorum voces non horreat et
 excretur. Quis enim illud ferat Senecæ
 Epist. lxxxiii. ? ‘Tantum sapientia sua’
 (sapienti) ‘quantum Deo omnis ætas patet.’
 Est aliquid quo Sapiens antecedit
 Deum. Ille naturæ beneficio non

suo sapiens est.' Item LIX. 'Sapiens ille est, qui plenus gaudio, hilaris et placidus, inconcussus, cum Diis ex pari vivit.' Καὶ τὴν εὐδαιμονίαν μὴ διαφέρειν τῆς θείας εὐδαιμονίας, καὶ τὴν ἀμεριμνίαν, ὃ Χρῦσιππὸς φησι. 'Atque hanc,' hominis nempe, 'felicitatem et securitatem nihil a divina differre, Chrysippus ait;' apud Stob. Eclog. Ethic. lib. II. Pudet errorum, tædetque verborum adeo, ut mens et impetus sit probatam superius tot magnis viris similitudinem, jam omnem cum Theodoreto tollere. Plato inquit, loco citato, τὸ ὁμοιωθῆναι τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, τέλος ὠρίσατο τῶν ἀγαθῶν· ἀξίειπαινος μὲν οὖν καὶ ἡ περὶ τὴν μίμησιν τῶν θεῶν παραίνεσις. ἡ δὲ κατὰ τὸ δυνατόν προσθήκη, ἀξιαγαστότερον τὸν ὄρον ἀπέφηνεν. οὐ γὰρ κατὰ πάντα δυνατόν ὁμοιωθῆναι θεῷ. πῶς γὰρ ἂν τις, ὄρατος ὢν, ὁμοιωθεῖν τῷ ἀοράτῳ; καὶ βραχὺς ὢν καὶ τόπῳ σμικρῷ περιγεγραμμένος, τῷ ἀπεριγράφῳ καὶ τὴν κτίσιν συνέχοντι; τοιγάρ τοι οὔτε τὴν φύσιν ἐκείνην, οὔτε τὴν δύναμιν, οὔτε μὴν τὴν σοφίαν μιμήσασθαι δυνατόν. i. 'Bonorum Finem statuit, ut, quantum fieri potest, Deo perquam similes evadamus. Laudabilis sane adhortatio, quæ nos ad divinorum imitationem invitat. Illa tamen verborum additio, ut id faciamus quantum fieri potest, admirabile id magis homini quam præstabile esse ostendit: neque enim fieri potest, ut in omnibus Deo similes evadamus. Quo enim pacto visibilis homo, invisibilem imitetur? quo modo qui brevis est, ac exiguo loco concluditur, illi queat esse persimilis, qui extra omnem terminum constitutus, ipse continet universa? Nulli est ergo natura illa, nulli potentia, nulli sapientia imitabilis.' Censueratque idem jam olim apud Philonem Philolaus Pythagor. κοσμοίτας libro, Ἔστι γὰρ, φησιν, ἡγεμῶν καὶ ἀρχῶν ἀπάντων θεός, εἷς ἀεὶ ὢν, μόνιμος, ἀκίνητος, αὐτὸς αὐτῷ ὅμοιος, ἕτερος τῶν ἄλλων. i. 'Est, inquit,

auctor et princeps rerum omnium Deus, semper unus, stabilis, immobilis, ipse sui similis, aliorum dissimilis.' Aut si quæ statuenda est, eam amplecti decet, quæ est Clementis Alex. Str. II. circa finem. Lact. Firmiani locis cit. et præsertim Sixti philosophi ex mente summi illius, qui instar omnium est, Augustini lib. de Natura et Gratia; 'Quis item Christianus ignorat, quod beatissimum Sixtum Romanæ Ecclesiæ episcopum et domini martyrem dixisse commemorat, 'Quia libertatem arbitrii sui permisit hominibus Deus, ut pure et sine peccato viventes, similes fiant Deo?' Sed ad ipsum arbitrium pertinet, vocantem audire et credere; et ab eo, in quem credit, non peccandi adiutorium postulare. Nam utique cum dicit, 'similes fiant Deo,' per Charitatem Dei futuri sunt similes Deo, 'quæ diffusa est in cordibus nostris,' non naturæ possibilitate, nec libero arbitrio, quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.' Sixtum pontificem pro Sixto philosopho Pythagoræo hic se perperam usurpasse agnoscit ipse August. retractation. libro. *Idem.*

Penetral innocens domus] 'Penetral animi,' apud Symmach. lib. II. Epist. 34. ad quam vide Miscellan. Fr. Jureti. *Sitzm.*

Socer Symmachus sanctus] Laudat socerum Boëtius, et jure: amabat eundem, sed iudicio non officit amor, qui ex iudicio natus: ambigis? testes oculatos dabo: quorum unus pluris quam auriti decem. Priscianus Cæsariensis, qui his ipsis temporibus vixit, docens Constantinopoli, libro de ponderibus et mensuris: 'Omni te Synmache,' inquit, 'nobilitatis splendore celebratum, ac omni naturæ munere præstantem, omni virtutis luce fulgentem, studiis etiam optimarum artium disciplinarumque florentem, justissimeque prosperæ fortunæ meritis vitæ probantem, fama

quidem antea nobis absentem venerabilem faciebat: nunc autem præsentem veritas supergressa laudes prædicationis ostendit. Mediocritatis enim altissimæ, qua superbiam calcas tumores, et pietatis ponderibus gravissimis superas omnia,' &c. Ennodius vero, dum Urbis cives clarissimos, quos imitandos proponit, recenset: 'Festus et Symmachus,' inquit, 'omnium disciplinarum materia et constantes forma sapientiæ, de Urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis curiæ principatus: quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix cognoscenda commemoratio. Isti anam popularem per pudoris detrimenta non cupiunt, contenti rectis magis placere, quam plurimis. Sortiuntur de innocenti actione testimonium.' *Bernart.*

Symmachus sanctus] Vide Elogia Symmachorum, quæ Fr. Juretus suis præfixit *Miscell.* Item Cassiodorum, lib. iv. Var. Epist. 6. 22. et 51. *Sitzm.*

Et æque actu ipso reverendus] Mire heic variant exemplaria. Si liceat ita legerem et distinguerem: *Et æque, actu ipsa, reverendus.* Infra lib. 2. Pros. 4. 'Viget incolumis illud pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer, et quod vitæ pretio non segnis emeris, vir totus ex sapientia, virtutibusque factus, suarum securus, tuis ingemiscit injuriis.' *Idem.*

Quo fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices] Arnob. l. iv. Adv. Gentes: 'Illud acerbissime vulnerat, quod inurit innocios, et quod decus nominis atque existimationem infamat.' *Sitzm.*

Aliquod crimen affigitur] Ms. *Ritersh.* *affligitur*, male. Malim, si quid mutandum sit, legere *affingitur*. Aurelius Victor, de Messalina Claudii conjuge: 'Nobiliores quasque nuptas, et virgines, scortorum modo secum prostituerat: coactique mares uti adessent. Quod si quis talia hor-

ruerat; afficto crimine, in ipsum omnemque familiam sæviebatur.' *Idem.*

METR. 5. O stelliferi] Cum toto hoc Carmine confer Apuleii librum de Mundo, &c.

O stelliferi conditor orbis] Senec. in Hippol. vs. 957. et seq. 'Signiferi rector Olympi, Qui sparsa cito sidera mundo Cursusque vagos rapis astrorum, Celerique polos cardine versas.' *Sitzm.*

Legemque pati sidera cogis] Manil. lib. i. Astron. 'Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole, Quam ratio, et certis quod legibus omnia parent.' *Idem.*

Ut nunc pleno] Senec. in Med. vs. 788. et seq. 'Video Triviæ currus agiles, Non quos pleno lucida vultu Pernox agitat.' In Hippolyto vs. 416. 'Sic te lucidi vultus ferant, Et nube rupta cornibus puris eas.' *Idem.*

Totis fratris et obvia flammis] Senec. in Thyest. vs. 836. 'Non Phœbeis obvia flammis Demet nocti Luna timores, Vincetque sui fratris habenas, Curvo brevis limite currens.' *Idem.*

Condat stellas Luna minores] Manifesta imitatio Horatii: 'Micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores.' Sic et Senec. in Hipp. vs. 740. 'Cum suos ignes coëunte cornu Junxit, et curru properante pernox Exerit vultus rubicunda Phœbe, Nec tenent stellæ faciem minores.' *Idem.*

Et qui primæ tempore] Senec. in Hipp. vs. 746. 'Qualis est primas referens tenebras Nuntius noctis, modo lotus undis Hesperus, pulsus iterum tenebris Lucifer idem.' Manilius lib. i. Astron. 'Nec matutinis fulgeret Lucifer horis, Hesperus immerso dederat qui lumen Olympo.' Senec. in Ludo de Morte Claudii: 'Qualis discutiens fugientia Lucifer astra, Aut qualis surgit re-

deuntibus Hesperus astris.' Columella lib. 10. 'Ore cornusco Hesperus, Eoo remeat cum Lucifer ortu.' Martian. Capella, de Nupt. Philolog. 'Hesperus intactam servet licet usque puellam, Nuptam videbis Phosphore.' *Idem.*

Tu frondifluæ] Senec. in Hippolyt. vs. 963. 'Ut nunc canæ frigora brumæ Nudent sylvas.' *Idem.*

Stringis lucem breviora mora] Vide Senec. in Thyest. vs. 839. et ibi Mart. Ant. Del-rio. *Idem.*

Cum fervida venerit æstas] Senec. in Hipp. vs. 965. 'Æstivi Colla leonis Cererem magno Fervore coquant.' *Idem.*

Noctis dividis horas] Sen. in Med. vs. 5. 'Clarumque Titan dividens orbi diem.' Claudianus de Apono: 'Ille pater rerum, qui sæcula dividit astris, Inter prima poli te quoque sacra dedit.' Apuleius de Mundo: 'Quam pulcræ et fœcundæ horæ procreantur nunc æstivos vapores solventes, nunc pruinas hiemis circumferentes? Dierum etiam noctiumque curriculis ordiuntur menses, texunt annos, anni seriem conficiunt sæculorum.' Conferes utiliter Isidori Pelusiotæ Epist. 1. lib. 4. *Idem.*

Tua vis varium temperat annum] Senec. in Hipp. versu 968. 'Viresque suas Temperet annus.' *Idem.*

Revehat mitis Zephyrus frondes] Seneca in Hippolyt. vs. 12. 'Qui rorifera mulcens aura Zephyrus vernas evocat herbas.' *Idem.*

Quæque Arcturus] 'Arcturus' stella est post Ursæ caudam, alias 'Botes' et 'Arctophylax.' Vegetius lib. 4. de re militar. c. 30. 'Post Idus Septembris oritur Arcturus vehementissimum sidus.' *Idem.*

Omnia certo fine gubernans, Hominum solos respuis actus] Senec. in Hippolyt. vs. 968. 'Sed cur idem Qui tanta regis, sub quo vasti Pondera mundi librata suos Ducunt orbes, hominum nimium Securus ades, non

sollicitus Prodesse bonis, nocuisse malis?' *Idem.*

Nam cur tantas lubrica versat Fortuna vices] Sen. in Hippolyt. vs. 974. 'Res humanas ordine nullo Fortuna regit, spargitque manu Munera cæca, pejora fovens.' In Herc. Fur. vs. 524. 'O Fortuna viris invida fortibus, Quam non æqua bonis præmia dividis.' *Idem.*

Lubrica fortuna] Cæcilius apud Minut. Felicem, in Oct. 'Variis et lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur.' *Idem.*

Premittit insontes Debita sceleri noxia pœna] Senecæ similis est querela in Herc. Fur. vs. 251. 'Prosperum ac felix scelus Virtus vocatur, sontibus parent boni, Jus est in armis, opprimit leges timor.' Sic Minutius Felix: 'Non tantum æquatur nequitia melioribus, sed et colitur: ut in pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas.' Vide præterea Salvian. lib. 1. De Gub. Dei, in princip. *Idem.*

At perversi resident celso Mores solio] Senec. in Hippolyt. vs. 978. 'Vincit sanctos dira libido, Fraus sublimi regnat in aula, Tradere turpi fasces populus Gaudet.' Min. Felix: 'Nisi forte vos decipit, quod Deum nescientes divitiis affluent, honoribus floreat, polleant potestatibus. Miseri in hoc altius tolluntur, ut decendant altius. Hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur.' *Idem.*

Resident...solio] Prudent. in fin. Psychom. 'Hoc residet solio pollens Sapientia, et omne Consilium regni celsa disponit ab aula.' *Idem.*

Calcant] Seneca in Octav. vs. 446. 'Calcet jacentem vulgus.' In Herc. Æt. vs. 637. 'Colit hic Reges, calcet ut omnes, Perdatque aliquos, nullumque levet, Tantum ut noceat cupit esse potens.' Macrob. 1. Saturnal. cap. 11. 'At nos jugo a fortuna imposito subjacentem tanquam

miserum vilemque calcamus.' *Idem.*

Justusque tulit Crimen iniqui] Senec. in Hipp. vs. 981. 'Tristis virtus perversa tulit Præmia recti.' Lactant. lib. de Ira Dei, cap. 16. 'Ple-runque scelerati feliciores sunt, et boni miseres, et justis ab injustis impune vexantur.' Confer Senecam alterum de Providentia. *Idem.*

Miseras respice terras] Senec. in Œd. vs. 112. 'Viduas colonis Respicis terras miseranda Thebe.' Horat. lib. I. Carm. Od. II. 'Sive neglectum genus et nepotes Respicis auctor.' *Idem.*

PROSA 5. *Hæc ubi continuato dolore delatravi]* Mss. dilatravi. Ita Agell. lib. I. Noct. Atticar. cap. 2. 'Theorematis tantum nugilibus, et puerilium Isagogarum commentationibus dilatantes, objurgatione justa incessit.' *Idem.*

Non, uti Atheniensium] Male ob id frequenter audiunt Athenienses, quod non saltem depulsione civium benemeritorum lætati fuerint, sed etiam non raro eos mori cœgerint. Exempla sunt ubivis obvia: et de Ostracismo ipsorum etiam Aristoteles agit in Politicis. *Idem.*

Atheniensium] Areopagum Solon ex optimatibus primariisque Atheniensium viris, civium suffragio electis, constitui componique probavit: sed ne ii insolentius sese gererent aut tyrannidem usurparent, populo judicandi judiciumque aliorum judicia mutandi abrogandive jus potestatemque fecit. Quod cum aliquandiu feliciter successisset, tandem victis Darii Persarum regis ad Marathonem, Xerxis ad Salaminem et Plataeas copiis, Atheniensis populus iis victoriis elatus, ab Aristide, Ephialte, Pericle aliisque *δημαγωγῶν* suis permotus, non jam optimates nobilesque, sed quoslibet e multitudine judiciis præfecit: qui cum pecunia aliisque artibus facillime corrumpentur, mirum quæ exilia quasque

cædes optimis viris, quas urbi ipsi calamitates importarint. Id legere est apud Isocratem passim, et Plutarchum in istorum *δημαγωγῶν* vitis: referturque apud Aristotelem lib. Politic. II. Solon maxime populi potentiam auxisse, τὰ δικαστήρια ποιήσας ἐκ πάντων. ἐπεὶ γὰρ τοῦτ' ἴσχυεν, ὥσπερ τυράννω τῷ δήμῳ χαριζόμενοι, τὴν πολιτείαν εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν κατέστησαν. Id est, 'dum nullum non ad causas judicandas admittit. Posteaquam enim id invaluit, populo, tanquam tyrauno, gratificantes, rempublicam in eam, quæ nunc est, multitudinis potestatem perduxere.' Quod ita lib. IV. aversatur, ut eum Reip. statum tyrannidi comparet. Καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος δῆμος ἀνάλογον τῶν μοναρχιῶν τῇ τυραννίδι. διὸ καὶ τὸ ἦθος τὸ αὐτὸ, καὶ ἄμφω δεσποτικὰ τῶν βελτιόνων. καὶ τὰ ψηφίσματα, ὥσπερ ἐκεῖ τὰ ἐπιτάγματα· καὶ ὁ δημαγωγὸς, καὶ ὁ κόλαξ, οἱ αὐτοὶ καὶ ἀνάλογον. καὶ μάλιστα δ' ἐκότεροι παρ' ἐκατέροις ἰσχύουσιν. οἱ μὲν κόλακες, παρὰ τυράννοις· οἱ δὲ δημαγωγοί, παρὰ τοῖς δῆμοις τοῖς τοιοῦτοις. Αἴτιοι δὲ εἰσι τοῦ εἶναι τὰ ψηφίσματα κύρια, ἀλλὰ μὴ τοὺς νόμους οὗτοι, πάντα ἀνάγοντες εἰς τὸν δῆμον. Id est, 'Proportioneque respondet hujusmodi Populus, e numero principatuum, Tyrannidi: unde et mores iidem sunt: amboque hi status dominantur melioribus: et plebiscita sunt, ut et illic edicta: et qui multitudini blanditur, et tyranni assentator iidem sunt, et sibi respondent: atque uterque gratia plurimum valet; assentator quidem apud tyrannum, orator autem popularis apud hujusmodi populum. Causa vero hi sunt, cur plebiscita rata sint et non leges, cum de rebus omnibus ad populum referant.' Et demum concludit ejusmodi populi statum non esse Remp. Ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία. δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων. 'Neque enim respublica est, ubi leges non imperant: oportet enim legem, in

omnes res habere imperium.' Vallin.

Eἰς βασιλεύς] Verba illa ex Homero mutuatur, apud quem hunc in modum Ulysses Græcos adfatur: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἰς κοίρανος ἔστω, *Eἰς βασιλεύς*. Eadem jactavit C. Cæsar Caligula, monstrum humani generis sacrum et execrabile. Sueton. lib. iv. 'Cum audiret Reges, qui officii causa in urbem advenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamavit: *Eἰς κοίρανος ἔστω, Eἰς βασιλεύς*. Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret.' Alio autem accommodarunt Homericam tum Aristoteles in Metaphysicis, tum Justinus Martyr in de Monarchia Dei. Vide et Commentar. C. Rittershusii ad Oppian. ii. Cyngetic. vs. 46. *Sitzm.*

Tuæ civitatis] Hoc est, cœli: quod paulo ante 'patriam' vocaverat, ut et libro iv. 'Huc te si reducem referat via, Quam nunc requiris immemor; Hæc dices, memini, patria est mihi; Hinc ortus, hic sistam gradum.' Anaxagoras quoque publicorum rerum negligentior, cum interrogaretur, an nulla illi patriæ cura esset, *Εὐφήμει, (ἔφη) ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος· δείξας τὸν οὐρανὸν, 'Dii meliora, inquit! mihi enim patriæ cura et quidem summa est, digitum in cœlum intendens.'* Philo libro *περὶ γεωργίας*. 'Ὅτι παροικεῖν, οὐ κατοικεῖν ἠλθομεν. τῷ γὰρ ὄντι πᾶσα μὲν ψυχὴ σοφοῦ πατρίδα μὲν οὐρανὸν, γῆν δὲ ξένην ἔλαχε. 'Ut inquilini essemus, non habitatores perpetui, venimus, revera enim omnis sapientis anima cœlum habet patriam, in terra vero peregrinatur.' Unde idem hominem *οὐράνιον ζῶον* vocat, alibi vero *οὐράνιον φυτόν*. 'Civitatis' vero nomine, *τῶν μακαριτῶν*, cœlum ipsaque beatitudo apud Christianos fere designatur: ii enim sunt, non ut in terris, ubi peregrinamur a domino,

ξένοι καὶ πάροικοι, sed συμπολίται τῶν ἀγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ. D. Augustinus lib. de eadem Civitate Dei **xxii**. 'Ipse est enim, qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus visibilibus atque intelligibilibus rebus, in quo nihil melius instituit quam spiritus, quibus intelligentiam dedit, et suæ contemplationis habiles capacesque sui præstitit, atque una societate devinxit, quam sanctam et supernam dicimus Civitatem, in qua res, qua sustententur beatique sint, Deus ipse illis est, tanquam vita victusque communis.' Et paulo post, 'Qui fecit hominem, ipsum etiam rectum eum eodem libero arbitrio; terrenum quidem animal, sed cœlo dignum, si suo cohæreret auctori: miseria similiter si eum desereret secutura, qualis naturæ hujusmodi conveniret.' Quod postremum hoc videtur loco attigisse Boëtius. Non solum autem beatorum cœlum, 'Patria' et 'Civitas' dicitur, sed etiam 'Domus.' Paulus **ii**. ad Corinth. cap. 5. 'Scimus enim; quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam sed æternam in cœlis: nam et hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes.' Hinc vocantur Ephes. **ii**. ut supra notatum est, *οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ*, 'domestici Dei.' Cui convenit et illud quod ex Aristotele refert Cicero lib. **i**. de Divinat. locum quia contrahi non potest, integrum dabimus. 'Quid singulari vir ingenio Aristoteles et pæne divino? Ipsene errat, an vult alios errare cum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse: quæ erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur? In eo igitur oppido ita graviter ægrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum

in quiete egregia facie juvenem dicere, fore ut brevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convalesse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exente cum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, præliantem cum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.' Seneca Præfatione lib. i. Natural. Quæst. Cicero lib. i. de Legib. Vallin.

Bibliothecæ potius comptos ebore ac vitro parietes] Aliter Apul. in pr. lib. v. Metam. 'Summa laquearia citro et ebore curiose cavata subeunt aureæ columnæ: parietes omnes argenteo cælamine conteguntur.' Sitzm.

Comptos ebore, ac vitro parietes] Fuit pictura ars quondam nobilis, inquit Plinius lib. xxxv. cap. 1. 'tunc cum expeteretur a regibus populisque, et illos nobilitaret, quos esset dignata posteris tradere: nunc vero in totum marmoribus pulsa, jam quidem et auro, nec tantum ut parietes toti operiantur, verum et interrasso marmore, vermiculatis ad effigies rerum et animalium crustis.' Raræque lautiorum ædes ubi lacunaria auro ornata non essent. Virgil. Æneid. i. 'Dependent lychni laquearibus aureis.' Nec auro solum, sed ebore etiam. Horat. Carm. lib. ii. 'Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar.' Seneca lib. i. Nat. Quæst. 'Lacunaria ebore fulgentia.' Non igitur mirum si, cum domorum lacunaria auro et ebore, parietes vero auro et marmore tegerentur, Boëtianæ quoque Bibliothecæ parietes ebore et vitro compti essent: vitro autem for-

tasse diversicolore, unde Bibliothecam ingresso variæ eæque jucundæ redderentur imagines. Quod suo tempore ita in usu fuisse observat Plinius lib. xxxvi. ut vitrum Obsidianum, parietibus applicari consuetum, pro imagine umbras reddere solitum notet. 'In genere vitri et Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis quem in Æthiopia invenit Obsidius, nigerimi coloris, aliquando et translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddente.' Porro ejusmodi vitra et specula per cubicula disposuisse Veteres, quæ nunc majores, nunc minores ipsis rebus imagines redderent, nemo est qui nesciat, cui modo vita Horatii, quam edidit Pet. Nannius, lecta sit; aut fabula illa Hostii [si tamen istud portentum hominis nominandum est] apud Senecam lib. i. Nat. Quæst. Vallin.

METR. 6. Cum Phœbi radiis grave] Manil. lib. i. 'Solis radiis ardescit torridus aër.' Sitzm.

Canceri sidus] Idem lib. iii. 'Canceri cum sidere Phœbus Solstitium facit, et summo versatur Olympo.' Idem.

Inæstuat] Silius lib. i. 'Æstifero Libye torquetur subdita Cancro.' Id.

Tum qui] Boëtius cum ista scriberet, sine dubietate in animo habuit hosce versus Virgilianos Georg. i. 'Ardentis decedat stella coronæ Debita quam sulcis committas semina, quamque Invitæ properes anni spem credere terræ. Multi ante occasum Maiæ cepere, sed illos Expectata seges vanis elusit aristas.' Idem.

Sulcis semina credidit] Totum hunc versum Tibullo debet noster Auctor, qui lib. ii. Eleg. ult. 'Spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fenore reddat ager.' Idem.

Elusus] Manil. lib. i. 'Nunquam futilibus excanduit ignibus æther, Squalidaque elusi deplorant arva coloni, Et steriles inter sulcos defessus

arator, Ad juga mærentes cogit frustrata juvencos.' *Idem.*

Cereris fide] 'Fides aëris,' apud Cassiodor. I. Var. Epist. 35. 'Cum stellarum non mergentium lucidum sidus tendi carbasa festinanter invitet, et aëris sereni fides properantium nequeat vota terrere.' *Idem.*

Quernas pergat ad arbores] Symmach. lib. x. Epist. 54. 'Sylvestribus arbustis vita producitur, et rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia convolvit:' vide quæ Not. ad Met. v. vs. 5. lib. II. *Idem.*

Purpureum nemus] Usitatum est optimis auctoribus, ut quicquid formositate, pulcritudine, amœnitate est conspicuum, id esse 'purpureum' dicant, speciei vocabulo pro genere posito. Virgil. Eclog. ix. 'Hic Ver purpureum, varios hic flumina circum Fundit humus flores.' Tibull. lib. I. Eleg. iv. vs. 29. 'Quam cito purpureos deperdit terra colores.' Val. Flaccus, lib. I. 'Placida et mediis in frontibus læsit Protinus amborum, lumenque innoxia fundit Purpureum, miseris olim implorabile nautis.' Ænone Ovidiana, Epist. Heroid. 5. 'Purpureo sum magis apta toro.' 'Aër purpureus,' apud Lactant. in Phœnice, vs. 55. *Idem.*

Cum sævis Aquilonibus stridens campus inhorruit] Virgil. I. Georg. 'Spicea jam campis cum messis inhorruit.' Seneca in Hippol. vs. 1028. 'Inhorruit concussus undarum globus.' *Id.*

Vernos stringere palmites] Virgil. I. Georg. 'Et fragili jam stringent hordea culmo.' *Idem.*

Autumno potius] Lucret. lib. I. 'Vites Autumno fundi sudante videmus.' *Idem.*

Misceri] Id est turbari, a suo officio sive inconcussa stabilitate moveri. Phædrus lib. I. Fab. II. 'Athenæ cum florent æquis legibus Procax libertas civitatem miscuit.' Apuleius lib. VII. 'procurrens in cubiculum clamoribus inquietis cuncta miscuit.'

Mart. Capella, lib. v. de Rhetorica: 'Athenis vero curiam, gymnasia, theatraque pro arbitrio reflexisse, ac totam funditus Græciam miscuisse ferebatur.' *Idem.*

Nec...Misceri patitur vices] Tibull. I. I. Eleg. iv. vs. 20. 'Annus agit certa lucida signa vice.' Val. Flaccus lib. I. 'Summe sator, cui nostra dies volventibus annis Tot peragit, reficitque vices: tuane ista voluntas.' *Idem.*

Sic quod præcipiti] Senec. in Œd. vs. 909. 'Quicquid excessit modum Pendet instabili loco.' *Idem.*

Certum...ordinem] Quintilianus: 'Nec mihi videntur errare qui ipsam rerum naturam stare ordine putant: quo confuso, peritura sunt omnia.' Orphens, in Fragment. de Deo loquens: *Σὴ μὲν ἐν ἄστροις Τάξις ἀναλλάκτοισιν ἐφημοσύνησι τρέχουσα.* *Idem.*

PROSA 6. *Operi suo præsidere conditorem Deum scio*] Salvianus lib. IV. de Gub. Dei: 'Quid enim tam furiosum est, quam ut aliquis, cum Deum creatorem rerum omnium non neget, gubernatorem neget? et cum factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit?' *Idem.*

Memoriam mæror hebetavit] Qui memoriæ conservandæ præcepta tradidere, præcipiunt, fugiendas esse huiusmodi perturbationes animi, quæ memoriæ officiant quam maxime. *Id.*

Hi perturbationum mores et ea valentia est] Ms. Rittersh. *Hi perturbationum mores sunt, ea valentia est.* In hanc autem sententiam etiam Pindarus Olymp. Od. 7. *Αἱ δὲ φρενῶν παραχὰ Παρέπλαξαν καὶ σοφόν.* *Idem.*

Falsis opinionibus induantur] Manuscripti: *Falsis opinationibus.* Belle Cicero Tusculanarum Quæstionum lib. IV. 'Definiunt autem animi ægrota-tionem, opinationem vehementem de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit inhærentem, et penitus insitam.' *Bernart.*

Hanc paulisper lenibus mediocribus-

que fomentis attenuare tentabo] ‘Fomentis.’ i. medelis. Sic Plin. Secundus, l. II. Ep. 7. ‘Pater hoc quoque merebatur, cujus gravissimo vulnere magno aliquo fomento medendum fuit.’ Apuleius lib. II. Metam. ‘Tennato admodum viatico paupertatis meæ fomenta acquirō.’ *Sitzm.*

METR. 7. *Nubibus, &c.*] Cum hoc Carmine confer B. Augustin. De Civ. Dei, c. 8. lib. XVIII. Senecam Philosophum passim. *Idem.*

Nubibus atris Condita] Senec. in Hipp. vs. 672. ‘Omnis impulsus ruat Æther, et atris nubibus condat diem.’ Q. Curt. lib. IV. ‘Repente sive illud Deorum munus, sive casus fuit, obductæ cælo nubes condidere solem.’ *Idem.*

Fundere possunt Sidera lumen] Lucret. lib. I. ‘Solis lumina cumque Insertim fundunt radios per opaca do-

morum.’ Virgil. Georg. II. ‘Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.’ Silius Ital. lib. X. ‘Claro perfundit lumine campos.’ *Idem.*

Defluus amnis sæpe resistit] Senec. in Hipp. vs. 178. ‘Ut dura cautes undique intractabilis Resistit undis, et lacescentes aquas Longe remittit; verba sic spernit mea.’ *Idem.*

Pelle timorem] Senec. in Med. vs. 42. ‘Pelle femineos metus.’ Statius lib. II. Sylvar. ‘Qui pectore magno Spemque metumque domas vitio sublimior omni Exemptus fati, indignantemque refellis Fortunam.’

Spemque fugato] Claudian. de Prob. et Olybr. Consulatu, vs. 64. ‘Non anxia mentem Spes agit, et longo tendit præcordia voto.’ Ælian. lib. III. Var. Hist. cap. 29. ἔλεγεν ὁ Πλάτων τὰς ἐλπιδὰς ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι. *Idem.*

LIBER II.

PROSA 1. *Blandissimam familiaritatem*] Pub. Syrus: ‘Fortuna cum blanditur captatum venit.’ *Sitzm.*

Subita mutatio] Videtur imitari illud Eurip. Κεκλημένω δὲ φωτὶ μακαρίω ποτὲ Αἰ μεταβολαὶ λυπηρόν. ‘Viro, qui felix aliquando vocatus fuit, Acerba res est mutatio.’ Unde interrogatus Bias, τί δυσχερὲς, τὴν ἐπὶ τὸ χειρόν, ἔφη, μεταβολὴν ἐὺγενῶς ἐνεγκεῖν, ‘quidnam esset difficile, Ferre, inquit, fortiter mutationem rerum in deterius.’ Diog. Laërt. in eo. Pub. Syrus, ‘Gravius nocet, quodcumque inexpertum accidit.’ Seneca lib. de Provid. ‘Magis urgent sæva inexpertos.’ *Vallin.*

Musica . . . nunc leviores, nunc gravioremodos succinat] Musicæ laudes, ejusque vim pulcherrima Epistola exequitur Cassiodor. II. Variar. 40. *Sitzm.*

Laris nostri vernula] Mss. et Edit. Florent. *vernacula*: quam voculam etiam Martianus Capella utitur in pr. lib. VI. De Nupt. Philologiæ: ‘Vernaculæ Bromiales tantos caeliunos concussis admodum tulere singultibus.’ *Idem.*

Deprehendisti cæci numinis ambiguos vultus] Apuleius lib. VII. ‘Subibat me, non de nihilo veteris priscæque doctrinæ viros finxisse ac pronunciasse cæcam et prorsus exoculatam esse fortunam: quæ semper suas opes ad malos et indignos conferat; nec unquam judicio quenquam mortalium eligat: immo vero cum his potissimum diversetur, quos, procul si videret, fugere deberet: quodque cunctis est extremius, varias opiniones, immo contrarias nobis attribuat; ut et malus boni viri fama glo-

rietur, et innocentissimus contra noxiorum more plectatur.' Non videtur hic nobis omittenda vetus picturá et sculptura Fortunæ, quam his verbis exprimit Isidorus Pelnsiota lib. III. Epist. 154. τῆς τύχης τὴν μοχθηρίαν δηλώσαι ἐθέλησαντες οἱ γράφοντές τε καὶ πλάττοντες, οὐ μόνον εἶδει γυναικὸς ἀρκέσθησαν (καίτοι καὶ τοῦθ' ἰκανὸν ἦν ἀλογιστίας καὶ ἀνοίας τεκμήριον) ἀλλὰ καὶ πηδάλιον ἔδοσαν ἐν χεροῖν ἔχειν αὐτῇ, καὶ τοῖν ποδοῖν ὑπέθεσαν βάσιν σφαιρικὴν ἐστέρησαν δὲ καὶ τοῖν ὀφθαλμοῖν· διὰ τούτων ἀπάντων ἐνδεικνύμενοι τὸ ἀνόητον καὶ ἔμπληκτον καὶ τυφλὸν καὶ ἄστατον αὐτῆς. Et mox Fortunam vocat φαντασίαν τυφλὴν καὶ ἄστατον καὶ μοχθηρὰν, cui opponit τὴν τὰ πάντα κυβερνῶσαν δεξιάν, quæ est divina Providentia. *Idem.*

Neque quod ante oculos situm] Casiodor. III. Var. Epist. 48. 'Prudentiæ nihilominus est cavere etiam quæ non putantur emergere.' Quo nomine laudatur Ulpianus JC. nam et recte rebus uti præsentibus, ac futura prospicere solerter poterat. Ita enim Zosimus Hist. lib. I. de ipso prædicat: καὶ νομοθέτης ἦν ἄριστος, καὶ τὸ παρὸν εὖ διαθῆναι, καὶ τὸ μέλλον εὐστόχως συνιδεῖν δυνατός. *Idem.*

Impatientia sortem exacerbabis, quam permutare non possis] Horat. I. Carm. Od. 24. 'Levius fit patientia Quicquid corrigere est nefas.' *Idem.*

Si arvis semina crederes, feraces inter se annos] Editio Norimb. *si arvis semina traderes, fertiles inter se.* Quæ lectio non omnino fastidienda. Nescio tamen, quomodo magis recepta placet. Nam et supra Carm. VI. libro primo dixit: 'Qui larga negantibus Sulcis semina credidit.' *Idem.*

Feraces inter se annos, sterilesque penes] Sic Imp. Alexander loquitur in I. VIII. licet. C. de Locato et cond. 'Si expressum non est in locatione (ut mos regionis postulabat) ut si quale tempestatis, vel alio cæli vitio damna accidissent, ad onus tuum pertinerent, et quæ evenerunt sterilita-

tes, ubertate aliorum annorum re-pensatæ non probabuntur,' &c. Vide et I. XV. ex conducto. §. Papinianus. D. cod. Item Pindar. Nem. Od. ult. Manil. lib. IV. Arist. lib. II. Rhetoric. et Ambrosi. contra Relat. Symmachi. *Idem.*

METR. 1. Superba...dextra] Senec. in Med. vs. 205. 'Scepstris superbas quisquis admovit manus.' *Idem.*

Et æstuantis] Ms. Erfurt. et edit. Basiliens. *Exæstuantis*, quæ vox reddenda Boëtio. Ita Q. Curt. libro IX. de rebus gest. Alex. Magni: 'Tertia ferme hora erat, cum stata vice Oceanus exæstuanans inveli cœpit, et retro flumen urgere. Quod primo coërcitum, deinde vehementius pulsus, majore impetu adversum agebatur, quam torrentia præcipiti alveo incurrunt.' *Idem.*

More...Euripi] Huc referendum Græcum proverbium, quod exstat apud Suidam: Τύχη εὐριπος, 'Fortuna Euripus.' Senec. in Herc. Cæt. vs. 779. 'Enripus undas flectit instabiles vagns, Septemque cursus flectit; et totidem refert.' *Idem.*

Dudum] Significat hic subito, illico, statim. Sic 'jamdudum' sæpe apud auctores accipitur. Unius duntaxat utar testimonio. Seneca in Medea, vs. 191. 'Monstrumque sævum, horribile, jamdudum avehe.' *Idem.*

Tremendos sava proterit reges] Ascribam locum Ammiani Marcellini, ex lib. XIV. de fortunæ inconstantia et ludo insolente quem ludere pertinax solet, qui mirifice hosce versus illustraverit. Loquitur autem de Cæsare Gallo: 'Assumptus in amplissimum fortunæ fastigium, versabiles ejus motus expertus est, qui ludunt mortalitatem: nunc evehentes quosdam in sidera, nunc ad Cocyti profunda mergentes: cujus rei cum innumera sint exempla, pauca tractu summo transeurram. Hæc fortuna mutabilis et inconstans fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem, et Di-

onysium gentium quondam terrorem Corinthi litterario ludo præfecit. Hæc Adramittenum Andriscum in fullonia natum ob Pseudophilippi nomen evexit: et Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit victum. Eadem Mancinum post imperium Numantinis, summa atrocitate Veturium et Claudium Corsis substravit, feritati Carthaginis Regulum: istius iniquitate Pompeius, post quæsitum Magni ex rerum gestarum amplitudine cognomentum, ad spadonum libidinem in Ægypto trucidatur. Et Eunus quidam ergastularius servus ductavit in Sicilia fugitivos. Quam splendido loco multi nati, eadem rerum Domina connivente, Viriati genua sunt amplexi vel Spartaci? quot capita quæ horruere gentes, funesti carnifices absciderunt? Alter in vincula ducitur, alter insperatæ præficitur potestati, alius a summo culmine dignitatis excutitur. Quæ omnia si scire quisquam velit quam varia sunt et assidua, arenarum numerum idem desipiens et montium pondera scrutari poterit. Confer cum his insignem locum de rerum humanarum inconstantia, qui est apud Philonem libro de Josepho. Porro ex pluribus in Fortunæ potentiam Epigrammatibus adscribam hoc loco unicum Luciani, quod extat in 1. Anthol. tit. εἰς τύχην: Πολλὰ τὸ δαιμόνιον δύναται, καὶ ἢ παράδοξα. Τοὺς μικροὺς ἀνάγει, τοὺς μεγάλους κατάρχει. Καὶ σοῦ τὴν ὀφρῦν, καὶ τὸν τῦφον καταπαύσει, καὶ ποταμὸς χρυσοῦ νάματά σοι παρέχη. Οὐθρύον, οὐ μαλάχην ἀνεμὸς ποτε, τὰς δὲ μεγίστας ἢ δρύας ἢ πλατάνους οἶδε χαμαὶ κατάρχειν. Quod sic in Latinos versus transtulit C. Rittershusius: 'Admiranda valet ludens Fortuna patrare: Deprimat elatos, tollit ad alta humiles. Illa supercilium ac fastum et tibi comprimet, auri Quamvis jam det uti flumina plena fluant. Aspicias ut soleat quercus platanosque proceras, Non malvam aut juncum,

sternere ventus humi.' *Idem.*

Humilemque victi] Senec. in Thyest. vs. 35. 'Miser ex potente fiat, ex misero potens, Fluctuque regnum casus adsiduo ferat.' *Idem.*

Sic illa ludit] In Prosa seq. Fortuna de se ipsa: 'Hæc nostra vis est, hunc continuuum ludum ludimus.' 'Ludus fortunæ.' Cassiodorus lib. 1. Var. Epist. 4. 'Non fragili felicitate proventus, fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis successionibus evolavit.' Horat. 1. Carm. Od. 2. 'Heu nimis longo satiate ludo:' quo in loco *ludum pro bello* posuit. *Idem.*

Monstrat ostentum] B. August. 1. XXI. De Civ. Dei cap. 18. 'Illorum quoque miraculorum multitudo sylvescit, quæ monstra, ostenta, portenta, prodigia nuncupantur. Quæ recolere et commemorare si velim, hujus operis quis erit finis? Monstra sane dicta perhibent a monstrando, quod aliquid significando demonstrant: et ostenta ab ostendendo; et portenta a portendendo, id est, præostendendo; et prodigia quod porro dicant, id est, futura prædicant.' De duobus Ostentorum generibus vide L. 38. ff. de V. S. *Idem.*

Una stratus ac felix hora] Senec. in Hippol. vs. 1136. 'Volat ambiguis Mobilis alis hora. Nec ulli Præstat velox fortuna fidem.' *Idem.*

PROSA 2. *Cum te matris ex utero Natura produxit, nudum rebus omnibus]* Mss. et Edd. Nor. Flor. non habent voculam *ex*. His autem Boëtianis fere geminum illud Q. Sereni capite 59. 'Nudum hominem primum mater Natura profundit, Insuper excruciat.' *Idem.*

Nunc mihi retrahere manum libet] Pub. Syrus: 'Levis est Fortuna, cito reposit, quod dedit.' Et alibi: 'Fortuna usu dat, mancupio nihil.' *Idem.*

Usus alienis] Maximi momenti est hic e philosophia Stoica locus, quem præcipue inculcat Epictetus, 'Nihil nostrum esse quod externum sit.' Is

enim Enchiridii cap. xv. Μηδέ ποτε ἐπὶ μηδενὸς εἶπης, ὅτι ἀπώλεσα αὐτὸ, ἀλλ' ὅτι ἀπέδωκα. τὸ παιδίον ἀπέθανεν; ἀπέδότη. τὸ χωρίον ἀφηρέθη; οὐκοῦν καὶ τοῦτ' ἀπέδότη; 'Nunquam te quicquam perdidisse dicito, sed reddidisse. Filiolus obiit? redditus est. Prædium est ereptum? annon id quoque redditum est?' Cui autem nisi Deo ejusque voluntati, et bonitati quæ dederat: 'Ἀπαιτοῦντι τῷ Θεῷ ἃ δέδωκεν ἐκὼν οὐκ ἀποδώσεις; οὐκ αἰσθήσῃ; οὐχ', ὡς Πλάτων λέγει, μελετήσεις, οὐχ' ἀποθνήσκειν μόνον, ἀλλὰ καὶ στρεβλοῦσθαι, καὶ φεύγειν, καὶ δέρεσθαι, καὶ πανθ' ἀπλῶς ἀποδιδόναι τ' ἀλλότρια; 'Cum Deus ea, quæ dedit, repetit, non ultro reddes? non (ut Plato ait) meditaberis, non modo mori, sed et excruciarī, et exulare, et verberibus affici, omnia denique reddere aliena?' Epictetus idem apud Arrianum diss. 1. lib. iv. Ut sit nimirum quod ait Jobus, 'Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.' Vallin.

Ludum ludimus] Plautus in Pseudolo, Act. 1. Sc. 1. 'Ludis me ludo tuo.' Sitzm.

Rotam volubili orbe versamus] Videatur imitari illud Tibulli lib. II. Eleg. v. 'Versatur celeri fors levis orbe rotæ.' Veteres, ut Fortunæ inconstantiam exprimerent, et quod volubiliter errando nullo in loco certa tenaxque permaneret, apertius demonstrarent, rotæ eam insidere fluxerunt, subindeque revolvi. Sed et Pittacus Fortunæ scalam Mitylene dedicavit, quo adumbraret repentinos ejus ascensus et descensus. Vid. Ælian. lib. II. Var. Hist. cap. 29. Idem.

Nesciebas Cræsum . . . misso cælitus imbre defensum] Ausonius de Ludo Septem Sapientum succinctis versibus pæne totam de Cræso Historiam commemorans, inter alia hæc ponit

verba: 'Clamore magno ter Solonem nuncupat. Qua voce Cyrus motus, extingui jubet Gyrum per omnem, et destrui ardentem pyram. Et commodum profusus imber nubibus Repressit ignem,' &c. Idem.

Num te præterit Paullum] Par fere pietas M. Marcelli, de quo B. Augustin. de Civ. Dei libro primo, cap. 5. 'Egregius Romani nominis M. Marcellus, qui Syracusas, urbem ornatissimam, cepit, refertur eam prius flevisse ruituram, et ante ejus sanguinem suas illi lacrimas effudisse.' Et Alexandri Magni, de quo Q. Curt. I. III. 'Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunæ Darii, et pietati earum illacrimasse fertur.' De Lucio vero Æmilio Paulo ita scribit Sext. Aurelius Victor: 'Iterum consul Persen Philippi filium Regem Macedonum apud Samothracas cepit, victum flevit, et assidere sibi jussit: tamen in triumphum duxit.' Idem.

Persei regis] Regis scilicet Macedonum ultimi: de quo Paul. Æmilius triumphavit: ut legere est apud Livium lib. XLV. et Plutarchum in vita Æmilii: ubi inedia se confecisse, aut certe ob ereptum somnum interiisse scribit Plutarchus. Vallin.

Nonne adolescentulus δύο τοὺς πίθους] Apponam verba D. Thomæ Aquinatis, quibus simpliciter citraque pompam hunc locum ita explicat: 'Homerus volens ostendere mutabilitatem Fortunæ, describit in domo Jovis jacere duo dolia vini; unum boni, alterum mali. Et omnes intrantes domum de utroque oportebat gustare, sed quosdam plus de bono, quosdam vero plus de malo. Et hæc descriptio publice depingebatur Athenis in templo Jovis, ubi Boëtius studuit adolescens, sicut ipse testatur de Scholario disciplina. Per domum autem Jovis Homerus significabat mundum: per duo dolia prosperitatem et adversitatem; et omnes qui vivunt in mundo de utroque gustant: quidam

plus de prosperitate, quidam plus de adversitate.' Hæc D. Thomas. Quoniam vero dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ, non omittimus ipsum accedere Homerum, ejusque versus subscribere, qui leguntur Iliad. Ω. Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι Ζῶειν ἀχνυμένους· αὐτοὶ δὲ τ' ἀκηδέες εἰσί. Δοιοὶ γὰρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει Δῶρων, οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων. Ὡς μὲν καμμίξας δῶψ Ζεὺς τερπικέρανος, ἄλλοτε μὲν τε κακῶ ὄγε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῶ. Ὡς δὲ κε τῶν λυγρῶν δῶψ, λωβητὸν ἔθηκε. Καὶ ἐ κακῆ βούβρωστις ἐπὶ χθόνα διὰν ἐλαύνει, Φοιτῆ δ' οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσιν. Quæ ad hunc modum Latina fecit Eobanus Hessus: 'Sic enim statuere Dei mortalibus ægris, Ut vitam mœrore refertam et luctibus ægram Traducant: sine tristitia cœlestibus ævum Omne sit, et nullos possint sentire dolores. Præterea posuisse Jovem duo vasa loquuntur Ante fores, primoque domus in limine cœli, Quæ sint muneribus dandis mortalibus ægris Plena, bonis aliud, pejoribus illud abundet. E quibus, ut voluit, Deus omnia sortibus æquis Distribuit generi humano, simul omnia miscens, Nunc bona, nunc mala; nunc læva, nunc lance secunda. Cui mala contigerint, curæ hunc exponit iniquæ, Tristibus ærumnis, miserique laboribus ævi. Vivet enim neque Diis gratus, neque gentibus ullis.' *Sitzm.*

Nonne adolescentulus, δύο τοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα καλῶν, τὸν δὲ ἕτερον κακῶν, in Jovis limine jacere didicisti] Id est: Duo dolia, alterum bonorum, alterum malorum. Respicit fabulam quæ in Homeri Iliad. Ω. oratione Achillis ad Priamum. *Bernart.*

Δύο τοὺς πίθους] Certum est hic Boëtinum attingere eos Homeri versus II. Ω. Δοιοὶ γὰρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει Δῶρων, οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων, 'Dolia quippe Jovis duo sunt in limine primo, Jovis plena, malis unum, melioribus illud.' Versum se-

cundum sic legit Plutarchus lib. Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν. Κηρῶν ἔμπλειοι, ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν. Et hæc Platonicorum mens est, animæ, postquam in hæc inferiora lapsa est, datos ob corporis societatem motus sibi contrarios atque inter se maximo dissidentes: quos qui ratione rexerit ἐν δίκῃ βιώσοιτο, 'juste vixerit,' qui autem his se dederit ἀδικίᾳ, 'injuste.' Hinc Maximo Tyr. dissert. xxxv. fontes sunt ejusmodi doliorum, ἀρετῆ ψυχῆς καὶ μοχθηρία, 'virtus animi atque improbitas.' Eum vide. Cui convenit et illud Prophetæ regis Psal. 'Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.' Imo et longe illud Diphili apud Stobæum verius est, Ὡσπερ κυθαίνουσ' ἐνλοθ' ἡμῖν ἡ τύχη, Ἐν ἀγαθὸν ἐπιχέασα τρί' ἐπαντλεῖ κακά. 'Fortuna nobis, tanquam cyathos exsiccantibus, Si unum bonum infundat, tria mala affundit.' *Vallin.*

METR. 2. Stelliferis edita noctibus . . . sidera] Venuste siderum matrem Noctem indigitat, quod etiam fecit suavissimus Tibullus lib. II. Eleg. I. 'Ludite: jam nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro:' ad quem locum vide quæ post M. Anton. Muretum Var. Lect. lib. v. cap. 2. attulit J. Dusa filius. *Sitzm.*

Pleno copia cornu] Senec. in Medea, de Venere: 'Quæ dat belligeris fœdera gentibus, Et cornu retinet divite copiam.' Statius in Sylvis: 'Et quæ tibi cunque beato Larga dedit Fortuna sinu.' Prudent. contra Symmachum: 'Saxa illita ceris Viderat, unguentoque lares humescere nigros, Formatum Fortunæ habitum cum divite cornu.' *Idem.*

Flere querelas] Nova phrasis, quam non facile apud alios invenies auctores. Nentrum active ponitur, addito nomine cognatæ significationis. *Idem.*

Quamvis rota libens excipiat Deus] Senec. in Troad. vs. 6. 16. 'Et huc et illuc anxios gressus refert, Missas-

que voces aure sollicita excipit.' *Idem.*

Avidos] Senec. in Herc. Cæt. vs. 631. 'Avidis, avidis Natura parum est.' *Idem.*

Rapacitus] Senec. in Oct. vs. 424. 'Luxuria victrix orbis immensas opes Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.' In rapacitatem, sive majoris avaritiam, acriter invehitur, ejusque sordes graphice depingit Prudent. in Psychom. Rapaces autem istos 'Harpyias' nominat Rutilius Itinerarii libro I. 'Sacri justissimus arbiter ævi Circumsistentes reppulit Harpyias; Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis, Qui pede glutineo quod tetigere trahunt.' *Idem.*

Quæ jam præcipitem frena Cupidinem] Senec. in Octav. vs. 416. 'Cupido belli crevit, atque auri fames.' Juvenalis Sat. XIV. 'Inde fere scelerum caussæ, nec plura venena Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum Humanæ mentis vitium, quam sæva Cupido Immodici census.' Vide quoque B. Augustinum lib. III. de Civitate Dei, cap. 10. *Idem.*

Sitis ardescit habendi] C. Plin. Sec. lib. IX. Epist. 30. 'Ea invasit homines habendi Cupido, ut possideri magis, quam possidere videantur.' Prudent. in Hamartig. 'Gurges avaritiæ, finis quem nullus habendi Temperat.' Qui vero dubitem, Salvianum ad Carmen hoc Boëtianum respexisse? vide sis quid ille lib. IV. de Gubernat. Dei, de avaro quodam proferat: 'Tum ille ejus rebus siti avida inhiaverat, ac prædam jam spe et cupiditate ardentissima devoraverat, respiciens ac vibrans in os meum truces oculos, utpote qui tolli sibi a me putaret, quod ipse alteri non tulisset, nequaquam hoc quod peterem facere se posse respondit.' Alia adducit Andreas Tiraquellus, de Nobilitate cap. 3. num. 5. et seqq. Multis quoque hoc malum passim in suis homiliis exagitat S. Chrysostomus: cujus loca omnia recensere hic

nimis longum esset. *Idem.*

Nunquam dives agit] 'Ille' siquidem, teste Seneca Epist. 15. 'maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget.' Claudian. I. in Rufin. vs. 200. 'Nunquam dives eris, nunquam satiabere quæstu: Semper inops, quicumque cupit.' Min. Felix in Oct. 'Quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat.' et quæ sequuntur. *Idem.*

PROSA 3. *Principum civitatis*] Festi nimirum et Symmachi. Festum quidem, caput senatus et exconsulem, ab anno scilicet CDLXXII. Anastasius biblioth. in Symmacho; Avitus vero episcopus Viennensis Epist. 2. Symmachum inter primos senatores urbis agnoscit. Sed dubium omne tollit Ennodius Parænesi didascalica his verbis: 'Patrii Festus et Symmachus, omnium disciplinarum materia et constantes forma sapientiæ, ab urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis Curia Principatus: quos vidisse, erudiri est.' *Idem* igitur sunt Boëtio et Ennodio principes Senatus seu civitatis, Consularium antiquissimi, Festus et Symmachus: iidem quoque quos postea soceros suos vocat Boëtius. Atque ut 'in eorum affinitatem delectum se' ab eis testatur; ita et idem confirmat ead. Parænesi Ennodius hoc modo, 'Est Boëtius Patricius, in quo vix discendi annos respicis, et intelligis peritiam sufficere jam docendi: de quo emendatorum judicavit electio: per emendatos, ut mihi quidem videtur, viros illos summos intelligens. Elpis igitur Festi filia, ut Symmachi Rusticiana. Ambo enim recte de Boëtio judicaverunt, dum eum uterque in generum elegit; Festus quidem data Elpe, Symmachus vero Rusticiana. *Vallin.*

Negatas senibus dignitates] Patriatum, quo admodum juvenis orna-

tus est, et Consulatum fortassis intelligit. *Idem.*

Consules liberos tuos] Ii ordinarii Consules fuere anno 522. adhuc pueri. Crediderim equidem consilio et ductu Symmachi avi, omnia in eorum Consulatu esse acta gesta que, maneat modo pro comperto [quod aliter sentire plerosque video] vere Consules fuisse. Ipse disertissime affirmat hoc loco: sic enim ad eum Philosophia, ‘Poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter Consules liberos tuos domo proveli sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti; cum eisdem in Curia Curules insidentibus tu regiæ laudis orator ingenii gloriam facundiæque meruisti; cum in Circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiasti?’ Et paulo post, ‘Quid dicam liberos Consulares,’ [scribit Boëtius post eorum Consulatum] ‘quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni vel aviti specimen elucet ingenii?’ E domo patris profecti sunt frequenti senatu, in Curia sellas Curules conscenderunt, pro ea dignitate pater Theodoricum absentem laudavit, in Circo ludos et largitionem exhibuerunt, exacto Consulatu Consulares nominantur: igitur Consules fuere. Quod confirmat auctor Hist. Miscellæ lib. xv. dum ait, ‘Theod. Symmachum Exconsulem ac Patricium, et Boëtium seniore et Exconsulem gladio trucidavit.’ Nisi enim Boëtius junior Exconsul fuisset, qui necesse fuit patrem Boëtium Exconsulem, seniore nuncupare? *Idem.*

In curia Curules insidentibus] Agell. lib. III. c. 18. ex Commentariis C. Bassi: ‘Senatores dicit in veterum ætate, qui Curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in Curiam vehi, in quo curru Sella esset, quæ ob eam causam Curulis appellatur.’ De Consularibus orna-

mentis (inter quæ etiam Curules) scite Cassiodorus lib. vi. Variar. Form. 1. ‘Atque ideo per illam indictionem Consulatus te decoramus insignibus. Pinge vastos humeros vario colore palmatæ: validam manum victoriam scipione nobilitatem: lares proprios etiam calceis auratis egredere: sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende: ut in ocio subjectus merearis, quod nos per maximos labores assumimus imperantes.’ Hæc saltem ex Gellio et Cassiodoro annotare libuit: plura si scire desideras, vide Antiquitatum Romanarum Johannis Rosini, viri in his rebus eximii, libri noni caput nonum. *Sitzm.*

Cum in circo] In Circo magnifica Ludorum Consularium functio obibatur. In edendis vero ejusmodi spectaculis oportebat Consules maximam opum copiam profundere, totoque abuti patrimonio: alioquin non poterant grati esse populo, neque videri satis implere personam amplissimi Magistratus. Vide G. Fornerium in Notis ad Cassiodor. Epist. 2. Variar. lib. II. Fr. Juretum in Miscell. ad Symmach. lib. IV. Epist. 61. Cujac. ad t. C. De spectac. et scen. et Ien. Alex. ab Alexandro, lib. IV. Genial. diæ. cap. 25. Et Jul. Cæs. Bulengerum de venatione Circi et Amphitheatri. Unicum hic subnectam locum ex Cassiodori Variar. lib. II. Epist. 2. in qua Theodoricus Rex Felicem ad fastigium dignitatum ordinarie promovens, sic loquitur: ‘Sume igitur per indictionem quartam Consulatus insignia: dignumque te tantorum desideriis præsentem comproba largitate. Hic profecto locus est, ubi præconium meretur effusio: quando virtutis genus est, propriam substantiam non amare, ubi tantum opinionis acquiritur, quantum facultatibus abrogatur. Respice te supra omnium humeros atque ora volitare: talemque te præbe, ut dignus genere,

dignus urbe, dignus nostro iudicio, dignus trabeis æstimeris.' *Idem.*

Medius] Primus apud Romanos locus medius, proximus dexter; ut docet contra Becanum I. Lipsius libro II. Elector. cap. 3. Inter Consulares vero præferebatur is, qui prior gesserat consulatum, etiamsi posterior bis consul fuerat. Vide Jacob. Cujac. ad C. t. 3. l. 2. lib. XII. *Idem.*

Nulli unquam privato] Neque enim quisquam, etiam princeps, eodem anno duos filios Consules et quidem pueros vidit. Olybrium et Probinum, Probi filios, in Consulatu collegas Roma anno CCCVC. spectavit, sed jam viros. *Vallin.*

Calculus ponere] Petron. Arbiter, in Satyr. 'Si bene calculum ponas, ubique naufragium est.' Plin. Secundus lib. II. Epistola 14. 'Hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus.' *Sitzm.*

METR. 3. *Cum ... Phæbus ... lucem spargere cæperit*] Lucret. lib. II. 'Aurora novo cum spargit lumine terras.' *Idem.*

Vernis irrubuit rosis] Manil. lib. 5. 'Tyrias imitata papavera luces, Vernantisque rosæ rubicundo sanguine florem.' *Idem.*

Spiret insanum] Plaut. in Bacchid. 'Insanum magnum molior negotium.' *Idem* in Mostellar. vocat 'porticum insanum bonum.' Plin. Sec. lib. IV. Epist. 2. 'Luget insane.' Senec. in Thebaid. vs. 429. 'Qualis insano ratis Premente vento rapitur.' *Idem.*

Nebulosus Auster] Agellius lib. II. cap. 22. 'Auster Græce νότος nominatur, quoniam est nebulosus atque humectus: νότῆς enim Græce humor nominatur.' Senec. in Med. vs. 583. 'Non ubi hybernos nebulosus imbres Auster advexit.' *Idem.*

Auster] Apuleius de Mundo: 'Meridies vero, quoniam eadem semper regione signatur, uno Austro, id est, νότῳ flatur.' Vegetius de re milit. lib. 4. 'Meridianum cardinem pos-

sidet νότος, id est, Anster.' *Idem.*

Sape tranquillo radiat sereno] Ambiguum ntrum horum sit adjectivum, siquidem ambo promiscue usurpantur. Multorum instar sit locus ille Vegetii lib. 4. De Re Militari, cap. 41. 'Multis quoque signis de tranquillo procellæ, et de tempestatibus serena producuntur.' *Idem.*

Radiat sereno] Rutil. Itin. lib. 2. 'Arridet placidum radiis crispantibus æquor.' Lactantius de Resurrect. Dom. die: 'Tempora florifero rutilant distincta sereno.' *Idem.*

Ferventes . . . procellas] Virg. I. Georg. 'Cava flumina crescunt Cum sonitu: fervetque fretis spumantibus æquor.' *Idem.*

Verso concitat æquore] Ovid. Heroid. Epist. 7. 'Aspice ut eversas concitet Eurus aquas.' *Idem.*

Si tantas variat vices] Senec. in Med. vs. 287. 'Regnorum status Fortuna varia dubia quos agitat vice.' Prudent. lib. II. Contra Symmach. 'Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo, Sic variat Natura vices.' *Idem.*

Crede fortunis hominum caducis] Certissima Ironia, qua præmonemur nulli rei esse fidendum; propter multiformes, quæ in mundo, varietates. Bene, nec tamen minus ironice Seneca in Medea, vs. 221. 'Confide regnis cum levis magnas opes Huc ferat et illuc casus.' *Idem.*

Constat, æterna pos.] Senec. in Herc. Cæt. vs. 1035. 'Verum est quod cecinit sacer Thressæ sub Rhodopes jugis Tangens Thraciam chelym Orpheus, Calliopæ genus: Æternam fieri nihil.' Ibidem, vs. 1099. 'Quod natum est, poterit mori.' *Idem.*

Æterna positumque lege] Æternam legem theologia nostra decernit esse, Rationem divinæ sapientiæ, secundum quam dirigit omnium creaturarum motus et actiones in suos fines. Cujus auctor Hierocli Commentario aureo est δημιουργικὸς νόος, καὶ ἡ θεὸς βούλησις, 'mens opifex, ip-

saque voluntas divina,' respectu scilicet Dei; eam vero respectu hominum consideratam ibidem esse dicit, ὡσαύτως ἔχουσιν ἐνέργειαν τοῦ Θεοῦ, τὴν αἰδίως καὶ ἀτρέπτως τὰ πάντα πρὸς τὸ εἶναι παράγουσαν, 'Dei actionem eodem modo se habentem, perpetuaque et immutabili ratione res omnes producentem.' Hinc Seneca lib. de Providentia cœlum fortuito motu non agi, sed tam varios siderum discursus 'procedere æternæ legis imperio' ait. Passim quoque 'divina' dicitur. quam Apuleius vult esse, ex mente Platonis, lib. de natur. Philosophia Platon. 'fatum, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur.' Eam sic describit Cicero lib. II. de Legib. 'Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum: sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata: est enim ratio mensque sapientis ad jubendum et ad deterrendum idonea.' Et paulo post, 'Quæ vis non modo senior est quam ætas populorum et civitatum, sed æqualis illius cœlum atque terras tuentis et regentis Dei. nunquam enim esse mens divina sine ratione potest: nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sancendis habet.' Et iterum paulo post, 'Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans: quæ non tum denique incipit lex esse cum scripta est, sed cum orta est: orta est autem simul cum mente divina: quamobrem lex vera atque princeps apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.' Archytas apud Stobæum serm. XLII. Πονηρῶν

ἀθέων νόμοι θεῶν ἄγραφοι ἀντινομιζόμενοι, πονηρὰν μοῖραν καὶ ζημίαν τῷ μὴ πειθόμενῳ δίδόντες, πατέρες καὶ ἡγεμόνες τῶν γεγραμμένων νόμων καὶ δογμάτων ἀνθρώποις τεθέντων. 'Adversus improbes mores institutæ sunt Deorum non scriptæ leges, malam sortem multamque non obedienti inferentes, parentes ac principes scriptarum legum et constitutionum inter homines.' Ex iis igitur pulcherrimis locis quid sit æterna lex patet; nimirum æternum quiddam, νόμος ἄγραφος, æqualis cum Deo ætatis, νοῦς seu ratio summi Dei, denique 'æterna' seu 'divina lex,' ex qua aliæ humano generi datæ et tanquam ex fonte derivatæ sunt: hinc illa princeps seu ἡγεμὼν dicta. Eadem et lumen illud est hominum animis insitum, cujus eos participes fecit Deus, de quo propheta rex, ubi quæsit 'Quis ostendit nobis bona?' subjungit, 'Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.' Ad Stoici post ejuratam veteris Academiæ rectam de Deo et religione opinionem 'divinam' legem, obscuro verbo 'naturalem' vocarunt; quemadmodum scripsisse Zenonem notat Cicero lib. I. de Nat. Deor. hinc 'naturam sequi,' non 'Deum' dixerunt; 'Dei nomine, τὸν Θεὸν εἰς φύσιν, in naturam commutato,' inquit Clemens Alex. Strom. lib. II. Nimirum 'hi,' ut est apud Ciceronem lib. V. de Finibus, 'totam ad se nostram philosophiam transtulerunt: atque ut reliqui fures earum rerum quas ceperunt, signa commutant; sic illi ut nostris sententiis pro suis uterentur, nomina tanquam rerum notas mutaverunt.' Postremo legi æternæ Augustinus lib. I. de lib. arbitr. 'temporalem opponit, quæ nihil aliud est,' inquit, 'quam neglectis rebus æternis, quibus seipsam mens fruitur, et per seipsam percipit, et quas amans amittere non potest; temporalia et quæ per corpus hominis partem vilissimam sen-

tiuntur, et nunquam esse certa possunt, quasi magna et miranda sectari.' Unde Paulus ad Rom. vii. Βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοῦς μου, καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου. Et, 'Αρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν δουλεύω νόμῳ Θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας. 'Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.' Et, 'Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem, legi peccati.' Vallin.

PROSA 4. *Infelicissimum est genus infortunii, fuisse felicem*] P. Syrus: 'Nulla hominum major pœna est, quam infelicitas.' Sitzm.

Falsæ opinionis] Hoc quoque Stoicorum præceptum est, quod ad tranquillitatem contra omnes casus maxime confert; si unusquisque, dum externis percellitur, sciat non se rebus affligi, sed concepta de eis opinione. Decretum vetus audi. 'Ὅταν κλαίοντα ἴδῃς τινὰ ἐν πένθει, ἢ ἀποδημοῦντος τέκνου, ἢ ἀπολωλεκότους τὰ αὐτοῦ, πρόσχε μή σε ἢ φαντασία συναρπάσῃ, ὡς ἐν καιοῖς ὄντος αὐτοῦ τοῖς ἐκτός. ἀλλ' εὐθὺς διαίρει παρὰ σεαυτῷ, καὶ λέγειν ἔστω πρόχειρον, ὅτι τοῦτον θλίβει, οὐ τὸ συμβεβηκός, (ἄλλον γὰρ οὐ θλίβει) ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ τούτου. 'Cum ejulantem quempiam videris in luctu, sive peregre profecto filio, sive rebus amissis, cave ne te visum illud moveat, ut existimes versari enim in malis ob externa: sed statim ipse tecum distinguo, sitque in promptu ut dicas, Istum affligit non casus ille (alium enim non affligit) sed concepta de eo opinio:' inquit Epictetus enclirid. Gemen- dum videtur ob mortem carissimi filii: imo, alias Anaxagoræ, quippe sapientissimo, gemen- dum quoque fuisset: is vero audito filii sui obitu, 'Ἦδειν φησὶ θνητὸν γεννήσας, 'Noram, inquit, me eum genuisse mortalem.' Seneca item lib. consol. ad Marciam,

'Movet Ingentem desiderium ejus, quem dilexit: id per se tolerabile apparet: Absentes enim abfuturosque, dum viverent, non fleamus, quamvis omnis usus illorum nobis et conspectus ereptus est. Opinio est ergo quæ nos cruciat: et tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus.' Neque gemen- dum ob exilium; alioqui et Marcellus doluisset: ipse vero sic de se ipso apud Senecam [Consol. ad Helviam] aliter affirmat, 'Quod patria cares, non est miserum: ita te disciplinis imbuisti, ut scires omnem locum sapienti viro patriam esse.' Neque enim vir sapiens ob res externas, quæ sibi alienæ sunt, movetur: neque ultra quam ut animus sibi bene sit conscius, inquit. Cogitandum est, inquit apud Arrianum Epictetus, τί ἐμόν, καὶ τί οὐκ ἐμόν. καὶ τί μοι ἔξοστι, καὶ τί μοι οὐκ ἔξοστιν. ἀποθανεῖν με δεῖ. μή τι οὖν καὶ στένοντα; δεθῆναι. μή τι καὶ βρηνοῦντα; φυγαδευθῆναι. μή τι οὖν κωλύει, γελῶντα, καὶ εὐθυμοῦντα καὶ εὐροοῦντα; εἰπέ τὰ ἀπόρρητα. εἰ λέγω. τοῦτο γὰρ, ἐπ' ἐμοί ἐστιν. ἀλλὰ δῆσω σε. ἄνθρωπε τί λέγεις; ἐμέ; τὸ σκέλος μου δῆσεις. τὴν προαίρεσιν δὲ, οὐδ' ὁ Ζεὺς νικῆσαι δύναται. εἰς φυλακὴν σε βαλῶ. τὸ σωματίον ἀποκεφαλίσω σοῦ. πότε οὖ σοι εἶπον, ὅτι μόνου ἐμοῦ ὁ τράχηλος ἀναπότμητός ἐστι; 'quid tuum sit, quid non tuum; et quid tibi liceat, quid non liceat. Est tibi moriendum: nunquid etiam gementi? In vinculis esse oportet: nunquid ejulantem? Ire in exilium: ecquis prohibet ire cum risu, hilaritate et alacritate? Dic arcana. Non dico, hoc enim penes me est. At in vincula te conjiciam. Homo quid ais? me? pedem meum vincies, institutum autem meum ne ipse quidem Jupiter superabit. In custodiam te dabo: corpusculum capite truncabo. Quando ergo tibi dixi meas unius cervices ferro esse inviolabiles?' Christianismum hæc spirant, sed paucis immutatis: abesset modo ab hac

Stoicorum constantia, illa ἀπάθεια, ἀναλγησία, ἀνελεημοσύνη. *Vallin.*

Symmachus socer] Symmachorum stemma vir doctiss. Jac. Sirmondus erudita diligentia contexit Notis suis ad VII. lib. Epist. Ennodii; quas consule. Nos donec ad nostrum pervenerimus, pauca tantum ex eis excerptemus. Erat autem

I. 'L. Aurelius Avianus Symmachus Præfectus urbi anno CCCLXIV. Cujus sunt insignes illæ duarum statuarum Romæ et Constantiupoli inscriptiones.'

II. 'Q. Aurelius Symmachus L. F. Orator. Cujus sunt Epistolar. lib. IX. Relationum unus: in quibus famosa illa de Ara Victoriæ. Consul fuit ordinar. anno CCCXCI.'

III. 'Q. Fabianus Memmius Symmachus Patris Oratoris Epistolas digessit et edidit. Africæ Proconsul fuit anno CDXV. Præfectus urbi anno CDXX.'

IV. 'Q. Aurelius Symmachus Consul ordinarius cum Aëtio anno CDXLVI.'

V. 'Q. Aurelius Memmius Symmachus Excons. Ord. et Patricius. Ut legere memini in antiquis exemplaribus Boëtii generi, qui aliquot ei opuscula sua inscribit: de quo hoc loco Boëtius. Consul fuit siue collega sub Odoacre anno CDXXCV. a Theodorico rege Judex in causa Basilii et Prætextati, qui magicarum artium accensabantur, inter alios delectus, Epistolar. XXII. lib. IV. apud Cassiodorum: apud quem et aliæ sunt Theodorici ejusdem ad Symmachum Epistolæ. De eodem Hormisda Pontifex Epist. XXXVII. et LXVI.' et Avitus episcopus Viennensis Epistola II. 'Cæterum ab eodem Theodorico impiis delatorum criminationibus incitato crudeliter una cum Boëtio genero cæsus est, ut narrat Procopius lib. I. de bello Gothico. Hujus filia duæ memorantur, Rusticiana uxor Boëtii, et Galla, de qua

præter Fulgentium Gregorius Magnus IV. Dial. XIII. Filium nullum reliquit. Nam qui sequitur,'

VI. 'Symmachus Collega Boëtii in Consulatu anni DXXII. non Symmachi Patricii filius, sed nepos fuit ex filia Rusticiana et Boëtio prognatus.' His quoque a nobis additur

VII. Symmachus v. c. hujus fortasse filius. Cujus meminit Gregorius Magnus Epist. XXXVIII. lib. IX. ad Rusticianam ejus, ut apparet, sororem per Indictionem IV. hoc est, anno DC. scribens. Fuit et

VIII. Symmachus v. c. et inl. in Oriente, qui anno DXVII. Anastasii imp. legatus Eutharico Cillicæ Theodorici genero Consulatus insignia detulit: ejusque Romæ magnificis spectaculis interfuit, ut auctor est Cassiodorus in Chronico. Quem Priscianus dicato de Ponderibus et mensuris libro laudat: Constantinopoli enim Priscianum docuisse cœvi ejus Cassiodorus lib. de Orthographia, et Paulus Diaconus lib. I. Histor. Langobardorum testantur: et Veteres ejus libri 'Constantinopolitani doctoris' titulo prænotantur. De quo haud dubie Hormisda scripsit Ep. XXXVII. et LXVI. Quem et Procopius lib. II. de bello Vandalico ait, Senatorem Constantinopoli fuisse Præfectumque equitatu et sumptibus ejus belli quod Germanus Justiniani imp. ex fratre nepos, in Stozam rebellis exercitus ducem movit et feliciter confecit. Romanum fuisse ibidem Priscianus scribit et ex Hormisda conjicitur. Cujus ædes magnificæ Constantinopoli in insigni illa populi seditione anno Justiniani V. incendio consumptæ sunt: ut est in Chron. Alexandr. *Idem.*

Vivit uxor] Scilicet Rusticiana non Elpis. Elpis enim nullis ex Boëtio procreatis liberis decessit: doctam fuisse Lil. Giraldu memoriam prodidit, ut quæ eos Hymnos, qui in Ecclesia die Apostolis Petro et Paulo sacra

canuntur, et jam a sanctissimo Papa Urbano VIII. emendati incipiunt, ‘Decora lux æternitatis:’ et, ‘Beate pastor Petre,’ composuerit. Nos ejus epitaphium ex vet. cod. nostro descriptum integrum publicamus. Lil. Giraldus tres duntaxat priores versus protulit: quatuor P. Pithæus in editione Poëmat. veterum, non servato ordine, ut qui scilicet hic septimus et octavus est, ibi tertius esset et ultimus. Scripturam codicis repræsentavimus, tantum pro *aterque* in ultimo versu, reposuimus *uterque*; et pro *socius*, *socios*, optimo sensu. Porro Boëtii esse, ipsa carminis venustas declarat, quod etiamnum casta felicis conjugii sacra egregie refert: aut si illius non sunt, ejus certe temporis esse videntur. Ea amissa Rusticianam duxit. Ejus nominis tres celebres fœminæ fuere.

I. Doctissima, filia Orfiti, Acyndini cons. soror, uxor fuit Q. Aurelii Symmachi Oratoris: cui propterea ‘legenti meditantique candelas et candelabra tenuisse’ ait Sidonius, Epistola x. lib. II.

II. Hæc nostra, avo, patre, socero, marito, et filiis consulibus illustris, Q. Aurelii Memmii Symmachi filia, Boëtii uxor, qui ex ea duos filios, anno DXXII. Consules, suscepit. Cujus non aliud elogium clarius aut illustrius esse possit, quam quo hic ab sapientissimo marito ornatur, aut a Procopio lib. III. Hist. Gothicæ. Roma enim a Gothis sub Totila obsessa, Romanis ducibus pecuniam largiendo, læsos adflitosque cohortatione opibusque tum impellendo, tum juvando, tenniorum denique civium inopiæ subveniendo, facultatibus omnibus, quæ penes se erant, consumptis, nullum non exhibuit animi supra muliebres exemplum. Unde anno DXLVII. urbe capta parum abfuit quin a Gothis in ejus necem conspirantibus occideretur, [quod data Romani exercitus ducibus pecunia,

Theoderici statuas, patris virique cædem ulta, collidi disturbarique curasset] ni esset a Totila barbaris suis mitiore, servata.

III. Ea ad quam Constantinopolim profectam scribit Gregorius Magnus Epist. XXI. lib. II. Indict. x. hoc est, anno DXCII. Et Epistol. XXIII. lib. VII. Epistol. XXXVIII. lib. IX. Epist. XXIV. lib. XI. Eamque quantum coluerit his verbis ostendit Epistola XXXVIII. lib. IX. ‘Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in gravissima ægritudine positum, de salute, de devotione, ac de dulcedine tua omnino relevarunt. Unum vero ægre suscepi, quia in eisdem Epistolis ad me, quod semel esse poterat, sæpius dicebatur, ‘ancilla vestra, ancilla vestra.’ Ego enim qui per episcopatus onera servus sum omnium factus, qua ratione mihi se ancillam dicit, cujus, ante susceptum episcopatum, proprius fui?’ Unde fœminæ patriciæ multis titulis obstrictum fuisse B. Gregorium appareat. Videtur illi Appio V. C. [filius fortasse Flav. Appionis anno DXXXIX. Cons. Strategii filii] gener, et Strategius nepos ex filia Eusebia; itemque Eudoxius et Gregoria liberi fuisse. Eisdem Gregorio Magno auri x. libras in captivorum redemptionem, et vela pretiosissima B. Petro offerenda Constantinopoli Romam transmisit: quibus testimoniis magnificentia ejus pietasque non vulgaris elucet. *Val.*

Quid dicam liberos consulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii] Jure ambigas, cur filios suos consulares nominarit Boëtius, cum in fastis eorundem consulatum non reperias, et ipse fateatur pueros fuisse: video dici posse appellatos consulares, quod patrem consulem habebant; sicut et consulis uxor, fœmina consularis dicitur. Et tamen sustinet assensionem meam ipse Boëtius, apud quem Philosophia hoc eodem

libro, Prosa III. 'Si quis rerum mortalium fructus' inquit, 'ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantumlibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter consules liberos tuos domo proveli sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti? cum eisdem in curia curules insidentibus, tu regiae laudis orator, ingenii gloriam facundiaeque meruisti?' Hæc certa, clara, nec dubium quin vere Consules fuerint. Fasti nihil movent, cum fieri possit ut suffecti fuerint non ordinarii Consules, nec mirum ideo si in fastis nomen non relatum: illud nexum injicit quod inter pueros. Vidimus nodum, et solvemus. Dum moribus antiquis stetit res Romana virisque annuarie leges viguere, sub Imperatoribus quod libuit sæpe licuit. Tacitus Annal. I. De Augusto. 'Caicum ac Lucium in familiam Cæsarium induxerat, necdum posita puerili prætexta principes juventutis appellari, destinari Consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat.' Quid cupiverat? perfecerat. Romæ marmor de Caio: QUEM. POPULUS. COS. CREAVIT. ANNOS. NATUM. XIII. Denique ut omne posticum occludam, Capitolinus in Gordiano juniore exerte: 'Et hic finis belli intestini fuit,' inquit, 'cum esset delatus Gordiano puero consulatus.' Quid hæres? principes re aut destinatione isti, scio: sed et ideo eadem ista Prosa III. Philosophia, eximium hunc honorem respiciens, 'Munus,' inquit, 'quod nulli unquam privato commodaverat, abstulisti.' Bernart.

O te si tua bona cognoscas, felicem] Virg. II. Georg. vs. 77. 458. 'O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas!' Sitzm.

Hunc nobilitas notum facit, sed ang.] Menander: Πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ. Salvian. lib. III. De Gub. Dei: 'Tanta est miseria hujus

temporis, ut nullus habeatur magis nobilis, quam qui est plurimum dives.' His addi possunt notata ab Andr. Tirraquello in Lib. de Nobilitate, cap. 3. et 25. in quibus accurate inquit; 'An generis splendor perdat ob paupertatem?' *Idem.*

Orbus liberis] Theseus ad Senec. in Hipp. vs. 1248. 'O triste fractis orbitas annis malum.' Quintilian. Declamat. 6. 'Quid ego putarem in rerum natura posse reperiri, quod orbitate acerbius videtur?' Vetus superstitio in tutela Orbonæ orbatos liberis parentes esse credidit, de qua Arnobius lib. IV. Adver. Gentes, Cyprianus de Idolis. *Idem.*

Alieno censum nutrit heredi] Hoc genus divitias possessori invisas esse ait Pindarus Olymp. X. Ἐπεὶ δὲ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον, Θνάσκοντι στυγερῶτατος. Et Menander tristem esse rem pronuntiat, si quis in re lauta sine herede suo moriatur. Ὀδυνηρόν ἐστιν, εὐτυχοῦντα τῷ βίῳ, ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν. Vide Andr. Gail. lib. I. observation. 122. Ejusmodi vero fortunam expertus est Quintilianus, qui in Præfat. lib. VI. ita flebilibus modis conqueritur: 'Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus aliis paramus, aliis relinquemus.' *Idem.*

Alius prole lætatus, filii, filiaeve delictis mæstus illacrimat] Exempla huc pertinentia vide apud M. Anton. Muretum in Ethica Aristotelis libro primo et quæ notabo infra ad Pros. VII. lib. III. *Idem.*

Beata sors omnis est æquanimitate tolerantis] Prudentius in Psychomachia ita loquentem introducit Patientiam: 'Lex habet istud Nostra: genus belli, Furias, omnemque malorum Militiam, et rabidas tolerando extinguere vires.' *Idem.*

Amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est] Ms. Rittersh. *amaritudinibus vitæ humanæ respersa est dulcedo.* Lucretius elegantiss. lib.

iv. 'Medio de fonte leporum Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat.' *Idem.*

Quid igitur o mortales] Agellius lib. II. cap. 29. 'Quid aliud sanctiores libri philosophorum monent, quam ut in nobis tantum ipsis nitamur? Alia autem omnia, quæ extra nos, extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris neque pro nobis ducamus.' Macrobius in Somnium Scipionis libro primo, capite nono: 'Homini autem una est agnitio sui, si originis natalisque principia atque exordia prima respexerit, nec se quæsierit extra.' Cassiodorus lib. II. Variar. 2. 'Vigor ille rationabilis nobis consilium præstet: facies veritatis albescat, ne mentem nostrum innubilet caligo corporea: sequamur quod intus est, ne foris a nobis simus: instruat, quod de vera sapientia sapit: illuminet, quod cælesti claritate resplendet.' *Idem.*

METR. 4. Stabilisque, nec sonori] 'Stabilis,' id est, constans, impavidus. 'Stabilis animus' apud Valerium Flaccum libro secundo: 'Stabilem quando optima facta dant animum, majorque piis audacia cœptis.' *Idem.*

Euri] Agellius lib. II. cap. 22. 'Qui ventus ab oriente verno id est æquinoctiali venit, nominatur Eurus, ficto vocabulo, ut isti ἐτυμολογικοὶ αἰοῦν, ἀπὸ τῆς ἑω ῥέειν. Is alio quoque a Græcis nomine ἀπηλιώτης, a Romanis nauticis Subsolanus cognominatur.' *Idem.*

Minantem Pontum] Sen. in Thyest. vs. 290. 'Hac spe subibit gurgitis tumidi minas.' *Idem.*

Montis cacumen alti] Senec. in Agam. vs. 90. et seq. 'Nubibus ipsis Inserta caput turris pluvio Vapulat Austro: densasque nemus Spargens umbras annosa videt Robora frangi: feriant celsos Fulmina colles.' Vid. Virgil. I. Georg. ubi Juppiter corusca dextra fulmina molitur, et 'aut

Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia cælo Dejicit.' *Idem.*

Illud protervus Auster] Senec. in Hipp. vs. 1125. 'Admota æthereis culmina sedibus Duros excipiunt Notos, Insani Boreæ minas, Imbriferumque Corum.' In Œdipo vs. 8. et seq. 'Ut alta ventos semper excipiunt juga; Rupemque saxis vasta dirimentem freta, Quamvis quieti verberant fluctus maris; Imperia sic excelsa Fortunæ objacent.' *Idem.*

Humili domum memento] Nimis longum foret omnia ex Seneca huc quadrantia ascribere. vide ipsemet in Thyest. vs. 447. et seq. in Œdip. vs. 890. in Herc. Fur. vs. 199. in Octav. vs. 884. et alibi passim. *Idem.*

Quamvis tonet ruinis] Virgil. I. Æneid. 'Una Eurusque Notusque ruunt:' Et I. Georg. 'At Boreæ de parte trucis cum fulminat, et cum Eurique Zephyrique tonat domus.' *Idem.*

Tu conditus quieti] Vid. Senec. in Hippolyt. vs. 1129. in Thyest. vs. 467. in Agamemn. vs. 100. *Idem.*

Ætheris iras] Sic 'Æquoris iræ' apud Val. Flaccum lib. II. 'Quos sternere Bessi, Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris iræ.' *Idem.*

PROSA 5. Vis congestæ pecuniæ] Senec. in Herc. Fur. vs. 168. 'Hic nullo fine beatus Componit opes gazis inhians, Et congesto pauper in auro.' Juvenalis Sat. 10. 'Sed plureis nimia congesta pecunia cura Strangulat, et cuncta exsuperans patrimonia census.' *Bernart.*

Tunc est preciosa pecunia] Horat. Carm. II. Od. 2. 'Nullus argento color est avaris Abdito terris, inimice lamnæ Crispe Sallusti, nisi temperato Splendeat usu.' Diog. Laërtius de Bione lib. IV. πρὸς πλούσιον μικρολόγον, Οὐχ οὗτος (ἔφη) τὴν οὐσίαν κέκτηται, ἀλλ' ἡ οὐσία τοῦτον. Apul. lib. V. Metam. 'Nec sunt enim beati, quorum divitias nemo novit.' Cassiodor. lib. IV. Var. 36. 'Auri vena similis

est reliquæ terræ, si jaceat: usu crescit ad pretium, quando et apud vivos sepulta sunt quæ tenacium manibus includuntur.' Vide et Pindar. Isthm. Od. I. Martial. lib. XII. Epig. LIII. *Sitzm.*

Vox quidem tota pariter multor. replet auditum] Lucretius lib. IV. quo vocem esse corpoream comminiscitur: 'Præterea edictum sæpe unum perciet aures Omnibus in populo missum præconis ab ore: In multas igitur voces vox una repente Diffugit, in privas quoniam se dividit aures; Obsignans famam verbis, clarumque sonorem.' *Idem.*

Pauperes necesse est faciant] Pub. Syrus: 'Lucrum sine damno alterius fieri non potest.' *Idem.*

An gemmarum fulgor] De Gemmarum vanitate Tertullianus de Habitu Mulieb. et Alcim. Avitus his versibus: 'Negligit hic virides riparum margo lapillos, Et quas miratur mundi jactantia gemmas.' *Idem.*

Quid est enim carens animæ motu] Vide B. Augustin. lib. II. De Civ. Dei, cap. 16. *Idem.*

Agrorum pulcritudo vos delectat] Quomodo Socrates fastum Alcibiadis, divitias multosque agros possidentis retulerit, lege apud Ælian. lib. III. Var. Hist. cap. 28. *Idem.*

Est enim pulcerrimi operis pulcra portio] Vide Andr. Tiraquellum de Nobilitate cap. 30. Phocylides: *Χρηζὼν πλούτου, μελέτην ἔχε πόνος ἀγροῦ.* 'Ἀγρὸν γὰρ τε λέγουσιν Ἀμαλθείας κέρας εἶναι.' Quod Phocylideum nihil loci habuit apud veteres Germanos, de quibus Cæsar 6. De Bello Gallico. *Idem.*

Sic cælum, sidera, &c. miramur] Vide quæ notavimus ad Metr. 2. vs. 8. et 9. lib. I. *Idem.*

Quod naturæ satis est] Horat. Carm. 3. Od. 16. 'Multa petentibus Desunt multa: bene est, cui Deus obtulit Parca quod satis est manu.' Lucret. lib. 5. 'Quod si quis vera vitam ratione gubernet; Divitiæ grandes ho-

mini sunt vivere parce Æquo animo: neque enim est unquam penuria parvi.' *Idem.*

Paucis enim, minimisque] Manilius in princ. lib. 3. 'Cumque sui parvos usus natura reposit, Materiem struimus magnæ per vota ruinæ, Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas, Et summum census precium est offundere censum. Solvite mortales animos, curasque levate, Totque supervacuis vitam deplete querelis.' *Idem.*

Pulcrum variis fulgere vestibus] Lucret. lib. II. 'Nec calidæ citius decedunt corpore febres Textilibus si picturis, ostroque rubenti Jacteris, quam si plebeia in veste cubandum est.' Quam mordaciter Solon ditissimo Regum Cræso, preciosissimis compto induviis, responderit, indicat præter Herodotum Diog. Laërt. lib. I. *Idem.*

Perniciosa domus sarcina] Cui sententiæ congruunt verba illa Varrovis Ephebo seu *περὶ ἐμμονῆς* apud Nonium; 'Crede mihi plures dominos servi comedere quam canes. Quod si Actæon occupasset, et ipse prius suos canes comedisset, nunc non esset saltatoribus in theatro fabula.' Qui locus sic recte emendatur ex vet. cod. Nonii; in quo non *fieret*, ut in hactenus editis, sed *fabula* optime exaratum fuit. *Vallin.*

Sequestrata] Id est, separata, divisa, sejuncta. Hoc verbo, a 'sequestre' notissimo JC. deducto, usi sequioris ævi scriptores. Arnob. libro V. Adv. Gentes: 'Quibus furore mentito, et sequestrata pectoris sanitate circumplicatis vos anguibus?' Cassiodorus lib. I. Variar. 3. 'Omnia bona suis sunt conjuncta cum fructibus: nec credi potest virtus, quæ sequestratur a præmio.' Inde 'sequestratim' pro separatim, divisim, apud eundem II. Variar. I. 'Quærat is forsitan sequestratim principis bona? abunde prædicat sobolem, qui

ejus laudat auctorem.' *Sitzm.*

Permultis indigere eos, qui permulta possident] Horat. 4. Carm. Od. 9. 'Non possidentem multa vocaveris Recte beatum: rectius occupat Nomen beati, qui Deorum Muneribus sapienter uti, Duramque callet pauperiem pati, Pejusque leto flagitium timet.' Cassiodorus 4. Variar. 39. 'Avaritia tali sorte punita est, ut cum multa rapiat, semper egeat.' Plura in hanc sententiam habet Seneca Philosophus. Et plura annotabo infra ad Prosam 3. lib. 3. *Idem.*

Vos autem Deo mente consimiles] Silins Ital. lib. xv. de homine: 'Cui ratio et magnæ cælestia semina mentis Munere sunt concessa Deum.' Pindarus Nem. Od. 6. initio: 'Ἀλλά τι προσφέρομεν Ἐμπας, ἣ μέγαν νόον, ἥ-Τοι, φύσιν ἀθανάτοισι. Hinc et Oppian. ἀντωπὸν μακάρεσσι γένος vocavit humanum genus Halieutic. lib. v. vs. 7. ubi v. c. Rittersh. Commentaria. *Id.*

Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit] Augustin. 1. II. De Civ. Dei, cap. 16. 'In ipsorum hominum æstimatione, quorum certe natura tantæ est dignitatis, plerumque carius comparatur equus, quam servus: gemma, quam famula.' *Idem.*

Cum se cognoscit] Cognitio sui ipsius, quod est præceptum vere divinum, duo apud philosophos complectitur, ne se infra dignitatem suam homo deprimat: ne se supra naturam suam efferat. Utriusque in id præceptum peccati una causa, falsum de rebus iudicium. Ταπεινώσις enim illa, seu nimia demissio fit, cum timemus quod timendum non est, videlicet aut hominem animi impotentem, aut divitiarum jacturam; cum tamen vitæ nostræ studium esse potissimum sciamus ἐλευθέραν ἀποτελέσαι τὴν ἡμετέραν ψυχὴν, οἶαν αὐτὴν καὶ ὁ ποιήσας καὶ γεννήσας δημιουργὸς καὶ πατὴρ προεβάλλετο· ὥστε μήτε φοβεῖσθαι τι, μήτε λυπεῖσθαι ἐπὶ τινι, μήτε ὑπὸ τινος τῶν χειρόνων: 'animum nostrum in eam as-

serere libertatem, in qua a parente et auctore Deo productus fuit: ut neque formidet quicquam, neque ulla re doleat, neque ulli deteriori naturæ serviat:' inquit Simplicius in Epict. Ench. Et eos etiam nobis naturæ lex divitiarum terminos statuatur, 'Non esurire, non sitire, non algere. Ut famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium grave, et contumeliosam etiam humanitatem pati: non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, et expositum.' Seneca Epist. iv. Ea igitur falsa bona [quæ Platonici fortunæ quidem commoda, non vero simpliciter bona nuncupant] dum animus noster esse vera bona credit, credendo ea exquirat, exquirendo vero se eis privari moleste fert: ideoque omni quod possidet bono ea præfert, seque miserum donec iis perfruat existimat: hinc servitur potentiæ, opibus, omni que alii fumo. Ἐπαρσις vero, seu nimia elatio, cum quis ob earumdem rerum externarum possessionem superbit et inflatur: quem, quia id minime cum moderatione et iudicio facit, in vanitatem et insipientiam labi necesse est: quod nimirum plus rebus quam earum natura patitur, attribuat. Recte Apuleius libro de Intellectuali philosophia Platonis, seu de Deo Socratis, 'Aliena autem voco quæ parentes pepererunt, et quæ Fortuna largita est: quorum nihil laudibus Socratis mei admisceo; nullam generositatem, nullam prosapiam, nullos longos natales, nullas invidiosas divitias; hæc enim cuncta, ut dixi, aliena sunt. Igitur omnia similiter aliena numeres licebit: Generosus est: parentes laudas. Dives est: non credo Fortunæ. Magis ista dinumero: Validus est: ægritudine fatigabitur. Pernix est: abibit in senectutem. Formosus est: expecta paulisper, et non erit.' Pro vero igitur sanctissimo-

que habeatur hoc Simplicii decretum, Οὐδὲν οὕτω φιλοσοφίας καὶ εὐζωίας ἐστὶν ἀλλότριον, ὡς ἡ ἀνεσπασμένη ὀφρὺς καὶ κενὴ ἔπαρσις αὐτῇ τὸ γνῶθι σεαυτὸν τοῦ θεοῦ παράγγελμα μὴ λογιζομένη· ὃ καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος πάσης ἐστὶ φιλοσοφίας καὶ εὐζωίας. ‘Nihil æque a philosophia et recta vivendi ratione alienum est, quam elatum supercilium, et inanis ista elatio, divinum illud de seipso cognoscendo præceptum non reputans: quod et principium et finis est philosophiæ totius et omnis recte vivendi rationis.’ *Vallin.*

Infra bestias redigatur] Vid. Arist. 1. Polit. cap. 2. *Sitzm.*

Nam ceteris animantibus sese ignorare] Eadem est opinio Turcarum, teste Augerio Busbequio Epist. 3. *Idem.*

Atqui divitiæ possidentibus persæpe nocuerunt] Nec vivis tantum, sed defunctis quoque: ut luculenta oratione demonstrarunt S. Chrysostomus homilia περὶ τελείας ἀγάπης, et hunc opt. magistrum imitatus optimus discipulus Isidorus Pelus. libro secundo Epist. 146. Plautus in Captiv. Act. 2. Scen. 2. ‘Odi ego aurum: multa multis suasit perperam.’ *Idem.*

Qui nunc contum] Tacitus Annal. xiv. ‘contis et remis et quæ sors obtulerat navalibus telis conficitur.’ Suet. Caligula c. 32. ‘contis remisque detrusit in mare.’ Epictetus apud Arrianum l. III. c. 26. ἐπ’ ἄλλους ἔχουσι τὰς ῥάβδους, καὶ τοὺς κόντους, καὶ τὰς μαχαίρας. ‘Adversus alios habent fasces, et contos, et gladios.’ Isidorus lib. XIX. cap. 7. ‘Hasta et contus cum ferro, cujus diminutivum facit hastile. Nomen autem hasta ab astu sumpsit, unde et astutia: contus ferrum non habet, sed tantum cuspide acuta est.’ *Bernart.*

Qui contum gladiumque sollicitus pertimescis] Alludit ad Historiam Dionysii, quam retulimus ad Pros. v. l. III. Mutuatur autem hæc et sequentia ex Juvenale, cujus verba apponere non gravabor: ‘Pauca licet portes

argenti vascula puri, Nocte iter ingressus gladium contumque timebis, Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram; Cantabit vacuus coram latrone viator.’ Apuleius lib. I. Metam. ‘Quid viatori de summa pauperie latrones auferre possunt? An ignoras, inepte, nudum nec a decem palæstritis despoliari posse?’ Eodem pertinet Iambicus Senarius iste: ‘Ἀπὸ τοῦ γὰρ οὐδὲν ἔχοντος οὐδὲν ἂν λάβης: hoc est, ‘A nil habente auferre nil quisquam potest.’ Et proverbium simile Græcorum refert Chrysostomus Homil. 84. in Matth. ἡ οὐκ ἀκούεις τῆς παροιμίας λεγούσης, ὅτι τὸν πένητα καὶ γυμνὸν οὐ δεκά τὸν ὁμοῦ συνελθόντες δύνανται ἀποδῦσαί ποτε; μεγίστην γὰρ ἔχει προστάτιν τὴν πενίαν, ἣν οὐδὲ ὁ βασιλεύων αὐτὸς χειρώσασθαι δύναται’ ἂν καὶ ἐλεῖν. *Sitzm.*

Felix, &c.] Cum toto hoc Carmine conferendus Virgil. I. et III. Geor. Tibull. l. I. Eleg. 3. Lucret. lib. v. in pr. Senec. in Med. vs. 329. et seqq. Horat. Epod. Od. 16. Ovid. I. Metam. Juvenal. Sat. VI. aliique. *Idem.*

Fidelibus arvis] Cur ‘fidelia arva?’ forte quia tellus sponte sua fructus suppeditabat, nec unquam frustrabatur expectationem hominum, quod in aureo sæculo factum. Vid. Sen. in Hip. vs. 535. *Idem.*

Facili quæ sera solebat] Antequam agrestem incultamque hominum vitam a communione brutorum animalium vel ferarum Liberi et Cereris sollertia et constitutio prima discerneret, mortales βαλανοφάγοι καὶ ὑδροπόται fuerunt, siquidem Poëtis aliisque scriptoribus (quod tamen majus fide) credimus; quorum testimoniis omissis apponam solummodo dulcissimos Sulpiciæ Poëtriæ versus. Ea in Satyra de statu Reipub. temporibus Domitiani, cum edicto Philosophos urbe exegisset, ita queritur: ‘Quidnam pater ille Deorum Cogitat? an terras et patria sæcula mutat? Quasque dedit quondam morientibus eri-

pit artes? Nosque jubet tacitos, et jam rationis egenos, Non aliter, primo quam cum surreximus ævo, Glandibus et puræ rursus procumbere lymphæ?' Notabile illud Cassiodori VI. Variar. 18. 'Ceres frumenta dicitur invenisse, Pan autem primus consparsas fruges coxisse perhibetur: unde et nomine ejus panis est appellatus.' *Idem.*

Jejunia solvere glande] Totum hunc versum Rustico suo inseruit Angelus Politianus: 'Et perferre sitim et jejunia solvere glande, Et lassare feras cursu.' *Idem.*

Non Bacchica munera norant] Virg. I. Georg. De Baccho et Venere: 'Vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista, Poculaque inventis Achelœia miscuit uvis.' Quod Virg. dixit 'miscere,' noster 'confundere,' pari significatu. *Idem.*

Liquido confundere melle] Notus mos priscus: vinum et mel principio cœnæ apponi consuevisse, ut conviva quisque pro arbitrio id temperans mulsum sibi conficeret. Adi Minervæ et Musarum amorcs J. Lipsium amicissimum cognatum meum Antiqu. lection. lib. III. *Bernart.*

Nec lucida vellera Serum] Pellucebant siquidem sericæ vestes, ut Ammianus ait, 'tenerrima subtilitate.' *Idem.*

Vellera Serum] Vellera illa tennia, quæ Seres foliis depectunt, 'crines lacteos' nominat Cassiodorus, qui carneo poculo bis terque satiati pulcherrima ebrietate rubeant. Senec. in Hippolyt. vs. 386. 'Removet famulæ purpura atque auro illitas Vestes, procul sit muricis Tyrii rubor, Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.' In Thyest. vs. 378. 'Quocunque loco jacent Seres vellere nobiles.' In Herc. Œt. vs. 667. 'Nec Mæonia distinguit acu, Quæ Phœbeis subditus Euris Legit Eois Ser arboribus.' Avitus Alcimus lib. ad Fusciam sororem: 'Nec te Sidonium bis cocti

muricis ostrum Induit, aut rutilo perlucens purpura cocco, Mollia vel tactu quæ mittunt vellera Seres.' Solinus cap. 53. de Seribus et Serico vellere: 'Seres aquarum aspergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, et humoris teneram subtilitatem humore domant ad obscquium. Hoc illud est Sericum, in usum publicum damno severitatis admissum, et quo ostentare potius corpora, quam vestire, primo feminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido,' &c. *Idem.*

Tyrio miscere veneno] Puniceam infecturam, apud Tyrios inventam intelligit, de qua Cassiodor. I. Variar. 2. 'Verum talis tantaque res quam facili legitur inventa compendio? Nam cum fame canis avida in Tyrio littore projecta conchyliis impressis mandibulis contudisset, illa naturaliter humorem sanguineum defluentia, oraejns mirabili colore tinxerunt: et ut est mos hominibus, occasiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantcs fecerunt principibus decus nobile dare, quod substantiam noscitur habere mediocrem.' Propert. lib. III. Eleg. 12. vs. 7. 'Tyros ostrinos præbet Cadmea colores.' Alia ex Polluce et Nonno attulit Politiss. Politianus Miscellaneor. cap. 12. *Idem.*

Somnos dabat herba] Senec. in Hippolyt. vs. 508. 'Invit aut amnis vagi Pressisse ripas, cespitc aut nudo leves Duxisse somnos.' Vide Jacob. Pontan. ad Virgil. Eclog. I. *Idem.*

Somnos salubres] Virgil. III. Georg. 'Nec somnos abrumpit cura salubres.' *Idem.*

Potum quoque lubricus amnis] Lucret. lib. v. 'Sedare sitim fluvii, fontesque vocabant.' Senec. in Hipp. vs. 513. 'Excussa sylvis poma compescunt famem, Et fraga parvis vulsa dumetis cibos Facile ministrant: regios luxus procul Est impetus fugisse: sollicito bibant Auro superbi:

quam juvat nuda manu Captasse fontem! certior somnus premit Secura duro membra versantem toro.' *Idem.*

Nondum maris alta secabat] Senec. in Hipp. vs. 228. 'Nondum secabant credulæ pontum rates, Sua quisque norat maria.' *Idem.*

Nec mercibus undique lectis] Manil. lib. 1. 'Et vagus incertum penetravit navita Pontum, Fecit et ignotis itiner commercia terris.' Parissima autem hisce tribus versibus illa Tibulli lib. 1. Eleg. 3. 'Nondum cæruleas pinus contempserat undas, Effusum ventis præbueratque sinum, Nec vagns ignotis repetens compendia terris, Presserat externa navita merce ratem.' *Idem.*

Nova litora] Senec. in Med. vs. 331. et seqq. 'Candida nostri sæcula patres Videre, procul fraude remota; Sua quisque piger litora tangens Patrio senex factus in arvo, Parvo dives, nisi quas tulerat Natale solum, non norat opes.' Rex Colchorum ad Argonautas apud Val. Flacc. lib. VII. 'Orbe satos alio, sua litora, regnaque habentes, Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras?' De audacia primorum Nautarum multa Senec. in Medea, Chor. 2. Stat. lib. 1. Achill. Horat. 1. Carm. Od. 2. Phædrus IV. Fab. Claudian. in Præfat. lib. 1. de Rapt. Proserp. *Idem.*

Tunc classica sæva tacebant] Virg. II. Georg. 'Nec dum etiam audierant inflari classica, nec dum Impositos duris crepitare incudibus enses.' Horat. Epod. Od. 2. 'Nec excitatur classico miles truci, Nec horret iratum mare.' *Idem.*

Cruor horrida tinxerat arma] Ms. *Cruor horrida tinxerat arva.* Senec. in Oct. vs. 390. et seqq. 'Humanum genus Non bella norat, non tubæ fremitus truces, Non arma gentes, cingere assuerant suas Muris nec urbes.' *Idem* in Hipp. vs. 351, 'Non arma sæva miles aptabat manu.' *Idem.*

Furor] Statius VII. Thebaid. Sa-

tellites Martis ait esse, Impetum, Nefas, Iram, Metum, Insidias, Discordiam, Furorem, Crudelitatem, Mortem. *Idem.*

Utinam modo nostra redirent] Prudentius II. contra Symmachum in re quidem diversa, iisdem tamen verbis: 'Edomiti jam triste fremant, iterumque ferinos In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.' *Idem.*

Sed sævior ignibus Ætnæ] Senec. in Herc. Cæt. vs. 286. 'Quis ignis tantus in cælum furit Ardentis Ætnæ?' Lucret. lib. II. 'Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.' *Idem.*

Fervens amor ardet habendi] Lucret. lib. V. 'Nimirum quia non cognovit qui sit habendi Finis.' Evander apud Virgil. VIII. Æneid. 'Deterior donec paullatim ac decolor ætas, Et belli rabies, et amor successit habendi.' Prudent. in Psychom. 'Nec parcit propriis amor insatiatus habendi Pignoribus.' Arnob. lib. II. Adv. Gentes: 'Iccirco animas misit, ut quæ secum commorantes possessionis alicujus nullum unquam habuissent amorem: avarissimæ hic fierent, et in habendi studium inexsaturabili pectoris ardescerent appetitu: effoderent altos montes, et viscera ignota terrarum in materias verterent alieni nominis atque usus.' *Id.*

Heu, primus quis fuit ille] Si credimus Cassiodoro, primi 'aurum Æacus, argentum Indus rex Scythiæ repererunt.' et humano usui tradiderunt. Vid. III. Variar. 25. Videtur autem noster imitari Tibullum qui lib. 1. Eleg. 10. inquit, 'Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?' *Idem.*

Auri qui pondera tecti] At quanto meliores Babytaces incolæ? de quibus Solinus cap. 8. 'A Susis Babytace oppidum 135. millibus passuum distat, in quo mortales universi odio auri coëmunt hoc genus metalli, et abjiciunt in terrarum profunda, ne polluti usu ejus avaritia corrumpant

æquitatem.' Et Cyreni, quos hoc encomio celebrat Severus Sulpicius Dialog. i. De Miraculis S. Martini Episcopi: 'Cum hominum mores quæreremus, illud præclarum animadvertimus, nihil eos neque emere neque vendere. Quid sit fraus atque furtum nesciunt. Aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent neque habere cupiunt.' Quin et C. Julius Cæsar lib. vi. de Bello Gallico affirmat Germanos veteres accuratius prospexisse, 'ne oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascerentur.' *Idem.*

Preciosa pericula fodit] Ovid. i. de Ponto, Eleg. 8. 'Non tamen hæc loca sunt ullo preciosa metallo: Hostis ab agricola vix sinit illa fodi.' *Idem.*

PROSA 6. *Flammis Ætnæ]* Sil. Ital. l. xiv. eleganter Ætnæ montis ingenium depingit hisce versibus: 'Ast Ætna eructat tremefactis cautibus ignes, Inclusi gemitus pelagique imitata furorem, Murmure per cæcos tonat irrequieta fragores, Nocte dieque simul fonte e Phlegetontis, ut atro Flammaram exundat torrens, piceaque procella Semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis. Sed quanquam largò flammaram exæstuat intus Turbine, et assidue subnascens profluit ignis: Summo cana jugo colibet (mirabile dictu) Vicinam flammis glaciem, æternoque rigore Ardentes horrent scopuli, stat vertice celsi Collis hiems, calidaque nivem tegit atra favilla:' Ovidius lib. ii. de Ponto, Eleg. 10. fingit Ætnæ Gigantem esse suppositum, qui flammam ore evomat. Ita enim ille: 'Vidimus Ætnæa cælum splendescere flamma, Suppositus monti cum vomit ore gigas.' De Ætna præterea Pindarus Pyth. Od. i. Oppian. i. Cyneg. Lucret. libro primo et libro sexto, Ælian. l. viii. Variar. Hist. cap. 11. Solin. cap. 42. Seneca Epist. 80. Vi-

buis Sequester de Montibus, B. August. lib. iii. De Civ. Dei cap. 2. et lib. iv. cap. 2. ubi citat Apuleium de Mundo, qui scripserit, flumina flammaram ex Ætna cucurrisse, Martian. Capell. lib. 6. De Nupt. Philolog. Salvian. lib. vii. De Gubernatione Dei, aliique plurimi. *Idem.*

Consulare imperium] Tunc scilicet cum creati sunt Decemviri: qui paulo post ob Virginiae cædem seditione orta, coacti magistratu se abdicavere: ut legere est apud Livium decad. i. lib. iii. ubi inter cætera ait, 'Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis ab Consulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus ante ad Consules venerat, translato imperio. Minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit: læta enim principia magistratus ejus nimis luxuriavere: repetitumque, duobus uti mandaretur Consulium nomen imperiumque.' *Vallin.*

Consulare imperium] B. Augustinus libro quinto De Civ. Dei, cap. 12. 'Hinc est quod regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui Consules appellati sunt a consulendo,' &c. Vide eundem libro tertio, cap. 16. *Sitzm.*

Vestri veteres] 'Ἰμέτεροι πρόγονοι. Gellius lib. i. c. 15. 'Veteres quoque nostri hoc genus homines in verba provectoros, locutuleios, et blaterones, et linguaces dixerunt.' *Idem.*

Ob superbiam regium de civitate nomen abstulerant] Quod factum est regnante Tarquinio Superbo, qui occiso Servio Tullio Romanorum Rege vi. imperium sceleste occupavit. Tum enim bini Consules cæperunt pro uno Rege annis singulis administrare Rempub. L. Florus lib. i. cap. 7. 'Tamdiu superbiam Regis populus Romanus perpessus est, donec aberat libido: hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit, quo-

rum cum alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit: imperium tum regibus abrogatum.' Tarquinium autem cognomen moribus meruisse, etiam confirmat Propertius libro tertio Eleg. 10. his versibus: 'Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures, Nomine quem simili vita superba notat?' *Idem.*

Quibus qui præsidere videamini] Imitari locum illum Arriani videtur cap. 13. lib. 1. 'Ἄλλ' εἰ ἐν τίνι τοιαύτῃ χώρα κατετάγησεν ὑπερεχούσῃ, εὐθὺς τύραννον καταστήσεις σεαυτόν; οὐ μεμνήσῃ τίς εἶ, καὶ τίνων ἄρχοις; ὅτι συγγενῶν, ὅτι ἀδελφῶν φύσει, ὅτι τοῦ Διὸς ἀπογόνων?' An si tali quopiam loco es constitutus, qui excellat, statim ipse tyrannidem occupabis? non recordaberis qui sis et quibus imperes? nonne cognatis? nonne fratribus germanis? nonne a Jove optimo maximo orinndis? Prudentius Peristeph. Hymn. x. optime 'Dei parentis esse ab ore cœpimus, Cui quisque servit, ille vere est nobilis: Patri rebellis invenitur degener.' *Vallin.*

Quo vero quisquam jus aliquod in quempiam, nisi in solum corpus] Senec. lib. III. de Benefic. 'Errat si quis existimat servitutum in totum hominem descendere. Pars melior ejus excepta est. Corpora obnoxia sunt et ascripta dominis. Mens quidem sui juris, quæ adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, et ingentia agat, et in infinitum comes cælestibus exeat. Corpus itaque est, quod domino fortuna tradidit.' *Idem.*

Num quicquam libero imperabis animo] Vide Diog. Laërt. lib. II. in Aristippo: Macrob. I. Saturn. cap. 11. *Idem.*

Cum liberum quendam] Zenonem, de quo ad lib. 1. disserimus. *Vallin.*

Busiridem] B. Augustinus lib. XVIII. De Civ. Dei, cap. 12. 'Illo

tempore vel Rex vel potius tyrannus Busiris suis Diis suos hospites immolabat, quem filium perhibent fuisse Neptuni, ex matre Libya, filia Epaphi.' Hinc notæ Busiridis aræ apud Poëtas.

Regulus] Idem libro tertio, c. 18. 'Nihil sane miserabilius primo bello Punico accidit, quam quod ita Romani victi sunt, ut etiam Regulus ille caperetur, cujus in primo et in altero libro mentionem fecimus, vir plane magnus et victor antea domitorque Pœnorum, qui etiam ipsum primum bellum Punicum confecisset, nisi aviditate nimia laudis et gloriæ duriores conditiones, quam ferre possent, fessis Carthaginensibus imperasset. Illius viri et captivitas inopinatissima, et servitus indignissima, et juratio fidelissima, et mors crudelissima si Deos illos non cogit erubescere, verum est quod ærei sunt, et non habent sanguinem.' Sed et Agellius I. VI. Noct. Atticar. c. 4. Tuberonem in Historiis de Reguli supplicio ita scripsisse dicit: 'In atras et profundissimas tenebras eum clauderent: ac diu post ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant: et adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cælum oculos cogeant. Palpebras quoque ejus ne connivere possent, sursum ac deorsum diductas insuebant.' Alii autem somno diu prohibitum atque ita vita privatum referunt. Quorum sententiæ accedit Aur. Victor, de Viris illustribus, hisce verbis: 'Legatus de permutandis captivis Romam missus, dato jurejurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret; in Senatu conditionem dissuasit: rejectisque a se conjuge et liberis, Carthaginem regressus; ubi in arcam ligneam conjectus, clavis introrsum actis vigiliis ac dolore punitus est.' Hæc Victor. Nota quoque de jurejurando et exitu Reguli disputatio est Ciceronis in libris

Officialibus, &c. *Sitzm.*

Cuicunque velocitas adest] Palmam velocitatis quinam fuerint adepti, percipies ex Solini Polyhistore, c. 6. *Idem.*

Atqui nec opes inexpletam] Juvenalis Sat. 14. 'Interea pleno cum turget sacculus ore, Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, Et minus hanc optat qui non habet.' *Idem.*

Collata improbis dignitas non modo non] Salvian. lib. iv. De Gub. Dei: 'Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?' Pnb. Syrus: 'Loco ignominiae est apud indignum dignitas.' Scite etiam Cassiodorus vi. Variar. 15. 'Talis est unaquaque dignitas, qualis administrantium est voluntas. Nihil abjectum est, quod in Repub. geritur, nisi malis fuerit moribus forte vitiatum.' *Idem.*

METR. 6. *Novimus, &c.*] In hoc Carmine perstringit immanitatem Neronis, horrendosque cruciatus et exempla, quae in fratrem, matrem, alios denique edidit, evidenter recenset. *Idem.*

Novimus quantas dederit ruinas] Neque tamen impune. Dignum enim sceleribus suis vitae terminum *μητροκτόνος* iste posuit. Ausonius: 'Matri-cida Nero proprio se perculit ense.' *Idem.*

Urbe flammata] Incendium Romae respicit; a Nerone procuratum, si Suetonio credimus, Nerone cap. xxxviii. Tacitus caute Annal. xv. 'Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum; nam utrumque Auctores prodidere; sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignem acciderunt, gravior atque atrocior.' *Bernart.*

Urbe flammata] Vide Sueton. lib. vi. Statius in Genethliaco Lucani, libro II. Sylvar. 'Dices culminibus Remi vagantis Infandos Domini nocentis ignes.' *Sitzm.*

Patribusque caesis] Vide praeter Sue-

tonium, Tacitum lib. xvi. Annalium. *Idem.*

Fratre] Britannico scilicet. Cum enim Nero matris Agrippinae artibus a Claudio adoptatus fuisset, proprioque filio Britannico ex Messalina nato praelatus: eum Nero adolescentulum prius stupro pollutum, mox inter sacra mensae veneno tam lethali repetitum sustulit, ut eo statim sumpto vox pariter et spiritus ejus raperentur. Fratricidium hoc infandum Tacitus lib. Annalium XIII. Suetonius et Dion in Nerone exponunt. *Vallin. Bernart.*

Fratre qui quondam] De Britannico loquitur, quem Nero veneno aggressus est. Senec. in Oct. vs. 240. 'Spiritus fratri abstulit.' Eutropius lib. vii. 'Parricidia multa commisit, fratre, uxore, matre interfectis.' *Sitzm.*

Matris effuso maduit cruore] Huc refer argutissimum mordacissimumque Epigramma quod extat apud Suetonium lib. vi. 'Quis negat Aeneae magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.' *Idem.*

Corpus et visu gelidum pererrans] Id ne fecerit dubium relinquere Tacitus maluit: cum tam propudiosum facinus hominem, nedum Romanum principem admisisse sibi quidem persuadere non posset ut crederet. Sed cur Suetonius vulgavit? 'Adduntur,' inquit, 'his atrociora, nec incertis auctoribus, ad visendum interfectae' matris 'cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse.' Sed o pudet verborum Dionis! *Μαθὼν δὲ ὁ Νέρων ὅτι τέθνηκεν, οὐκ ἐπίστευσε. ὑπὸ γὰρ τοῦ μεγέθους τοῦ τολμήματος ἀπιστία αὐτῷ ὑπεχύθη, καὶ διὰ τοῦτο αὐτόπτης ἐπεθύμησε τοῦ πάθους γενέσθαι. καὶ αὐτὴν τε πᾶσαν εἶδε γυμνώσας, καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπεσκέψατο. καὶ τέλος, πολὺ καὶ τοῦ φόβου ἀνοσιώτερον ἔπος ἐφθέγγετο. εἶπε γὰρ ὅτι Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον.* Ita certe

est; occidisse minus fuit. *Vallin.*

Corpus et visu gelidum pererrans] Suetonius lib. vi. 'Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus, ad visendum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta hibisse.' *Sitzm.*

Sed esse Censor extincti potuit decoris] Tacitus Annal. xiv. 'Adspexitne matrem exanimem Nero, et formam corporis ejus laudaverit, sunt qui tradiderunt, sunt qui abnuunt.' *Bernart.*

Extincti ... decoris] 'Integer decor,' apud Vegetium lib. iv. cap. 9. De re militari: 'Maluerunt enim pudicissimæ feminæ deformato ad tempus capite libere vivere cum maritis, quam hostibus integro decore servire.' *Sitzm.*

Quos videt condens] Virgil. i. Georg. 'Sol quoque et exoriens, et cum se condet in undas Signa dabit.' Senec. in Troad. vs. 381. 'Quicquid Sol oriens, quicquid et occidens Novit: cæruleis Oceanus fretis Quicquid vel veniens, vel fugiens lavat, Ætas Pegasæo corripit gradu.' In Herc. Fur. vs. 871. 'Tibi crescit omne Et quod occasus vidit, et quod ortus.' *Idem.*

Quos premunt septem g. t.] Senec. in Herc. Fur. vs. 129. 'Signum celsi glaciale poli, Septem stellis Arcades ursæ Lucem verso temone vocant.' *Idem.*

Septem triones] Quod ἑπτάτριον Græci, 'Septentriones' Latini vocant. Ad Agell. lib. ii. cap. 21. *Idem.*

Heu gravem sortem] Ovid. De Ponto, Eleg. 9. 'Queror, o jucunde sodalis, Accedunt nostris sæva quod arma malis.' *Idem.*

Gladius veneno] Cum enim Nero ter matrem veneno tollere tentasset, sensissetque antidotis præmunitam; ubi eam neque naufragio quoque, neque navis solutilis ruina opprimere potuit, missus Anicetus, gladio occi-

dit. Tacitus, Suetonius, Dion. *Vallin.*

PROSA 7. *Materiam gerendis rebus optavimus*] Secus fecit Plato, qui ad Rempub. accedere noluit, licet maxime civilis esset. Vide Diog. Laërt. lib. iii. Et Arcesilaus omne tempus vixit in Academia, Reipub. negotia fugiens. Vid. eund. lib. iv. *Idem.*

Quæ quam sit exilis] De resecando amore laudis humanæ vide Augustin. lib. v. de Civit. Dei, cap. 13. et plurimis locis Homiliarum suarum D. Joan. Chrysostomus κενοδοξίαν insecatur. *Idem.*

Omnem terræ ambitum] Macrobius lib. ii. in Somn. Scip. cap. 9. 'Ideo terræ brevitatis tam diligenter asseritur, ut parvi pendendum ambitum famæ vir fortis intelligat, quæ in tam parvo magna esse non poterit, ut contentus potius conscientie præmio gloriam non requirat.' *Idem.*

Puncti] Hoc ante scripserat Cicero Tuscul. Quæst. lib. i. 'Persuadent enim mathematici terram, in medio mundi sitam, ad universi cæli complexum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant.' Quem locum imitatus est Amm. Marcellinus lib. xv. et Plinius libro ii. cap. 68. Quod demonstrat Ptolemæus magnæ συντάξεως lib. i. cap. 6. et ad eum locum Thoon. Imo, 'Omnis terra,' inquit Macrobius cap. 9. lib. ii. in Somnium Scipionis, 'ad quemvis cælestem circulum, quasi centrum, puncti obtinet locum.' *Vallin.*

Puncti constat obtinere rationem] Ammian. Marcellin. lib. xv. 'Ambitus terræ totius quæ nobis videtur immensa, ad magnitudinem universitatis instar brevis obtinet puncti.' Martial. Capella, lib. vi. De Nupt. Philolog. 'Tellus, quæ rapidum consistens suscipit orbem, Puncti instar medio hæserat una loco.' *Sitzm.*

Quarta fere portio] Vide Macrobius lib. ii. in Somn. Scip. cap. 5. Lud. Vivem, in Comment. ad Augustin.

lib. XVI. De Civit. Dei, cap. 9.
Idem.

Ptolemæo probante] Initio lib. II. magnæ Σιυτράξεως, cui consentit Plinius eod. loco: quem quia respexisse videtur hic Boëtius, tu quoque inspicere. Eam tamen habitati orbis rationem Veteribus creditam, minus veram fuisse, jamdudum nautarum nostrorum docuit crebris navigationibus parta experientia. *Vallin.*

Loquendi diversitate] Vide B. Augustin. lib. XIX. de Civit. Dei, cap. 7. *Sitzm.*

Ætate denique Marci Tullii, sicuti ipse quodam loco significat] In somnio Scipionis. 'Ex his ipsis,' inquit, 'cultis notisque terris, num aut tuum aut cujusquam nostrum nomen ultra Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnatare?' *Bernart.*

Sicut ipse quodam loco significat] In libro scilicet de Somnio Scipionis. Macrobius libro secundo, capite decimo: 'Gangem transnare, vel transcendere Caucasum Romani nominis fama non valuit.' *Sitzm.*

Quodam loco] Libro VI. de Repub. in Somnio Scipionis. *Vallin.*

Caucasum] Jordanus de Rebus Geticis ita describit Caucasum: 'Cujus montis quia facta iterum mentio est, non ab re arbitror ejus tractum situmque describere, quando maximam partem orbis noscitur circuire jugo continuo. Is namque ab Indico mari surgens, qua meridiem respicit, sole vaporatus ardescit. Qua septentrioni patet, rigentibus ventis est obnoxius et pruinis. Mox in Syriam curvato angulo reflexus, licet amnium plurimos emittat; in Asianam tamen regionem Euphratem Tigrimque navigeros ad opinionem maximam perennium fontium copiosis fundit uberibus. Qui amplexantes terras Assyriorum, Mesopotamiam et appellari faciunt, et videri, in sinum Maris Rubri fluentia deponen-

tes. Tunc in Boream revertens, Scythiam terram jugum antefatum magnis flexibus pervagatur: atque ibidem opinatissima flumina in Caspium mare profundens, Araxen, Cyssum, et Cambysen, continuatoque jugo ad Riphæos usque montes extenditur. Indeque Scythicis gentibus dorso suo terminum præbens, ad Pontum usque descendit: consortisque collibus Histri quoque fluentia contingit, quo amnis scissus delihcens, in Scythia quoque Taurus vocatur. Talis ergo tantusque et pæne omnium montium maximus excelsas suas erigens summitates, naturali constructione præstat gentibus inexpugnanda munimina.' *Sitzm.*

Quam multos clarissimos sui temporis] Hac querimonia utitur etiam Sallust. in Catil. huncce in modum verba faciens: 'Provenere ibi magna scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At populo Romano nunquam ea copia fuit: quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optimus quisque facere, quam dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.' Horat. IV. Carm. Od. 9. 'Vixere fortes ante Agamemnona Multi: sed omnes illacrimabiles Urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro.' *Idem.*

Quod si ad æternitatis inf.] Vide Macrobius lib. II. in Somn. Scip. c. 10. et quæ notavi ad fin. lib. V. *Idem.*

Vos autem nisi ad populares auras] Mss. *Vos autem nisi ad populares aures.* Videtur tamen recepta lectio esse plausibilior, quam confirmat illud Senecæ in Herc. Fur. vs. 179. et seqq. 'Illum populi favor attonitum, Fluctuque magis mobile vulgus Aura tu-

midum volvit inani.' *Idem.*

Inanesque rumores] Alcimus Avitus lib. ad Fuscinaam sororem: 'Una tibi modo constiterit mens conscia recti, Neglige quid de te rumor divulget inanis.' *Idem.*

Relicta conscientia, virtutisque] Juvenal. Sat. x. 'Tanto major famæ sitis est, quam Virtutis: quis enim virtutem amplectitur ipsam Præmia si tollas?' Ovid. II. de Ponto, Eleg. 3. 'Nec facile invenies multis in millibus unum, Virtutem precium qui putet esse sui.' Pub. Syrus: 'Conscientiæ potius quam famæ attende- ris.' Plinius Secundus lib. I. Epist. 8. 'Meminimus quanto majore animo honestatis fructus in conscientia quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet.' Et Epist. 22. lib. eod. 'Magnitudo animi nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: recteque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit.' *Idem* lib. III. Epistol. 20. 'Multi famam, conscientiam pauci verentur.' Macrobius lib. II. in Somn. Scip. cap. 10. 'Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria.' Ennodius Ticinensis, in Panegyri. Theodorico dicto: 'Rex meus vitam agat ex fructu conscientia, nec requirat pomposæ vocabula nuda jactantia.' B. August. lib. XII. De Civ. Dei, cap. 8. 'Nec jactantia vitium est laudis humanæ, sed animæ perverse amanti laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientia.' D. etiam Basilii in Orat. De Poëtar. Orator. Historicor. et Philosophor. scriptis legendis, ait: 'Nihil est quod æque fugere sapiens debeat, quam ad ostentationem vivere.' *Idem.*

De alienis præmia sermunculis postulatis] Plinius, 'ut sermunculis etiam et fabulis ducantur.' *Bernart.*

Intelligisne me esse Philosophum] Mss. et edit. Florent. *Intelligis me esse philosophum? ne omissio.* Iusipi-

entem vero sophum! qui propriae laudis studiosior patientiam suam verbis gloriosis adornavit. Næ! quod admiratione dignum referente alio fuisset, ipso, qui injurias pertulerat, recensente, evanuit. *Sitzm.*

Intellexeram, inquit, si tacuisses] Eximie eximius ille sapientum. Proverb. cap. 17. 'Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus vir eruditus. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur; et si compresserit labia sua, intelligens.' *Bernart.*

Quid autem est, quod ad præcipuos viros] Atqui alia mens fuit Platoni, qui optabat memoriam sui vel in amicis, vel in litteris vigere superstitem, teste Laërtio lib. III. Pindarus Olymp. Od. 7. 'Ο δ' ὄλβιος, ὃν Φᾶμαι κατέχοντ' ἀγαθαί. Silius Ital. lib. XIII. 'Ipsa quidem Virtus sibimet pulcherrima merces, Dulce tamen venit ad manes cum gloria vitæ Durat apud Superos, nec edunt oblivia laudem.' Ang. Politianus in Sylva, cui titulus Ambra: 'Namque licet Virtus semet contenta quiescat, Sola tamen justos Virtus assciscit honores, Solaque se merito laudum fulgore coronat.' Philosophos vero qui negant appetendam gloriam esse, eamque rectius a Virtute, velut minime necessariam negligi autumant, ingeniose refellit ille ipse Politianus in Præfatione ad Suetonium. Marquardus item Freherus, egregius nostri ævi Jurisconsultus, lib. II. de Fama, cap. 9. n. 3. De duplici gloria, cui integrum, legat Manuelem Palæologum, in Instit. Regia, Orat. 2. *Sitzm.*

Quicumque, &c.] Hoc Carmine graviter invehitur in eos, qui, quoniam vita ipsa, qua fruuntur, brevis est, memoriam sui quam maxime longam efficere conantur. *Idem.*

Licet remotos fama per pop.] Senec. in Herc. Fur. vs. 91. 'Alium multis gloria terris Tradat, et omnes fama

per urbes Garrula laudet, cæloque parem Tollat, et astris.' *Idem.*

Et magna titulis fulgeat claris domus] Silius lib. 4. 'Multusque in imagine claris Præfulgebat avus titulis.' Senec. in Oct. vs. 602. 'Simulacra, titulos destruit.' *Idem.*

Mors spernit altam gloriam] Vetus quidem, nimis tamen verum verbum est, 'omne humanum genus histriioniam in terris agere.' Posteaquam enim personam quam Deus nobis imposuit exsuimus, vitæque privati sumus, mista divitum et pauperum funera densantur, nullumque caput sæva fugit Proserpina. Sibylla Scipioni fata reclusura apud Silium Italic. lib. XIII. 'Hic tenebras agitant volitantque per umbras Innumeri quondam populi, domus omnibus una. In medio vastum late se tendit inane, Huc quicquid terræ, quicquid freta, et igneus æther Nutrivit primo mundi genialis ab ævo, Mors communis agit: descendunt cuncta, capitque Campus iners quantum interiit, restatque futurum.' *Idem.*

Involvit humile pariter ac celsum caput] Pindarus Nem. Od. 7. 'Ἀφνεός τε πενιχρός τε θανάτου Παρὰ σᾶμα νέονται. Lucretius lib. III. de Scipione: 'Ossa dedit terræ proinde ac famul infimus esset.' Horat. Carm. I. Od. 4. 'Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres.' *Id.*

Æquatque summis infima] Claudian. de Raptu Proserpinæ lib. II. vs. 300. 'Sub tua purpurei venient vestigia Reges, Deposito luxu turba cum paupere misti. Omnia Mors æquat.' Silius Ital. lib. XIII. 'Cræsi mox advolat umbra Dives apud superos, sed mors æquarat egenis.' *Idem.*

Fidelis Fabricii] Merito 'fidelis' nuncupandus, qui muneribus Pyrrhi Regis Epirotarum, promissa etiam quarta parte regni, a Romulea civitate non potuerit divelli, sed potius ibi in sua paupertate privatus manere voluerit. Quid? qui etiam in-

ensissimo patriæ hosti æquus fuerit? 'eam' sciens 'veram esse victoriam, quæ salva fide et integra pietate pararetur;' planeque respuens illud Poëtæ: 'Dolus an virtus quis in hoste requirat?' Istud vero verius: Cum vicina castra ipse et Rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens se Pyrrhum veneno occisurum, si sibi quicquam pollicitaretur; Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quæ contra caput ejus medicus spondisset. Quam magnanimitatem fidelitatemque Rex admiratus, dixisse fertur: 'Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a suo cursu averti posset.' Quid idem dixerit feceritque C. Fabricius, cum ei Samnites, tanquam indigenti, grave aurum donarent, docet Agellius libro I. cap. 14. De hoc etiam Claudian. de Bello Getico, vs. 131. 'Et nulli pervia culpæ Pectora Fabricii, donis invicta vel armis.' Vide præterea Florum libro I. cap. 18. Senecam Epistol. 120. Martial. lib. II. Epig. VI. Aurel. Vict. de viris illustribus urbis Romæ, Lactant. lib. VI. Divin. Institut. cap. 6. in fin. B. Augustin. De Civit. Dei lib. V. cap. 18. Salvian. lib. I. De Gub. Dei, Manil. libro I. Astron. multosque alios. *Idem.*

Brutus] Senec. in Oct. vs. 489. istius Bruti meminit, qui cum aliis interfecit Cæsarem: 'Brutus in cædem ducis A quo salutem tulerat armavit manus.' Facile autem statuerim, nostrum Auctorem non loqui de isto, sed intelligere L. Brutum, qui Tarquiniis expulsis libertatem Romanis asseruit, de quo Claudianus lib. 2. de Laudib. Stiliconis vs. 320. 'Libertas populi primo tunc consule Bruto Reddita perfascies, his fascibus expulit ipsis Servitium.' Et argutissime Casanova: 'Natorum cæde orbasti te nomine patris, Cerneret ut verum te tua Roma patrem. Et

semel optasti pulcram per vulnera mortem, Ut nullo posses tempore Brute mori.' *Idem.*

Cato] Ad Censorium aut Uticensem respicit. Fuerunt et alii, sed minus clari Catones, quos Sulpitius Apollinaris sigillatim enumerat, apud Agellium lib. 13. cap. 18. *Idem.*

Signat superstes] Primo perit homo, inde cadaver, deinde nomen ipsum. Nec saltem hoc fit in homine, sed etiam in celebribus urbibus. Reipub. Romanæ forma et materia periit: vix nomen adhuc superest. *Idem.*

Inane nomen] Hannibal apud Silium lib. III. 'Et pace et bello cunctis stat terminus ævi, Extremumque diem primus tulit: ire per ora Nomen in æternum paucis mens ignea donat, Quos Pater æthereis Cælestum destinat oris.' *Idem.*

Vocabula] Nomina. Cic. 10. Epist. Famil. 'Crede igitur, mi Plance, omnes quos adhuc gradus dignitatis consequutus sis (es autem adeptus amplissimos) eos honorum vocabula habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi Romani, et cum senatus auctoritate conjunxeris.' Solinus cap. 41. de appellationibus montis Tauri agens: 'Ad hæc vocabula multa habet alia.' Apuleius libro II. Metam. 'Hic, utpote vivus quidem, sed tantum sopore mortuus, quod eodem mecum vocabulo nuncupetur, ad suum nomen ignarus exurgit.' Arnobius lib. VI. 'Cum vocabulum templo daret.' Cassiod. x. Var. 12. 'Minorum fluminum vocabula major amnis absorbet.' Silius in princip. lib. 5. 'Lydius huic genitor Tmoli decus, æquore longe Mæoniam quondam in Latias advexerat oras Tyrrhennus pubem, dederatque vocabula terris.' Prudentius Peristeph. Hymn. I. 'Scripta sunt cælo duorum martyrum vocabula, Aureis quæ Christus illic annotavit litteris.' *Idem.*

Jam vos secunda mors manet] In Epigrammate Sulpitii Carthaginiensis de Æneide Virgilio: 'Infelix gemino cecidit prope Pergamon igne, Et pæne est alio Troja cremata rogo.'

PROSA 8. *Sed ne me inexorabile contra fortunam gerere bellum putes*] Johannes Saresberiensis in Policratici lib. v. cap. 10. 'Ne tamen cum his me bellum inexorabile gerere putes; munera Curiales licenter accipiant, dum non extorqueant impudenter.' *Sitzm.*

Amicos invenisti] Epaminondas non prius discessit e foro quotidie, quam novum aliquem amicum ad veteres adjecisset. Ælian. lib. 14. Variar. Hist. cap. 8. Et Alexander interrogatus a quodam in quo loco essent thesauri ipsius, demonstravit amicos: vide Chreian I. Progymnasmat. Libanii Sophistæ. Manil. lib. 4. 'Iccirco nihil ex semet Natura creavit Pectore Amicitia majus, nec rarius unquam.' *Idem.*

METR. 8. *Quod mundus, &c.*] Hoc Carmen potissimum illustrabit Apuleius de Mundo, ubi de Elementorum concordia disserit. Item Arnobius in princip. lib. I. Adversus Gentes. *Idem.*

Concordes variat vices] Manil. libro 1. 'Omnia concordie tractu veniuntque caduntque Qua semel incubuit cælum, versumque resurgit.' *Idem.*

Quod pugnantia semina] Quintil. Declamat. 4. 'Dissentientia' appellat 'primordia.' Claudian. de Raptu Proserp. lib. 1. vs. 42. 'Pæne reluctatis iterum pugnantia rebus Rupissent elementa fidem.' Prudent. lib. II. Contra Symmach. 'Servant elementa suum pugnantia cursum.' Cassiodor. lib. II. Var. 39. 'Merito dicunt Philosophi elementa sibi mutuis complexionibus illigari, et mirabili conjungi fœderatione, quæ inter se contraria intelliguntur varietate pugnare.' Martian. Capella libro primo Nupt. Philolog. de Hymenæo:

‘Semina qui arcanis stringens pugnantia vinclis, Complexuque sacro dissona nexa foves: Namque elementa ligas vicibus, mundumque maritas: Atque anram mentis corporibus socias. Fœdere complacito sub quo Natura jugatur, Sexus concilias et sub amore fidem.’ *Idem.*

Fœdus perpetuum tenent] Lucret. lib. 5. ‘Doceo dictis quo quæque creata Fœdere sint, nec quam sit durare necessum, Nec validas ævi valeant rescindere leges.’ *Idem.*

Phæbe noctibus imperet] Lactant. de Ira Dei, cap. 13. ‘Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, et amissi ac recepti luminis vicibus menstrua spacia moderatur, et cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat, ut æstiva itinera et expeditiones et opera sine labore ac molestia confici possint.’ *Idem.*

Avidum mare] Lucret. lib. 1. ‘Efficit ut longis avidum mare fluminis undis Integrent amnes.’ *Idem.*

Certo fine] Propert. l. III. Eleg. 4. vs. 59. ‘Suos fines altum non excat æquor.’ *Idem.*

Latos tundere terminos] Ms. Erfurt. et Edit. Norim. *Latos tendere terminos.* Alteram tamen lectionem rectam esse, probo hinc Tibull. lib. II. Eleg. 4. ‘Cautes obnoxia ventis Naufraga quam vasti tunderet unda maris.’ Minutius Felix: ‘Ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens leni aura tundeat.’ Prudentius Cathm. Hymno 7. ‘Qua murmuranti sine fluctus frangitur, Salsosque candens spuma tundit pumices.’ *Idem.*

Cælo imperitans amor] In animo habuit versus illos Empedoclis, qui exstant in Com. Simplicii ad 1. Phys. quibus omnia cœlestia inferioraque regi temperamento illo τῆς φιλίας καὶ τοῦ νεύκου ‘amoris ac litis’ scribit. ‘Cælo imperitans amor.’ Deos quoque, inquit ille, amor ligat. Καὶ τε θεοὶ δολιχαῶνες τιμῆσι φέριστοι. ‘Dii

quoque longævi præstantes laudibus.’ *Vallin.*

Hic si frena remiserit] Phædrus l. 1. Fab. 2. ‘Frenumque solvit pristinum licentia.’ Silius lib. 1. ‘Hæc postquam Tyrio gentes cessere tyranno, Utque dati rerum freni.’ Hinc ‘Frenare,’ pro regere. Val. Flaccus lib. 1. ‘Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis, Jam gravis, et longus populis metus.’ Senec. in Medea, vs. 3. ‘Quæque domitorem freti Tiphyn novam frenare docuisti ratem.’ In Agamemnone vs. 201. ‘Regina, frena temet, et siste impetus.’ *Sitzm.*

Bellum] Cassiodor. I. Var. 30. ‘Inter ipsos adversarios, ut scitis, non erant prius armata certamina, sed pugnis se, quamlibet fervida, lacescebat intentio. Unde et pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari.’ *Idem.*

Populos quoque Junctos fœdere continet] Seneca in Medea de Venere: ‘Quæ das belligeris fœdera gentibus.’ Hinc pertinet exclamatio illa Sili Italici, libro XIII. ‘Fœdera mortales ne sævo rumpite ferro, Sed castam servate fidem: fulgentibus ostro Hæc potior regnis. Dubio qui frangere rerum Gaudebit pacta, ac tenues spes relinquere amici, Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit Unquam expers luctus, lacrimæque, aget æquore semper Ac tellure premens, aget ægrum nocte dicque Despecta ac violata fides: adit omnia jamque Concilia et mensas contingit, et abdita nube, Accumbitque toris, epulaturque improba Erinnyis. Ipsa etiam Stygio spumantia pocula tabo Porrigit, et large pœnas lethumque ministrat.’ *Idem.*

Hic et] Ita Claudian. de Fide, lib. II. de Laudibus Stiliconis, vs. 38. ‘Hæc et amicitias longo post tempore firmat, Mansuroque adamante ligat.’ *Idem.*

Hic et conjugii sacrum] Salvianus lib. VII. De Gub. Dei: 'Venerabilis conjugii sacramentum.' Seneca in Agamemnone vs. 79. 'Jura pudor-que Et conjugii sacrata fides Fugiunt aulas.' *Idem*.

Conjugii] Evagabor, vel vocabuli hujus causa, quod mihi valde arridet. Arnob. lib. II. Advers. Gentes: 'Conjugalia copulatis consortia, non futura esse credentes casta et officiosi fœderis in maritos?' Hæc Arnobius. Unde disco, 'Conjugalia consortia' poni pro ipsis conjugibus, qua significatione boni Auctores usurpant vocem 'Conjugium. Helena apud Senecam in Troade, ad Andromacham: 'Tale conjugium tibi Non ipsa sospes Troja, non Priamus daret.' Propertius lib. III. Eleg. 12. 'Et certamen habent lethi, quæ viva sequatur Conjugium; pudor est, non licuisse mori.' Ovidius in Epist. Heroid. 'Hæc ego conjugio fraudata Thoantias oro.' Seneca in Troad. vs. 59. et seq. pulcre variat: 'Hic Hectoris conjugia despondet sibi, Hic optat Heleni conjugem, hic Antenoris.' Aurelius Victor de Romulo: 'Cum videret conjugia deesse, per legatos a finitimis civitatibus petiit.' Cassiodorus lib. V. Variar. 43. 'Nulli æstimamus nos

aliquid simile contulisse, quam quod germanam nostram vestrum fecimus esse conjugium: feminam prudentiam vestræ parem.' Ita etiam accipio illa Alcimi Aviti libro de Origine Mundi: 'Femina persistat de semine sumpta virili Conjugio servare fidem.' Hæc de Conjugalibus consortiis sive conjugio. Nunc in viam liber reflectam. *Idem*.

Castis nectit amoribus] Seneca in Octavia versu 189. 'Amor perennis conjugis castæ manet.' *Idem*.

Hic fides etiam sua Dictat jura sodalibus] Convenienti iteratione utitur Cassiodorus libro quinto Variarum 40. 'Hæc inter socios amicitiam servat; hæc dominis pura integritate famulatur; hæc supernæ majestati reverentiam piæ credulitatis impendit: et si beneficium tantæ rei latius quæras, incommutabilis fidei est omne, quod bene vivitur.' *Idem*.

Fidis sodalibus] Prudentius Peristephanon Hymno 1. 'Hic duorum chara fratrum convalescunt pectora, Fida quos per omne tempus junxerat sodalitas.' *Idem*.

Amor, Quo cælum regitur] Quem *θείαν φιλότητα* appellavit Oraculum apud Ælium Variæ Historiæ 2. *Idem*.

LIBER III.

METR. 1. *Qui serere ingenuum volet agrum*] Prudent. Cathem. Hymn. 3. 'Fundit opes ager ingenuas Dives aristiferæ segetis.' Probati scriptores varie et frequenter voce 'ingenii' utuntur. 'Ingenium loci,' Florus lib. II. cap. 2. Statius II. Sylvar. 'collis,' Silius lib. IV. 'metalli,' Apuleius IX. Metam. 'herbarum,' Tertullianus de Habitu. Muliebri. 'venti,' Politianus in Rustico. 'lympharum,'

Claudianus de Crystallis. Observandum et illud apud eundem de Bello Getico vs. 227. 'Utque est ingenio-que loquax, et plurima fingi Permittens credique timor.' *Sitzm*.

Filicemque resecat] Ms. Rittersh. *felicemque res*. Flav. Caper: 'Felicem, non felicem dicere debemus: unde et filicata opera dixerunt celata.' Virg. II. Georg. 'Et filicem curvis invisam pascit aratris.' Colu-

mella lib. II. 'Felix quoque aut cærex ubicunque nascitur, Augusto mense recte exstirpatur, melius tamen circa Idus Julias, ante caniculæ exortum.' *Idem.*

Gravis Ceres eat] Martianus Capella, lib. I. de Nupt. Philol. 'Cum his grata Ceres admodum gravis femina, alumnaque terrarum ac nutrix mortaliū videbatur.' *Idem.*

Dulcior est apium mage labor] Casiodor. Variar. x. Epist. 33. 'Dulcior solet esse gratia, post amaritudines expiatas.' *Idem.*

Si malus ora prius sapor edat] 'Ἐπαλαγή, pro, si ora prius imbuantur malo sapore.' *Idem.*

Imbriferos dare sonos] 'Imbriferum anhelitum' vento attribuit Prudentius Cathemer. Hymno 4. *Idem.*

Roseos agit equos] 'Agere' interdum verbum est cursorium. Lucret. lib. III. 'Currit agens mannos in villam præcipitanter.' Manilius lib. v. 'Aut mulos aget, aut mannos, mistosque jugabit Semine quadrupedes, aut curru celsior ibit.' Aurelius Victor, de Tullia: 'Cum domum rediret, viso patris corpore, milionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere præcepit.' Q. Curtius lib. VIII. 'Illi, qui currus agebant, illud ultimum auxilium suorum rati, effusis habenis in medium discrimen ruere cœperunt.' Et 'Agitare.' Virg. III. Georg. 'Centum quadrijugos agitabo ad flumina curus.' Propertius lib. II. Eleg. 15. vs. 32. 'Et citius nigros Sol agitabit equos.' *Idem.*

PROSA 2. *Id autem est bonum, quo quis adepto*] B. August. de Civit. Dei lib. VIII. cap. 8. 'Reliqua est pars moralis, quam Græco vocabulo dicunt ἠθικὴν, ubi quæritur de summo bono: quo referentes omnia quæ agimus, et quod non propter aliud, sed propter se ipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil quo beati simus ulterius requiramus. Ideo quippe et

finis est dictus, quia propter hunc cetera volumus: ipsum autem non, nisi propter ipsum.' Vide totum caput, quod maxime facit ad illa, quæ mox in nostro sequentur auctore. Item lib. XIX. cap. 1. 2. 3. et 4. *Idem.*

Hi vel belli] Quod fecit Jul. Cæsar, qui sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. Vide B. Augustin. lib. v. de Civit. Dei, cap. 12. *Idem.*

Favor popularis] Petron. Arbitr. 'Nullos trepidum timere casus, Nec vano populi favore tangi.' Symmachus lib. IV. Epist. 61. 'Quare ex summis opibus juva Romani animi speciosum calorem; venturus in partem popularis favoris, si nobis ex tuo beneficio celebrior fama provenerit.' Quam facile autem populus capiatur, palpoque obtruso in diversa rapiatur, demonstrat et deplorat Aristophanes in Equitibus, Act. 3. Scen. 2. Unde ob hanc inconstantiam Euripo eleganter ab optimis auctoribus, ut Cicerone et aliis, comparatur. *Idem.*

Quæ quidem sola consid. Epicurus] Vide B. August. lib. XIX. de Civit. Dei, cap. 1. *Idem.*

METR. 2. *Quibus immensum Legibus orbem pr. s.*] Statius libro III. Sylvar. 'Quid enim terrisque poloque Parenti sine lege manet.' *Idem.*

Pæni leones] Africani, quorum major est feritas et sævitia. Vide Solin. cap. 30. et Oppian. Cynegetic. Seneca in Hippolyt. vs. 347. 'Pæni quatunt colla leones Cum movit amor.' Similia fere verba sunt apud Statium II. Achill. quem noster imitatur: 'Ut leo materno cum raptus ab ubere mores Accepit, pectique comas, hominemque vereri Edidicit, nullasque ruit nisi jussus in iras: Si semel adverso radiavit lumine ferrum, It jurata fides, domitorque inimicus in illum Prima fames, timidoque pudet servire magistro.' Senec.

Ep. 86. 'Tigres Leonesque nunquam feritatem exuunt, aliquando submitunt, et cum minime expectaveris, exasperatur tarditas mitigata.' *Idem.*

Metuantque trucem Soliti verbera ferre magistrum] Ex illo Martialis lib. II. Epigram. 75. 'Verbera securi solitus leo ferre magistri.' *Idem.*

Imbuit iras] Multiplex usus hujus verbi ex sequentibus patebit. Senec. in Herc. Fur. vs. 455. 'Primus sagittas imbuit Phœbi Draco.' Lucretius lib. VI. 'Multaque præterea prius ipso tacta vapore Eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignis.' Propertius libro IV. 'Imbnis exemplum primæ tu, Romule, pugnae.' Phalaris Perillo, apud Ovid. III. Trist. Eleg. 11. 'Ipse tuum præsens imbue, dixit, opus.' Martialis lib. VII. Epig. XXV. 'Hoc facetum carmen imbuant anres.' Silius Ital. lib. III. 'Virgineis juvenem tedis, primoque Hymenæo Imbuerat conjux, memorique tenebat amore.' Val. Flaccus lib. II. 'Sævitur amor, thalamos excussaque vincla quod ausæ Imbuere, atque iterum tales admittere curas.' *Idem* lib. III. de Tripotemo: 'Ignaras Cereris qui vomere terras Imbuit, et flava quercum donavit arista.' C. Plinius Secundus libro VIII. Epist. 14. 'Adulescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur.' Vegetius libro tertio, capite nono: 'Sed ante minoribus præliis imbuendi.' Q. Curtius libro sexto de Alexandro: 'Jacere humi venerabundos pati cœpit, paullatimque servilibus ministeriis tot victores gentium imbuere, et captivis pares facere expetebat.' Cassiodorus lib. VIII. Variar. 12. 'Grues, qui classem consociant, alphabeti formas, natura imbuente, describunt.' 'Imbui dapibus,' Prudentius in Psychomachia. *Idem* Cathemer. Hymno 3. dixit: 'Nec juvat ore quid appetere, Pocula ni prius atque cibos Christe tuus favor imbuerit, Omnia

sanctificante fide.' *Idem.*

Quæ canit altis garrula ramis] Sen. in Œd. vs. 454. 'Garrula per ramos avis obstrepit.' In Herc. Fur. de Philomela: 'Pendet summo stridula ramo.' *Idem.*

Pedibus proterit escas] Prudent. Peristephi. Hymn. 3. 'Idola protero sub pedibus.' Claud. de Rapt. Proserp. lib. I. vs. 129. 'Pedibus quæ nondum poterit escas.' *Idem.*

Sylvas tantum mæsta requirit] Ovid. lib. II. de Ponto, Eleg. 4. 'Cum bene sint clausæ cavea Pandione natæ, Nititur in sylvas quæque redire suas.' *Idem.*

Cadit Hesperias Phæbus in undas] Seneca in Thyest. versu 791. 'Cur Phœbe tuos rapis aspectus? Nondum seræ nunciis horæ, Nocturna vocas lumina vesper: Nondum Hesperia flexura rotæ Jubet emeritos solvere currus.' *Idem.*

Hesperias . . . undas] Quas 'Phœbæa cubilia' nominat Silius libro tertio: 'Non aliter quoties perlabitur æquora curru Extremamque petit Phœbæa cubilia Tethyn Frenatis Neptunus aquis.' *Idem.*

Repetunt proprios quæque recursus] Senec. Epist. 36. 'Observa orbem rerum in se remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam adducit. Hiems cecidit, referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste discursus quicquid præteriit, repetit, pars cæli levatur assidue, pars mergitur,' &c. *Idem.*

Stabilemque sui fecerit orbem] Planudes reddidit male ὁ δὲ γὰρ στάσιμοι τὸν δρόμον ἔξει. Hujus loci hic sensus est: Is orbis seu potius circulus perfectus demum est, cujus extrema junguntur: data enim aliqua ejusdem continuitatis solutione et interruptione, certum est circulum esse desinere: ideoque ut verus circulus

constet, fini jungi initium necesse est. Sic animæ nostræ peregrinationis atque errorum suorum aubages, dum vivitur, absolventi, nulla quies esse debet, donec motu sibi naturali ad summum bonum, hoc est, ad Deum pervenerit; et veluti orbem stabilem a Deo creatore ad Deum quo fruendum est, quique solus est et stat, effecerit. Hinc alibi noster, ‘Hic est cunctis communis amor, Repetuntque boni fine teneri, Quia non aliter durare queant Nisi, converso rursus amore, Refluant causæ quæ dedit esse.’ Hic nimirum est vitæ κύκλος. Empedoclis versus exprimit, qui sunt apud Simplicium: et locum Aristotelis l. VII. Phys. ante medium. *Vallin.*

PROSA 3. *Nam si hæc hians semper atque aliquid poscens*] Ms. Rittersh. *Nam si hæc inhians, &c.* Ita Seneca in *Hercul. Fur.* versu 107. ‘Hic nullo fine beatus Componit opes, gazis inhians.’ *Sitzm.*

Avaritiæ nihil satis est] Apposite Theognis, vs. 227. et seqq. Πλούτου δ’ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισιν. Οἱ γὰρ νῦν ἡμῶν πλεῖστοι ἔχουσι βίον, Διπλάσιον σπεύδουσι. τίς ἂν κορέσειεν ἀπαντας; Sallustius in *Bello Catil.* ‘Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animique virilem effeminat; semper infinita, insatiabilis est; neque copia neque inopia minuitur.’ Publius Syrus: ‘Avarum irritat, non satiat pecunia.’ Idem: ‘Inopiæ desunt pauca, avaritiæ omnia.’ Scytharum Legatus ad Alexandrum, recensente Q. Curtio libro septimo: ‘Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, ut quo plura haberes, acrius, quæ non haberes, cuperes.’ Cassiodorus lib. XII. *Variar.* l. ‘Reginam illam procacium vitiorum Avaritiam fuge, cui cuncta crimina detestabili devotione famu-

lantur. Quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria. Agmen habet blandissimum; arma suscipit ex talentis, et per dulcedinem superat, quos amara deceptione captivat.’ Idem lib. IV. Var. 39. ‘Avaritiam siquidem radicem esse omnium malorum, et lectio divina testatur, I. Tim. 6. vs. 10. quæ tali sorte punita est, ut cum multa rapiat, semper egeat.’ Optime et Phocylides: ‘Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἀπάσης: hoc est, ‘Mater avaritia est vitiorum quicquid ubique est.’ *Idem.*

METR. 3. *Quamvis fluente*] Ov. III. Am. El. 7. ‘Quid mihi fortunæ tantum? quid regna sine usu? Quid nisi possedi dives avarus opes? Sic aret mediis taciti vulgator in undis, Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.’ *Idem.*

Oneretque baccis colla] Non per ‘baccas’ hic significat quaslibet gemmas et lapillos pretiosos, ut scribunt et volunt Commentatores, sed uniones: a figura nempe: similitudine enim referunt palmæ, lauri, oleæ, corni, aliarumque arborum fructus; qui baccæ dicuntur. Sic Virgilius *Calice*, ‘Nec Indi Conchea bacca maris pretio est.’ Et Horatius *Epod. Ode VIII.* ‘Non sit maritata quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet.’ Et *Satyra 3. lib. II.* ‘Aceto Diluit insignem baccam.’ Dixit colla onerari; quo constaret esse uniones seu margaritas: ‘auribus’ enim, ‘collo’ et ‘capite,’ ait Plinius circumferebantur, ‘gemmae digitis:’ quin et matronarum quoque digitis suspendi, imo earum crepidis socculisque addi olim idem observat, pudendo luxu. *Vallin.*

Ornetque baccis] Nec damnes scriptum: *oneretque.* Tertull. *De Hab. Mulier.* ‘Saltus et insulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes calen-

darium expendunt, et sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno et muliebri corpusculo bajulare.' Seneca: 'Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonium auribus singulis pependissent.' *Bernart.*

Rubri littoris] Sen Erythræi. In eo enim mari præstantissimos forma, crassitudine, et colore uniones inveniri scribit Plinius cap. 35. lib. IX. 'Præcipue autem laudantur,' inquit, 'circa Arabiam in Persico sinu Maris Rubri.' Testis Tibullus: 'Quidve in Erythræo legitur quæ littore concha?' Unde passim λίθος Ἐρυθραῖος dicitur. *Vallin.*

Rubri litoris] Q. Curtius, lib. X. 'Cetera incolis crediderat: inter quæ Rubrum Mare non a colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari.' Martiannus Capella, lib. VI. De Nupt. Phil. 'Ultra Pelusiacum ostium Arabia est, ad Rubrum pertingens Mare, quod Erythræum ab Erythro rege, Persæ et Andromedæ filio, vocitatum, a colore etiam dictum rubrum. Nam fons est in litore, quem cum greges biberint, in rubrum colorem incipiunt mutare lanas.' Seneca in Thyest. vs. 370. 'Qui rubri vada litoris, Aut gemmis mare lucidum Late sanguineum tenent.' Tibullus lib. IV. Carm. 2. 'Quascunque niger rubro de litore conchas Proximus Eois colligit Indus aquis.' *Sitzm.*

Ruraque centeno scindat opima bove] Seneca in Troad. versu 1020. 'Removeto centum Rura qui scindant opulenta bobus, Pauperi surgent animi jacentes.' in Hippolyto vs. 497. 'Frugæ nec sparsi sacra Centena nivei colla submitunt boves.' Encomium numeri centenarii habes apud Julianum Imperatorem Epist. 24. *Idem.*

Nec cura mordax deserit superstitem]

Ironice, ut solet, Juvenalis Satyra XIV. 'Scilicet et morbis et debilitate carebis, Et luctum, et curam effugies, et tempora vitæ Longa tibi posthæc fato meliora dabuntur: Si tantum culti solus possederis agri, Quantum sub Tatio populus Romanus habebat.' Varro *περὶ γενεθλ.* 'Non fit thesaurus non auro pectus solutum, Non demunt animis curas ac religiones Persarum montes, non atria divitis Cræsi.' *Idem.*

Cura mordax] Ovid. I. de Ponto, Eleg. 1. 'Mea perpetuos curarum pectora morsus Fine quibus nullo conficiantur habent.' Cornel. Gallus: 'Inrabam curis animum mordacibus uri.' *Idem.*

Defunctumque leves non comitantur opes] Propertius lib. III. Eleg. 6. vs. 35. 'Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas: Nudus ad infernas stulte vehere rates.' Hinc commode referes Epigramma Ausonii, in quo Diogenes Cræsum omnium Regum ditissimum deridet. *Idem.*

PROSA 4. *Sed dignitates]* Quomodo Aristoteles erga honores et dignitates affectus fuerit, docet Ælian. lib. XIV. Variar. Histor. cap. 1. *Idem.*

Unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam appellat] Non dubie intelligit Catulli versus, Ad seipsum de Struma et Vatinius: 'Quid est, Catulle, quid moraris emori? Sella in curuli Struma Nonius sedet.' At videamus tamen, ne guttulam hic hauserit e flumine Lethes vir maximus: scimus quidem quodnam morbi genus vitiumve struma notet, sed et illud non ignoramus Plinium de Opali gemma lib. XXXVII. cap. 6. scripsisse: 'Siquidem extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscripuit Nonius senator est, filius Strumæ Nonii, ejus quem Catullus poëta in sella curuli visum indigne tulit: ut merito ambigas an sine ulla metaphora hominem nominavit Catullus, an glandulas respexe-

rit, quæ pure et sanguine plenæ oriuntur in corpore, unde strumosi dicuntur, quod Boëtius credidit. *Bern.*

Unde Catullus] Carmine LII. ‘Quid est, Catulle, quid moraris emori? Sella in curuli Struma Nonius sedet: Per consulatum pejerat Vatiuius. Quid est, Catulle, quid moraris emori?’ *Sitzm.*

Nonium Strumam appellat] Notanda hoc loco ἀνιστορησία nostri Boëtii, in eo quod Strumam non cognomen Nonii putat, sed convicium. Plinius lib. xxxvii. cap. 6. ‘Ab Antonio proscriptus Nonius est, filius Strumæ Nonii ejus, quem Catullus Poëta in sella curuli visum indigne tulit.’ Vide Castigationes in Val. Catullum illustris et incomparabilis viri Josephi Scaligeri: item Commentar. M. Anton. Mureti ad ejusdem Poëtæ Carmin. 53. *Idem.*

Strumam appellat] Neque hic guttulam e flumine Lethes hausit vir maximus, neque ἀνιστορησία in eo notatur, quod strumam in Catulli versu convicium esse existimaverit; ut post Joh. Murmelinum scripserunt Joh. Bernartius et Theod. Sitzmanus. Fucrit quidem Nonio, Strumæ prænomen, ut ex Plinio colligere sibi videntur; quis vero neget non eo fortasse timore deformem fuisse Nonium, atque inde id nominis adeptum, ut Fabii, Lentuli, Cicerones, Cæsares, Frontones, Flacci, Strabones dicti sunt atque alii? Videtur sane, tum quia nemo est qui agnoscat ullam istius nominis familiam, tum quia peculiare hoc illi agnomen fuit, quo illum a filio distingui volunt. Ad hoc facit quod Romani veteres inter laudandum nomina agnominaque congregabant, ut Cai Cæsar, Ciceroni; Marce Tulli, Catullo; et aliis aliter: cum vero invehentur aut convitiarentur, non item, ut passim apud oratores poëtasque videre est. Unde apparet ignominia convicii, non

autem versus aut honoris causa Nonium ‘strumam’ appellatum a Catullo poëtarum omnium castigatissimo: qui Asinium quoque, convicio in stupidos vulgari, Marrucinum vocat: neque enim ex Marrucinis Campaniæ populis ortum fuisse indicat: quod tamen si scripsisset Plinius, nemo non illi fidem habiturus fuerat. Postremo quid si, quoniam Vatinium struma notatus erat, voluit Catullus gemino versu, geminas strumas, seu strumosorum par componere, multumque salis in eo posuit? id certe nisi intelligas, præcipua Catulliani Epigrammatis vis acumenque perierit. Vatinium autem struma insignitum fuisse ait ipse inimicus ejus Cicero, oratione pro Sestio, Epist. ad Atticum ix. lib. ii. Unde ejusdem in eundem causam quandam agentem jocus, ‘Timidum habemus oratorem.’ *Vallin.*

Cum Decorato] Is ipse est ad quem apud Cassiodorum scribit Theodoricus. Eum vero ‘virum Devotum’ vocat, nomine Adjutoribus peculiari. Adjutor enim Magistro Officiorum judicanti aderat: cujus ille opera ad condenda Acta, responsa, rescriptaque utebatur. Adjutores viros devotos vocari, confirmat ea subscriptio a doctiss. Cujacio prolata, Theodori Memorialis Epistolarum sacri scrinii atque unius ex iis qui Quæstori sacri palatii Adjutorum nomine, sub ditione tamen Magistri Officiorum constituti, inserviebant. Ea sic se habet, FLAVIUS THEODORUS V. D. MEMORIALIS SACRI SCRINII EPISTOLARUM ET ADJUTOR V. M. QUÆSTORIS SACRI PALATII, SCRIPSI MANU MEA IN URBE ROMA CONSTANTINOPOLITANA III. KAL. JUNII. MAVORTIO V. C. COS. JUSTINO ET JUSTINIANO IMPP. Hoc est, anno Christi DXXVII. Unde jam clarum est, cur pessimus ille scurra delatorque Boëtii V. D. hoc est, ‘vir Devotus?’ et ‘Devotio tua,’ dicatur in illa Epistola quæ apud Cassiodorum

est xxxi. lib. v. Notæ quoque Probi V. D. 'Vir Devotus:' alio omnino sensu, quam quo accepit doctiss. Scaliger ad Ausonium. Una cum Magistro Officiorum jus dixisse ejusque vices suppluisse certum est: principi quoque ab eo præsentari, antequam ad id officii admitteretur, solitum, apud Cassiodorum legas in formula Magisteriæ dignitatis l. vi. his verbis, 'Adjutor etiam Magistri nostris præsentatur obtutibus: ut vicaria sorte beneficii eligamus ejus præsidium, qui nobis præstat fide solatium.' Porro Decoratus hic filius fuisse videtur Decorati Quæstoris, fratris natu majoris Honorati, qui fratri in Quæstura palatina successit, apud Cassiodorum Ep. iii. et iv. lib. v. De quibus doctiss. Sirmondus ad Epist. xvii. lib. iv. Ennodii, quæ est ejus ad eundem Decoratum senio-rem. *Vallin.*

Ut cum Decorato] Quis ille? Nequissimus scurra et delator, ut noster subdit: hæreo num idem ad quem Theodorici Regis extat Epistola apud Cassiodorum lib. v. Epist. xxxi. *Bernart.*

Reddunt improbi parem dignitatibus vicem] Vide quæ notavi ad Pros. vi. l. ii. *Sitzm.*

Umbratiles dignitates] Umbræ enim instar vanescunt illico. 'Imperium umbratile,' Ammian. Marcellin. in fin. lib. xxi. 'Eidem Joviano imperium quidem, sed cassum et umbratile, ut ministro rerum funebrium portendebant.' *Idem.*

Consulatu] Elogia præcipua hujus dignitatis congegit Fr. Juretus in Miscellan. ad Symmachi librum quartum Epist. 8. *Idem.*

Atqui prætura] Sic legimus ex cod. altero Thuano, jamdudum idem cense-nte doctiss. Ja. Cujacio. Vigente repub. Rom. dignitatis hujus magna potestas fuit: postquam Imperatores tot post magistratus instituerunt, ea oneri exercentibus senatoribus tan-

tum fuit, quod suis sumptibus Circenses et Scenicos ludos exhiberent. *Vallin.*

Atqui Præfectura magna olim potestas] Rectissime Ms. Erfurt. *Atqui Prætura, &c.* Prætores enim non sine immensis sumptibus ludos Circenses edere solebant. Priorem lectionem falsam esse, ante aliquot annos etiam observavit excellentiss. Cujacius. Lex i. t. 2. De Prætoribus et honore Præt. &c. l. xii. 'Nemo ex clarissimis et spectabilibus, qui in Provinciis degunt, ad Præturam postea devocetur: maneat unusquisque domi suæ tutus atque securus, sua et dignitate lætetur.' Ad quam l. ille: Prætura, inquit, onus fuit Senatorium, No. Th. ne dec. ad Senat. dig. asp. Hanc enim dignitatem Senator qui suscipiebat, suis sumptibus Circenses et Scenicos ludos exhibebat. Boetius iii. De Consolat. 'Prætura magna olim potestas, nunc inane nomen et Senatorii census gravis sarcina:' ubi vulgo male legitur *Præfectura*, sicut et in hac lege quibusdam codicibus, et in l. ult. infra de Silent. Hæc magnus ille Juris antistes. Vide etiam Alex. ab Alexand. Genial. dier. lib. ii. c. 15. in quo agit quando Prætores creari cœperint, et quod jus, quæve illorum potestas fuerit. *Sitzm.*

Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur. Nunc ea præfectura quid abjectius] Quam magnus, inde colligas, quod Augustus ipse acceptam a populo præfecturam annonæ tenuit dum vixit: aut certe paullo ante mortem substituit sibi C. Turranium: qui inter primos in verba Tiberii juravit, quasi inter præcipuos magistratus. Adi Tacitum Annal. i. Quam vilis vero Boëtii sæculo fuerit, ex formula Præfecturæ annonæ videre licet, quæ apud Cassiodorum lib. vi. Variarum, formula xviii. exstat. *Bernart.*

Si quis quondam populi curasset annonam] Symmachus libro iii. Epist. 36.

‘Filius meus Cæcilianus, Vir cl. qui nunc communis patriæ gubernat annonam,’ &c. ad quem locum vide Fr. Juretum. *Sitzm.*

Magnus habebatur] Intelligere Pompeium videtur, quem ob res præclare gestas, sed præcipue ob procuratam populo Rom. rem frumentariam, qua fames ingens sedata est, idem populus Magnum vocavit: ut et existimat Cassiod. Var. lib. vi. in Formula Præfecti annonæ. De ea re videndi Dio et Plutarchus in Pompeio. Nilil ea Præfectura tempore Boëtii abjectius, ex quo scilicet annonæ per provincias cogendæ, non annonæ sed prætorio Præfectus potestate fungeretur: ita ut nulla illi præterquam in urbis pistorum et suariorum censura et animadversio superesset: ut ex ead. Cassiodori Formula quivis intelligat. *Vallin.*

Magnus habebatur] Cassiodorus in Formula Præfecti annonæ ejusque Excellentie l. vi. Variar. ‘Non immerito Pompeius fertur copiarum quantitate prævisa, usque ad rerum pervenisse fastigia. Quia merito singularis est amor populi, cum potuit a penuria liberari. Hinc ille gratificationem meruit, plausumque populorum. Hinc unice semper amatus est, et in gratia civium omnium vicit facta majorum: qui ne aliquando in honore diceretur, cum nominis taxatione vocabatur Magnus.’ *Sitzm.*

Proprii decoris] Aristoteles quoque lib. Ethic. i. cap. 5. ex eo quod honor sit potius in honorante quam in honorato, honorem non esse felicitatem concludit, et τὸ ἀγαθὸν οἰκεῖόν τι καὶ δυσάφαιρτον εἶναι, ‘Bonum esse proprium quiddam, et quod auferri difficulter potest.’ *Vallin.*

METR. 4. *Quamvis se Tyrion superbus ostro*] De purpura sive ostro quædam notavimus ad Met. v. lib. ii. vs. 9. Vestem autem principalem ex hac confici solitam præter alios etiam indicat Cassiodor. i. Var. 2. simulque

tantum non ad vivum virtutes ostri depingit: ‘Color,’ ait, ‘nimio lepore vernans, obscuritas rubens nigreolo sanguine regnantem discernit, dum conspicuum facit: et præstat humano generi, ne de aspectu principis possit errari. Mirum est. substantiam illam morte confectam, cruorem de se post spatia tam longi temporis exudare, qui vix solet vivis corporibus vulnere sauciatis effluere. Nam cum sex pæne mensibus marinæ delitiæ a vitali fuerint vigore separatæ, sagacibus naribus nesciunt esse gravissimæ. Scilicet ne sanguis ille nobilis aliquid spiraret horroris. Hæc cum infecta semel substantia perseverat, nescit ante subtrahi, quam vestis possit absumi.’ *Sitzm.*

Tyrion ostro] Senec. in Thyest. vs. 952. ‘Libet et Tyrion saturas ostro Rumpere, vestes.’ In Herc. Cæt. vs. 644. ‘Cespes Tyrion mollior ostro Solet impavidos ducere somnos.’ *Idem.*

Comeret] Artemidorus lib. i. Oneirocrit. cap. 20. Κομῆν τὸ ἐπιμελεῖσθαι ἐστίν. Suidas: Κομμοσίζω, τὸ ἐπιμελοῦμαι. Κομμὸς, περίεργος κόσμησις. Vide Notas Nic. Rigaltii ad d. l. Artemidori. *Idem.*

Luxuriæ Nero sævientis] Suetonius Tranquillus libro sexto: ‘Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem sensim quidem primo et occulte, velut juvenili errore, exercevit: sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse.’ Et paullo post: ‘Divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent.’ De Luxuria Seneca in Cæt. vs. 417. ‘Totum per orbem maximum exortum est malum Luxuria, pestis blanda, cui vires dedit Roburque longum tempus, atque error gravis.’ Eandem depingit Clau-

dianus lib. II. De Laudib. Stiliconis vs. 131. et seqq. Item Prudent. in Psychom. *Idem.*

Luxuriæ Nero sævientis] Senec. in Œd. vs. 763. de Diana: 'Nimium sævi Diva pudoris.'

PROSA 5. *Præsens atas, qui reges felicitatem calamitate mutaverint*] Nulla quippe tot in Cæsares ac Reges patrata scelera aut cædes vidit, nedum fortasse post homines natos. Notiores tantum libet referre, qui in hostium potestatem venere interfective sunt, aut se imperio abdicarunt. Anno Christi CDLV. 'Valentinianus princeps dolo Maximi Patricii, cujus etiam fraude Aëtius perierat, in campo Martio per Optilam et Transtilam Aëtii Satellites truncatus est. Idem Maximus invasit Imperium, tertioque tyrannidis suæ mense membratim Romæ a Romanis tractus discerptusque est.' Marcellinus Comes. CDLVI. 'Avitus ante Olybrium paucos dies tenens imperium, ultro recessit Placentiam ibique episcopus est ordinatus.' Jordanes de reb. Geticis. CDLX. 'Majorianus Cæsar apud Dertonam, juxta fluvium qui Hyra dicitur immissione Ricimeris, interemptus est.' Marcellinus Comes Chronico. CDLXIII. Rex 'Alanorum Bergor apud Bergomum a Patricio Ricimere peremptus est.' Cassiod. Chron. CDLXIV. 'Ricimeris fraude Severus Imp. Romæ in palatio veneno peremptus est.' Cassiod. Chron. CDLXXII. 'Patricius Ricimer Romæ facto Imp. Olybrio Anthemium' socerum 'contra reverentiam principis et jus affinitatis cum gravi clade civitatis extinxit.' Cassiod. Chronico. CDLXXIV. 'Glycerius Cæs. Romæ imperium tenens a Nepote, Marcellini quondam Patricii sororis filio, imperio expulsus in portu urbis Romæ ex Cæsare episcopus ordinatus est, et interiit.' Marcell. Com. CDLXXV. 'Orestes Nepote in Dalmatias fugato, filio suo Augustulo dedit imperium.' Cassiod.

Chron. CDLXXVI. 'Basiliscus tyrannus cum Marco filio suo Cæs. facto, et cum Zenonida uxore sua, jam Zenone pristinum ad imperium remeante, in exilium missus est, atque in oppidulum, quod Leminis in provincia Cappadociæ dicitur, trusus fame extabuit.' Mar. Com. Eod. anno 'Odoacer rex Gothorum,' Herulorum, 'Romam obtinuit. Orestem Odoacer illico trucidavit. Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniæ Castello exilii pœna damnavit. Hesperium Rom. gentis imperium, quod septingentesimo nono urb. conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit.' Marcellin. Comes. CDLXXXVIII. 'Leontius rex et Illus tyrannus, in Papyrio Isanriæ castello capti decollatique sunt: capita eorum Constantinopolim allata præfixa hastilibus tabuere.' Marcell. Com. CDLXXXIX. 'Syagrius Romanorum rex Ægidii filius apud civitatem Suessionas, quam quondam memoratus Ægidius tenuerat, sedem habebat. Is cum in pugna victus esset ad Alaricum regem Tholosam confugit. Chlodovæus vero ad Alaricum mittit ut eum redderet: alioquin noverit, sibi bellum ob ejus retentionem inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret, vinctum legis tradidit. Quem Chlodovæus receptum custodiæ mancipari præcepit: regnoque ejus accepto, eum gladio clam feriri mandavit.' Greg. Turon. DIX. 'Eurico mortuo, Alaricus filius ejus apud Tolosensem urbem princeps efficitur eosque rexit annis XXIII. Qui cum a pneritia vitam in otio et convivio peregisset, provocatus a Francis, in regione Pictaviensis urbis prælio inito extinguitur; eoque interfecto regnum Tolosanum occupantibus Francis destruitur.' Isidorus Chron. Hæc Boëtii ævo visa terris portenta, rupto pietatis fidei-

que omni fœdere. Sic nimirum mortales agi sinit Deus, et moribus principum populorumque offensus, urbes adfligit, provincias pessundat, regna evertit, cum transferre libet imperia. *Vallin.*

Qui Reges felicitatem calamitate mutaverint] Manilius lib. I. 'Quot post excidium Trojæ sunt eruta regna? Quot capti populi? quoties Fortuna per orbem Servitium imperiumque tulit, varieque reverrit Trojanos cineres?' *Idem.*

Quamvis late humana tendantur imperia] Vide Augustinum libro quarto De Civitate Dei, capite: An congruat bonis latius velle regnare. Item Isocratem, Oratione ad Nicoclem. *Idem.*

Expertus sortis suæ periculorum Tyrannus] Macrobius lib. I. in Somn. Scip. cap. 20. 'Dionysius aulæ Siculæ inclementissimus incubator, familiari quondam suo solum beatam existimanti vitam tyranni, volens quam perpetuo metu misera, quamque impendentium semper periculorum plena esset ostendere, gladium vagina raptum, et a capulo de filo tenui pendentem, mucrone demisso, jussit familiaris illius capiti inter epulas imminere: cumque ille inter et Siculas et tyrannicas copias præsentis mortis periculo gravaretur, Talis est, inquit, Dionysius, vita quam beatam putabas: sic nobis semper mortem imminentem videmus: æstima quando esse felix poterit, qui timere non desinit.' Nota etiam ex Cicerone hæc historia. *Idem.*

Tyrannus] Nota historia Dionysii Siciliæ tyranni, et Damoclis, ex ejus assentatorum numero; ex Cicer. Tusc. Quæst. I. v. Macrobius in Somn. Scip. I. I. cap. 20. et ex Horatii clarissimo illo carmine lib. II. 'Districtus ensis cui semper impia Cervice pendet, non Siculæ dapes Dulcem elaborabunt saporem, Non avium ci-

tharæque cantus Somnum reducent.' *Idem.*

Potentem censes, qui satellite latus ambit] Seneca in Herc. Cæt. vs. 604. 'Tu quicumque es, qui sceptrum tenes, Licet omne tua vulgus in aula Centum pariter limina pulset; Cum tot populis stipatus eas, In tot populis vix una fides.' Ausonius: 'Multis terribilis, caveto multos.' Præclara, et quæ huc referantur plane digna verba Marci Imp. apud Herodian. lib. I. 'Neque enim aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi eorum, quibus imperat, prius adsit benevolentia. Quippe ii demum diu tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed sui desiderium ex bonitate civium suorum animis instillant. Neque enim quos servire necessitas coëgit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, ii sunt in agendo patiendoque a suspitione omni assentationeque vacui: numquamque imperia detrectant, nisi violenter contumelioseque sint habiti.' *Sitzm.*

Quid de Regum familiaribus disseram] Solon, referente Diogene Laërtio, eos qui penetrant aulas et limina Regum, auctoritateque valent aliqua, calculis, quibus in componendis rationibus utimur, elegantissime comparare est solitus, quorum pro situ alius atque alius est valor. *Idem.*

Nero Senecam familiarem] Vide quæ notavi ad Prosam II. lib. I. *Idem.*

Papinianum militum gladiis Antoninus objecit] Severus Imperator, principatum victricis manu penitus adeptus, cum multas urbes sumptuosis admodum ædificiis ornasset, et Antoninum filium designasset imperatorem, moriturus ipsi Getæque, alteri filio, imperii heredibus institutis, Papinianum sibi longe amicissimum, affinemque per secundam uxorem, tutorem reliquit. Vir ille erat jus-

tissimus, et qui tam cognitione quam expositione Legum omnes ante pariter et post se Romanos Jurisconsultos superavit. Hunc autem in cothurnum magnæ potestatis erectum, Præfectique Prætorio munere fungentem, suspectum Antoninus habebat, alia nulla de causa, quam quod Papinianus animadvertens eum infesto erga Getam fratrem animo esse, quo illi minus insidiaretur, pro viribus, impediret. Quod impedimentum e medio removeere volens, et magnum illum virum, multosque alios qui vel concordia faverant, vel partium Getæ fuerant, per milites interemit: ita ut utriusque ordinis viri et in balneo cœnantes, et in publico percuterentur: Papinianus ipse securi (non gladio, ut noster Auctor tradit) percussus interierit, improbante Bassiano, quod non gladio res peracta esset. Enimvero gravior et quodammoilo ignominiosior erat, censeturque adhuc securis pœna quam gladii. Multi dicunt Ant. Bassianum occiso fratre illi mandasse, ut in Senatu et apud populum facinus dilueret, illum autem respondisse: 'Haudquaquam pari facilitate velari parricidium, qua fieret.' Est etiam hoc: quod dictare noluerit Orationem, qua invehendum erat in fratrem, ut causa ejus melior fieret, qui occiderat: illum autem negantem respondisse: 'Aliud est parricidium, accusare innocentem occisum.' Ut sit, constat eum quasi fautorem Getæ occisum. Et fertur quidem Papinianum, cum raptus a militibus ad palatium traheretur interficiendus, prædivinasse dicentem, 'Stultissimum fore qui in suum subrogatur locum, nisi appetitam crudeliter Præfecturam vindicaret.' Quod factum est. Nam Macrinus Antoninum occidit, ad quem postea devenit imperium, non tam quod eum milites benevolentia prosequerentur eique fiderent, quam necessitate, et quod eo tempore id expediret. Vide Xiphilinum in Anton. Caracalla; Zosim. lib. i. Hist. Spartian. in Anton. Carac. et in Anton. Geta; Aurel. Victorem de Cæsarib. Pet. Fabrum i. Semestr. *Idem.*

Antoninus] Bassianus Antoninus Caracalla, Imper. Romanorum post C. Jul. Cæsarem XXI. Hujus vitam, mores, facinora, exitum, ejusmodi inclusit tetrasticho Ausonius Burdegalensis, 'Dissimilis virtute patri, et multo magis illi, Cujus adoptivo nomine te perhibes: Fratris morte nocens; punitus fine cruento. In risu populi tu Caracalla magis.' *Idem.*

Quorum Seneca opes etiam suas tradere Neroni, seque in otium conferre conatus est] In mente habuit Senecæ orationem, quæ apud Tacitum extat Annal. lib. xiv. Digna ut non ibi solum legatur: vel ut juvenus discat non suasisse solum Soplum nostrum, sed exemplo docuisse, sapientes divitias in domum quidem sed non in animum recipere. 'Quartusdecimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum, octavus ut imperium obtines. Medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, nec meæ fortunæ sed tuæ. Atavus tuus Augustus, M. Agrippæ Mityleneense secretum; C. Mæcenati, urbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentia adhibere potui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata? e quibus claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis affuisse videor, grande hujus rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti, adeo ut plerumque intra me ipsum vol-

vam : Egone equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror? Inter nobiles et longa decora præferentes, novitas mea enituit? ubi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, et per hæc suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis, tam lato fœnore exuberat? una defensio occurrit, quod munneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram implevimus, et tu quantum Princeps tribuere amico posset, et ego quantum amicus a Principe accipere. Cetera invidiam augent : quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet, sed mihi incumbit : mihi subveniendum est. Quo modo in militia aut via fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere vitæ, senex, et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possum, præsidium peto. Inbe eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur, et tot per annos nixum fastigii regimen : possumus seniores amici quiete respondere : hoc quoque in tuam gloriam cedit, eos ad summa vexisse, qui et modica tolerarent.' *Bernart.*

Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum] De Vertumnis istis qui amicitias utilitate probant, neque indignum putant se fieri comites stantis in orbe Deæ, venuste Petron. arbiter : 'Cum Fortuna manet vultum servatis amici : Cum cecidit turpi vertitis ora fuga.' Huc etiam faciunt illa Ovid. II. de Ponto, Eleg. III. 'Diligitur nemo nisi cui fortuna secunda est : Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat.' *Sitzm.*

Quæ pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus] Vide B. Au-

gustin. libro XIX. De Civit. Dei, capite 5. *Idem.*

METR. 5. *Et serviat ultima Thule*] Senec. Med. vs. 359. 'Tiphysque novos Detegat orbis, nec sit terris Ultima Thule.' Solinus Polyhist. cap. 25. 'Multæ et aliæ circum Britanniam insulæ, e quibus Thule ultima, in qua æstivo solstitio Sole de Cancri sidere faciente transitum, nox pæne nulla.' Totus vero ille versus desumptus ex illo Virg. I. Georg. 'Ac tua nantæ Numina sola canant, tibi serviat ultima Thule.' *Idem.*

Potentia non est] Huc pertinent vere aurea Isocratis verba in Orat. ad Nicoclem : Ἄρχε σεαυτοῦ μηδὲν ἦττον, ἢ καὶ τῶν ἄλλων· καὶ τοῦτο ἡγοῦ βασιλικώτατον, εἰ μὴ μηδεμιᾶ δουλεύης τῶν ἡδονῶν, ἀλλὰ κρατῆς τῶν ἐπιθυμιῶν μάλλον ἢ τῶν πολιτῶν. *Idem.*

PROSA 6. *Non injuria Tragicus exclamat* : ὦ δόξα, δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν Οὐδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν] Scilicet Tragicum illum, quem hic laudat Boëthius noster, Euripidem esse : cujus sunt isti versus in Andromacha : ex qua fabula pretium operæ est etiam sequentia adscribere, cum totius loci Latina interpretatione Georgii Ratalleri JC. præsidis clariss. Εὐκλεία δ' οἷς μὲν ἔστ' ἀληθείας ὑπο, Εὐδαιμονίζω· τοὺς δ' ὑπὸ ψευδῶν, ἔχειν Οὐκ ἀξιόσω, πλὴν τύχη φρονεῖν δοκεῖ. 'Opinio, o opinio; quam multa tu Milia hominum nihili, locique nullius, Inflas tumente spiritu! Sed gloriam, Quæ fonte vero profluit, egregiam puto : Quæ falsa origine nascitur, flocci æstimo. Fortunæ enim acceptum hoc referre cōvenit.' Alium ejusdem Euripidis locum laudat Philosophia Boëthiana infra Prosa VII. *Idem.*

Unde non injuria Tragicus exclamat ὦ δόξα, δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν, οὐδὲν γεγῶσι, βίοτον ὤγκωσας μέγαν] Id est, 'o gloria, gloria, decies mille homibus, cum nihil sint, animum tumidum reddis.' *Bernart.*

Plures magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt] Ælianus de Gorgia et Protagora: ἔοικε γὰρ πως ἢ δόξα μὴ πάνυ τι ἀκριβὲς μήτε ὄραν, μήτε ἀκούειν. ἔνθεν τοὶ καὶ πολλὰ σφάλ- λεται. καὶ τὰ μὲν καταχαρίζεται, τὰ δὲ ψεύδεται. Alexander Magnus apud Q. Curtium libro nono: 'Nunquam ad liquidum fama producitur: omnia, illa tradente, majora sunt vero. Nostra quoque gloria cum sit ex solido, plus tamen habet nominis quam operis.' Libanius sophista: πᾶς γὰρ ὁ δόξαν κτῆμα νομίζων, οὐκ ἀγαθὸς τῶν ὡς ἀληθῶς κτημάτων φύλαξ. ἀλλ' ὁ προσελ- θὼν, καὶ κολακεύσας, ἀπῆλθέ τι λαβὼν, ὁ τὸν ἀριστεῖα καλέσας, μισθὸν ἔχει τοῦ ῥή- ματος. εἴτ' ἐκ τούτων, οἱ μὲν ἀποφέρονται χρυσόν· αὐτὸς δὲ εἰρωνεύσασθαι. *Sitzm.*

Falsis vulgi opinionibus] Vulgus enim (ut Persium loquentem faciam) aut nunquam aut rarissime 'Veri speciem dignoscere callet, Ne qua subærato mendosum tinniat auro.' Et mirum, si sæpius a fortuna, quam a iudicio celebris fama proficiscatur? Exemplum memorabile de Pallante Claudii liberti omnium nebulonum postremissimo invenies apud Plin. Secundum libro septimo, Epistol. 29. et libro nono Epist. 6. *Idem.*

Qui fulso prædicantur, suis ipsi, &c.] Cassiodor. VIII. Variar. 18. 'Cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum, et aliud dici, quam possit in moribus inveniri.' Huc pertinet quod Jurisconsulti aiunt: 'Nomina rebus consequentia esse debere.' Et divinitus scribit Gregorius Nyssenus in libro περὶ τε- λειότητος, καὶ ὁποῖον χρὴ εἶναι τὸν χρισ- τیانόν. Οὐκοῦν ἐπειδὴ τοῦ μεγίστου τε καὶ θειοτάτου καὶ πρώτου τῶν ὀνομάτων γέγονε παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ δεσπότητος ἡμῶν κοινωνία, ὥστε τοὺς τῆ ἐπωνυμίας τοῦ χριστοῦ τιμηθέντας χριστιανούς ὀνομά- ζεσθαι· ἀναγκαῖον ἂν εἴη, πάντα τὰ ἐρμη- νευτικὰ τῆς τοιαύτης φωνῆς ὀνόματα ἐν ἡμῶν καθορᾶσθαι. ὡς μὴ ψευδῶνυμον ἐφ'

ἡμῶν εἶναι τὴν κλήσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ βίου τὴν μαρτυρίαν ἔχειν. οὐ γὰρ ἐκ τοῦ κα- λεῖσθαι τι τὸ εἶναι γίνεται. ἀλλ' ἡ ὑποκεί- μένη φύσις, οἷα δ' ἂν οὔσα τύχη, διὰ τῆς προσφυοῦς τοῦ ὀνόματος σημασίας γνωρί- ζεται· οἷόν τι λέγω, εἰ δένδρον τις ἢ πέτρα προσηγορίαν ἀνθρώπου χαρίζαιτο· ἄρα ἄνθρωπος ἔσται διὰ τὴν κλήσιν ἢ τὸ φυτὸν ἢ ὁ λίθος; οὐκ ἔστι ταῦτα· ἀλλὰ χρὴ πρῶ- τον εἶναι ἄνθρωπον, εἴθ' οὕτως ὀνομασθῆ- ναι τῆ προσηγορίᾳ τῆς φύσεως. Et quæ ibidem plura sequuntur: quem locum ex sacris lectionibus suis mihi condonavit C. Rittershusius. *Idem.*

Inter hæc vero popularem gratiam] Ms. Rittersh. *pop. gloriam.* Recepta tamen lectio non destituitur auctori- tate quorundam vet. exemplarium, et confirmatur ab Herodiano, qui de Commodo sic scribit: μέχρι μὲν τού- των, οἱ καὶ βασιλείας τὰ πραττόμενα ἦν ἀλλότρια, πλὴν ἀνδρείας καὶ εὐστοχίας παρὰ τοῖς δημῶδεσιν εἶχε τινὰ χάριν. *Idem.*

Nobilitatis nomen] Nobilitatis apud omnes fere populos magna semper laus fuit, non γνώσεως, aut λαμπρότη- τος, sed εὐγενείας, a genere. 'Ἡ δ' εὐ- γένεια, inquit Aristoteles libro VI. Politic. παρ' ἐκάστους οἴκοι τίμιος. ἔτι διότι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων· εὐγένεια γὰρ ἔστιν ἀρετὴ γένους. 'No- bilitas enim apud cunctos mortales domi honorata: propterea quod me- liores verisimile est e melioribus pro- creari: nobilitas enim est generis virtus.' Inde crevit adeo resp. illa Romana, in qua ut plurimum probi iique nobiles et nobilibus nati, non ut Athenis quivis e populo, præfuere. 'Omnes boni,' inquit ejusdem reip. lumen Cicero, 'semper nobilitati fa- vemus, et quia utile est reip. nobiles homines esse dignos majoribus suis; et quia valet apud nos clarorum homi- num et bene de republ. meritorum memoria, etiam mortuorum.' Neque aliunde extremis ejusdem reip. tem- poribus, nobilitatis nomen tanto in honore habitum, ut ipsi Imperatores

quos sibi successores deligebant, prius Nobilissimos declararent. Id fecisse Justinum, antequam Justinianum sororis filium Cæsarem successoremque crearet, auctor est in Chronico Marcellinus Comes anno DXXVI. Hinc Augustinus contra Cresconium lib. III. c. XXIX. significaturus annum CCCXXV. scribit, 'Constantio Maximo Augusto; et Constantino juniore, nobilissimo Cæsare, Consulibus,' &c. Et ut auctor Miscellæ M. Aurel. Antoninum verum, tot virtutibus ornatum, imperio dignissimum ostendat, nobilissimum quoque fuisse probat. *Vallin.*

Quæ si ad claritudinem refertur, aliena est] Juvenalis Satyr. VIII. 'Sed te censeri laude tuorum, Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futuræ Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famæ, Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.' *Sitzm.*

Splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit] Hinc etiam Plato illud præstantissimum nobilitatis genus esse dixit, si quis per se animi magnitudine excelleret. Vide Diog. Laërt. in ejus vita. Cassiodorus Var. III. Ep. 17. 'Tantum quis nobilior erit, quantum et moribus probis et luculenta facultate reluxerit.' Idem libro quinto Variar. 12. 'Hæc est indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.' Theodoricus Rex apud Eannodium in Panegyrico: 'Sine causa parentum titulis nitimur, nisi propriis adjuvemur.' Auctor Carminis ad Pisonem: 'Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis Atria, quid pleni numeroso consule fasti Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo Gentis honos, cuius laus est in origine sola.' *Idem.*

Quod si quid est in nobilitate bonum] Cassiodorus VIII. Var. 16. 'Similitudinem suorum felix vena custodit: quando pudet delinquere, qui similia nequeunt reperire. Hinc est, quod melius agnoscitur, elegisse nobilem,

quam fecisse felicem: quia iste comonitus, per veterum se facta custodit: ille exemplum non habet, nisi quod fecerit.' *Idem.*

METR. 6. *Omne, &c.*] In hoc Carmine suggillat illos, qui memores magni generis, virtute illud minime adaugebant: sed claritate majorum tantummodo gloriautes, non animo reputabant illud Cleobuli: 'Majorum meritis gloria non datur;' multoque minus illud Solonis: 'Pulcrius parari, quam creari nobilem.' De quibus vide And. Tiraquellum De Nobilitate cap. 22. in quo hosce versus Boëthii citat, aliaque ibidem lectu dignissima more suo ex variis congerit auctoribus. *Idem.*

Omne humanum genus] Ms. Rittersh. *Omne hominum genus.* Ita Virgilius III. Georg. 'Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque.' Et Silius lib. VII. 'Omne hominum in terris trepidat genus.' *Idem.*

Simili surgit ab ortu] Manuel Palæologus Orat. VII. Instit. Regiæ, De Humilitate: πάντες ἐσμὲν ἐξ ἐνὸς φυράματος, χειρὶ μιᾷ τῆ τοῦ θεοῦ πεπλασμένοι πρὸς ἓν τι εἶδος. *Idem.*

Unus rerum pater est] Prima Dei appellatio, inquit Hermes Poëmandri cap. 2. est τ' ἀγαθόν, 'Ipsum bonum.' quæ essentiam Dei spectat. Ἡ δὲ ἑτέρα προσηγορία ἐστὶν ἡ τοῦ πατρὸς. πάλιν διὰ τὸ ποιητικὸν πάντων. πατὴρ γὰρ τὸ ποιεῖν. 'Altero vero appellatio, Pater est: ideo quia omnia gignit: patris est enim generare: quam ex totius universi creatione et providentia sortitus est. Unde persequitur Boëthius, 'Unus cuncta ministrat,' &c. *Vallin.*

Dedit et cornua Lunæ] Lactant. lib. I. Div. Instit. cap. 21. 'Lunæ taurus mactatur, quia similiter habet cornua.' *Sitzm.*

Clausit membris animos] Lactant. De Opif. Dei, cap. 20. 'Corpusculum hoc, quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo

neque tangi, neque adspici, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc quod videtur.' Claudian. lib. I. De Rapt. Proserpinæ, vs. 63. 'Corporeos animæ mittuntur in artus.' Similia sunt apud Platonem et Ciceronem. in Somnio Scipionis. Est enim hoc Socraticum dogma. *Idem.*

Animos] L. *animas.* Lucret. libro III. 'Nunc animas quoque ut in membris cognoscere possis Esse.' *Idem.*

Mortales igitur cunctos Edit, nobile germen] Ita lego, ut sit appositio. 'Germen' metaphora pulchra dicit pro sobole. Vide non vulgaria hac de re in Comment. Rittersh. ad I. Cyneget. Oppian. *Idem.*

Quid genus, et proavos strepitis] Lycus Thebanus apud Senecam in Herc. Fur. vs. 137. 'Non vetera patriæ jura possideo domus Ignavus heres: nobiles non sunt mihi Avi, nec altis inclytum titulis genus; Sed clara virtus: qui genus jactat suum, Aliena laudat.' Juvenal. Sat. VIII. 'Quis enim generosum dixerit hunc, qui Indignus genere, et præclaro nomine tantum Insignis?' Min. Felix in Oct. 'Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas. Omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur.' Ælian. lib. XII. Variar. Hist. cap. 6. ὅτι γελᾶν ἔξεστιν ἐπὶ τοῖς μεγάλως φρονούσι διὰ τοὺς πατέρας. Quam pulcre vero Romanus Martyr apud Prudent. Peristeph. Hymno 10. 'Absit ut me nobilem Sanguis parentum præstet, aut lex Curia: Generosa Christi secta nobilitat viros. Si prima nostris quæ sit incunabulis Origo textu stemniatis recenseas, Dei parentis esse ab ore cœpimus, Cui quisque servit, ille vere est nobilis, Patri rebellis, invenitur degener.' *Idem.*

Primordia] 'Primordia rerum' Lucret. lib. I. 'vocum,' idem lib. IV. 'vini,' idem lib. VI. 'ignis,' lib. eod. 'generis,' Ovid. lib. II. Amor. 'cladis,' Silius lib. IV. 'belli,' idem lib.

XVII. 'tedæ,' Val. Flacc. lib. VIII. 'noctis,' Claud. lib. I. de Raptu Proserp. vs. 112. 'mentis,' Alcimus Avitus de I. de Diluvio, 'legis,' idem lib. eod. 'gentis,' idem lib. de Trans. maris. 'Primordiis rationis imbutus,' Arnobius lib. III. *Idem.*

Nullus degener exstat] Silius lib. X. 'Proh degener altæ Virtutis patrum.' *Idem.*

PROSA 7. *Quid autem de corporis voluptatibus*] Confer B. August. lib. XIV. de Civ. Dei, cap. 16. et seqq. *Idem.*

De corporis voluptatibus] Quam voluptatem probaverit Plato, recenset Apuleius lib. de ejusd. Philosophia naturali. 'Voluptatem vero neque bonum esse absolute, neque simpliciter malum. Sed eam quæ sit honesta nec pudendis rebus, sed glorioſis actibus veniat, non esse fugiendam: illam vero quam aspernatur natura ipsa turpi delectatione quæſitam, vitari oportere censebat.' Eandem esse mentem Aristotelis suamque aperit Alexander Aphrodis. natur. quæſtion. lib. IV. cap. 23. nimirum eam non fugiendam quæ cum honestate conjuncta est; quæ vero ab turpibus actionibus proficiscitur, pœnitentia finiri. Nec ii solum, sed omnis semper Philosophia, ait Seneca Epist. 90. 'damnavit mixtas pœnitentiæ voluptates.' Quas in pudendi gulæque intemperantia positas sic Turpilius Thrasyleone expressit, 'Venerem, mensam, talos, vinum: in hæc hujusmodi, quibus rebus vita amatur, tum invitari solemus:' sic enim ex vet. cod. Ms. Nonii legendum. Juvenalis quoque 'Dum bibimus, dum sarta, unguenta, puellas Poscimus, obrepit non intellecta senectus.' Sardanapali quoque [bovis malnisset Aristoteles] sepulchro inscriptum fuit, 'Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido Hansit: at illa jacent multa et præclara relicta.' *Vallin.*

Satietas vero pœnitentiæ] Respicit forte ad verba Demosthenis, rem cum Thaide habere volentis. Vid. Agell. lib. i. Noct. Atticar. cap. 8. *Idem.*

Quantos illæ morbos] Teste enim Pindaro in Isthm. Oda vii. τὸ πὰρ δίκαι Γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά. *Idem.*

Nihil causæ est, quin pecudes quoque beatæ dicantur] Graviter in hunc modum disputat Maximus Tyrius, Sermone 32. ἐντεῦθεν ἄρξαι, τί ἀνθρώπου διασωστικόν; ἡδονή. πρᾶγμά μοι κοινὸν λέγεις, ἐπὶ πάσας φύσεις ἐξικνούμενον, καὶ διὰ τοῦτο αὐτοῦ τὴν προτιμίαν οὐκ ἀνέχομαι. ἤδεται καὶ βοῦς καὶ ὄνος καὶ σὺς καὶ πίθηκος. *Idem.*

Honestissima quidem conjugis] Augustinus lib. xix. De Civ. Dei, cap. 1. ‘Pertinet ad virtutis officium, et vivere patriæ, et propter patriam filios procreare, quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate.’ De puritate autem consuetudinis conjugalis memorabile est apophthegma illud Pythagoricum, quod Theano quidam adscribunt, ὡς ἀπὸ μὲν τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς ὕσιόν ἐστιν αὐθήμερον προσιέναι τοῖς ἱεροῖς· ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ προσήκοντος, οὐδέ ποτε. ut est apud Jamblichum de vita Pythag. c. 11. ubi περιβόητον ἀπόφθεγμα vocat: sicut capite 27. καλὸν καὶ περιβλεπτόν ῥῆμα censet, τὸ τὴν γυναῖκα δεῖν θύειν αὐθήμερον ἀνισταμένην ἀπὸ τοῦ ἑαυτῆς ἀνδρός. Nec minus est memorabile iudicium D. Chrysostomi, eum qui a cœtu complexuque maritali surgat, purum esse etiam ante quam se abluerit: secus atque qui a meretrice veniat: hunc etenim nullis lavacris mundari. Paulo durius et iniquius est S. Hieronymi hac de re iudicium in libb. contra Jovinianum. *Idem.*

E natura dictum est] Designat, ut mihi videtur, locum illum Aristotelis Ethic. lib. viii. cap. 6. Ἐτι ταῖς φυσικαῖς συγγνώμη μᾶλλον ἀκολουθεῖν ὀρέξουσιν. ὁ δὲ θυμὸς, φυσικώτερον, καὶ ἡ χα-

Delph. et Var. Clas.

λεπότης τῶν ἐπιθυμιῶν, τῶν τῆς ὑπερβολῆς καὶ ὧν μὴ ἀναγκαίων. ὥσπερ ὁ ἀπολογούμενος, ὅτι τὸν πατέρα τύπτει. καὶ γὰρ οὗτος, ἔφη, τὸν ἑαυτοῦ κακείνος, τὸν ἀνωθεν. καὶ τὸ παιδίον δείξας, καὶ οὗτος ἐμὲ, ἔφη, ὅταν ἀνὴρ γένηται. συγγεγὲς γὰρ ἡμῖν. ‘Præterea naturales appetitiones sequi majori venia dignum est.’ Et, ‘Ira vero et asperitas magis e natura est, quam exsuperantia cupiditatum et eorum quæ necessaria non sunt. Quemadmodum ille, qui se defendebat, quod patrem verberasset; nam hic, inquit, suum, et ille item suum verberavit; et monstrans filiolum, Et iste me, inquit, verberabit, cum vir factus fuerit: hoc enim proprium familiæ nostræ est.’ *Vallin.*

Nescio quem filios invenisse tortores] Eveni pentameter hujus sententiæ memorabilis est, apud Plutarchum et Artemidorum relatus: Ἴδὲ, ὕση λύπη παῖς πατρὶ πάντα χρόνον. hoc est, ‘Tristitia ex nato est tempus in omne patri.’ Apud Artemidorum lib. i. Onirocrit. cap. 16. male editum est nulloque sensu initium versus: υἱοὺς ἢ λύπη. Sed indicio magnorum virorum restituendum didici, ἰδὲ, ὕση λύπη, ut apparet ex Plutarcho περὶ φιλοστοργίας, sub finem. *Sitzm.*

Euripidis mei] Scilicet non solum Ciceronem tanti fecisse hunc scenicum philosophum, ut singulos ejus versus pro singulis habuerit testimoniis (quemadmodum Tironi suo per Epistolam significat) verum etiam Boëtium nostrum. Sententia vero ista, ‘Carentem liberis infortunio esse felicem,’ exstat in Andromacha Euripidis, ubi sic Menelaus: Πᾶσι δ’ ἀνθρώποις ἄρ’ ἦν Ψυχὴ τέκν’. ὕστις δ’ αὐτ’ ἄπειρος ὧν ψέγει, Ἐσσον μὲν ἀλγεῖ, δυστυχῶν δ’ εὐδαιμονεῖ. hoc est, interprete C. R. ‘Mortalibus quippe omnibus Sunt liberi anima. Ignarus hoc qui carperit, Dolet minus, felix suo infortunio.’ Clariss. Ratallerus ita vertit: ‘Mortalibus sunt omnibus

2 I

Boëth.

Jucundiores liberi vita, ipsa sunt Illi anima: qui dictum hoc inexpertus negans Sugillat, ille et angitur animo minus, Eaque in ipsa adversitate beatus est.' In quibus ultimis verbis elegans et snave inest ὀξύμωρον. cujus generis plura vide apud Commentat. Oppiani, Cyneg. lib. I. vs. 260. et seq. *Idem*.

METR. 7. *Voluptas Stimulis ugit fruentes*] Plinius Secundus lib. VIII. 'Fruenti voluptatibus crescit carendi dolor.' P. Syrus: 'Omnis voluptas, quemcumque arrisit, nocet.' *Idem*.

Apiumque par volantum] Socrates, apud Xenophontem tantam osculo vim inesse permonet, ut phalangiorum, tenuium licet animalium, acerbis tamen morsibus tumoremque inducentibus comparet: nec apte minus in re simili apium mella, morsusque statim inde sequentes, Boëtius descripsit: quo alludit et ille amator poëta Græco epigrammate nondum edito, Ποιῆς πάντα Μέλισσα φιλόθεος ἔργα μελισσης, Οἶδα καὶ ἐς κράδιην τοῦτο γύναι τίθεμαι. Καὶ μέλι μὲν στάξεις ὑπὸ χεῖλεσιν ἡδὺν φιλεῦσα, Ἦν δ' αἰτῆς κέντρῳ τύμμα φέρεις ἄδικον. Nec solum sequitur voluptatem dolor, sed et comitatur: Antiphanes, Ἐν τῷ αὐτῷ δέ γε τούτῳ, ἔνθα τὸ Ἠδὺ ἔνεστι, πλησίον που καὶ τὸ λυπηρόν. αἱ γὰρ ἡδοναὶ οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐμπορεύονται, ἀλλ' ἀκολουθοῦσ' αὐταῖς λύπαι καὶ πόνοι. Id est, 'At in eodem ipso, in quo Jucunditas inest, prope sane et molestia præsto est: voluptates enim Non ipsæ solæ ingrediuntur, sed earum comites sunt Dolores ac labores.' *Vallin*.

Ubi grata mella fudit] Voluptas ad Mercurium, apud Martian. Capellam, lib. VII. De Nupt. Philologiæ: 'Nec te cura tori? nec te puer ambit herilis? Nec mea mella rapis?' *Sitzm*.

Fugit] Periander apud Diogen. Laërt. lib. I. αἱ μὲν ἡδοναὶ φθαρταί· αἱ δὲ τιμαὶ ἀθάνατοι. Porro hoc metrum sic Græce reddidit Cunradus Ritter-

shusius: Τὸδ' ἔχει ἅπαν τὸ ἡδὺ, Ἐτυπε ξυρόντα κέντροις· Μέλι χεύσ' ὅταν ποθεινὸν Πταμένων δίκην μελισσῶν Δραπέτεύει, ἡδ' ἀπηνεῖ Κραδίην ἔτρωσεν ἔλκει. Quoniam vero de Voluptatibus cujus gaudia non remanent, sed fugitiva volant, dicere cœpimus, subjiciam memorabiles Siliii Italici versus, apud quem ita in Voluptatem Virtus invehitur: 'Quippe nec ira Denm tantum, nec tela, nec hostes, Quantum sola noces animis illapsa Voluptas. Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus, et atris Circa te semper volitans infamia pennis. Mecum honor, et laudes, et lato gloria vultu, Et decus et niveis victoria concolor alis, Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.' *Idem*.

PROSA 8. *Num Elephantes mole*] Vide Solinum in Polyhist. cap. 28. Cassiod. 10. Variar. 30. Veget. libro tertio de re militari, cap. 24. I. Lipsiuni Cent. I. Ep. 10. *Idem*.

Taurus robore superare poteritis] De Taurorum ingenio et robore videndus Oppian. in princip. lib. II. Cyneg. et in eundem Commentar. C. Rittershusii. *Idem*.

Num tigres velocitate præibitis] Martialis libro XII. Epigr. 36. in Labullum: 'Vis cursu pedibusque gloriari? Tigrim vince.' Solinus in Polyhist. cap. 21. De Hircanis: 'Genus sylvis aspera, copiosa immanibus feris, foetaque tigribus. Quod bestiarum genus insignes maculis notæ, et pernitas memorabile reddiderunt.' Eidem vero credentes, comperimus tigride animal quoddam esse pernicious: ita enim cap. 55. ait: 'Lencrocota velocitate præcedit feras universas.' *Idem*.

Formæ vero nitor ut rapidus est, ut velox, &c.] Isocrates ad Dæmonicum: Κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνάλωσεν, ἢ νόσος ἐμάρανε. Ovidius lib. II. De Arte: 'Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos Fit minor, et spatio carpitur illa suo.' Ti-

bullus lib. I. Eleg. 4. vs. 36. 'Formæ non ullam fata dedere moram.' *Idem.*

Ut Aristoteles ait] Locum illum summi Philosophi, sicut et librum desiderari puto. *Vallin.*

METR. 8. *Quam miseros tramite devio Abducit ignor.]* Lactant. de Ira Dei, cap. 7. 'Cum sæpe philosophi per ignorantiam veritatis a ratione desciverint, atque in errores incidierint inextricabiles (id enim solet his evenire, quod viatori viam uescienti, et non fatenti se ignorare ut vagetur, dum percontari obvios erubescit) illud tamen nullus philosophus asseruit unquam, nihil inter hominem et pecudem interesse.' In eandem fere sententiam Octavius, apud Min. Felicem. *Sitzm.*

Asperis echinis] Horat. in Ep. Od. 8. 'Horret, capillis ut marinus asperis Echinus, aut currens aper.' De Echinis Ælian. lib. IV. Var. Hist. cap. 13. Cassiodor. III. Var. 48. Opiian. lib. II. Halient. vs. 228. et sequentibus, Johan. Maria Catanæns in Comment. ad Plinii Secundi lib. I. Epistola 15. *Idem.*

Nescire cæci sustinent] Seneca in Thyeste, vs. 1003. 'Sustines tantum nefas Gestare tellus?' *Idem.*

Stelliferum polum] Senec. in Hipp. vs. 782. 'De stellifero despiciens polo Sidus.' Lactant. de Phœnice: 'Rores Stellifero teneri quæ cecidere polo.' *Idem.*

Quid dignum stolidis mentibus imprecer] Martial. lib. I. Epigr. 99. 'Quid dignum meritis precemur istis?' Prudent. Peristeph. Hymno 10. 'Quid imprecabor officinis Græciæ, Quæ condiderunt gentibus stultis Deos?' *Idem.*

PROSA 9. *Profligat opes]* Meus codex, *profligit.* Elegans locutio, 'profligare opes,' id est prodige consumere; qua notione Suetonius in Tiberio dixit: 'Ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque.' *Bernart.*

In Timæo, Platoni nostro placet]

Timæi de universi natura acturi apud Platonem hæc verba sunt sanctissime prolata, 'Ἄλλ', ὦ Σώκρατες, τοῦτό γε δὴ πάντες ὄσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος Θεὸν αἰεὶ πού καλοῦσιν.' Atqui Socrates, omnes ii qui vel minimam sanæ mentis particulam habent, cum aliquid sive parvum sive magnum aggrediuntur, semper solent Deum invocare.' *Idem* habet Epist. VIII. Eam doctrinam priusque morem accepit Plato a Timæo Pythagorico. Timæus ex ipso Pythagoræ protulit præcepto, quod inter aurea ejusdem carmina tale est, 'Ἄλλ' ἔρχεσθ' ἐπ' ἔργον Θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι.' 'Finem dein ante precatu Numina, opus facito.' Cui quanta religione parendum sit, divine Hierocles, aureo ad eum locum Commentario, exponit. Hinc vitam Pythagoræ Jamblichus ex philosophiæ Pythagoreæ debito, ut inquit, orditur. quod facit et Proclus Theol. Platon. libro I. cap. 1. *Vall.*

Cum in minimis rebus divinum præsidium debeat implorari] Plinius initio Panegyrici: 'Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agenda- rum, ita dicendi initium a precationibus capere' (sic legit Conradus Rittershusius pro, caperetur) 'quod nihil rite nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.' Non latuit hoc Alexandrum Magnum, de quo Q. Curtius: 'Orto sole priusquam admoveret exercitum, opem Deum exposcens, sacrum patrio more faciebat.' *Sitzm.*

METR. 9. *O qui perpetua mundum ratione gubernas]* His vs. mirum est quam multas res compendiose Boëtius absolverit: sunt enim veluti quædam ἐπιτομή primæ partis Timæi: ubi agit Plato de creatione universi. Quare monendus est quisquis hæc adyta recludere instituerit, ne non accurate perlecto Platonis Timæo, accedat,

Perp. ratione. quod Dei solius est: 'quippe,' ait Tertullianus de Pœnitentia, 'res Dei Ratio: quia Deus omnium conditor, nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit: nihil non ratione tractari intelligique voluit.' Et Philo, omnia ἄρχει ὁ Θεὸς, ἡ τοῦ πρεσβυτάτου λόγου πηγῆ, 'regit Deus, qui rationis fons est antiquissimus.' *Vallin.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas] Manilius lib. 1. Astron. 'Deprendit tacitis dominantia legibus astra Et totum æterna mundum ratione moveri.' Lactantius De Ira Dei, cap. 9. 'Cum sententiæ philosophorum prioris temporis consensissent, nec ulla esset dubitatio, quin Mundus a Deo et ratione esset instructus, et ratione regeretur: primus omnium Protagoras exstitit temporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere, utrum esset aliqua divinitas, necne. Quæ disputatio ejus adeo impia et contra veritatem et religionem judicata est, ut et ipsum Athenienses expulerint suis finibus, et libros ejus in concione, quibus hæc continebantur, exusserint.' *Sitzm.*

Terrarum cælique sator] Sibylla Erythræa, apud Lactant. libro 1. Divin. Iustit. Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἰς πανυπέρατος, ὃς πεποίηκεν Οὐρανὸν ἡέλιόν τε καὶ ἀστέρας ἡδὲ σελήνην, Καρποφόρον γαῖάν τε καὶ ὕδατος οὐδματα πόντου. Hinc propria Dei veri nota est opus creationis rerum, qua in Psalmis, item apud Esaiam aliosque Prophetas discernitur ab idolis. Quid? quod Pythagoras quoque hoc ipsum agnovit in versibus, quos refert Justinus Martyr libro de Monarchia, dignos hic etiam legi. Sunt autem isti: Εἴ τις ἐρεῖ, Θεὸς εἰμι, παρέξ ἐνδς, οὗτος ὀφείλει Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας, εἰπεῖν, Ἐμὸς οὗτος. Κούχι μόνον στήσας, εἰπεῖν, Ἐμὸς, ἀλλὰ κατοικεῖν Αὐτὸς ἐν ᾧ πεποίηκε, πεποίηται δ' ἀπὸ τούτου. hoc est, vertente C. Rittershusio: 'Si quis erit, qui se pro numine poscat haberi, Huic mun-

do similem debet producere mundum. De quo dicere ei liceat, Meus exstat hic orbis. Nec tantum statuens mundum, sic dicat, Hic a me Conditus est, sed opus simul incolat ipse suum: Et tunc Facta fidem facient, certum ipsi numen inesse.' Neque omittenda pulcherrima Minucii Felicis verba: 'Palam est,' inquit, 'parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum: qui nativitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem: qui ante mundum sibi fuerit ipse pro mundo, qui universa quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat,' &c. *Sitzm.*

Qui tempus ab ævo ire jubes] Æternitas, soli Deo: Ævum, mundo, cælo, Dæmonibus: Tempus, rebus hisce inferioribus mutabilibus competit. Æternitas ingenita tota simul permanet: ævum neque ingenitum, neque simul totum, non enim erat antequam fieret, permanet tamen: tempus vero neque ingenitum est, neque totum simul est, neque permanet, sed continuo labitur. Est tamen tempus et æternitatis et ævi quædam imago, ut inquit Plato in Timæo: non quod illi præteritum præsens sit, quemadmodum æterno Deo; non quod sit illi præsens permanens, ut mundo, cælo, beatis, angelis, sed quod sit illi præsens fluens. Idcirco Plato vocat tempus μένοντος αἰῶνος ἐν ἐνὶ κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον εἰκόνα, 'æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem.' Jam vero ab ævo tempus ire certum est. Plato ait, Χρόνος γὰρ μετ' οὐρανοῦ γέγονεν. Ἰν' ἅμα καὶ λυθέντες ἅμα καὶ λυθῶσι. 'Tempus enim ortum est una cum cælo; ut simul nata, simul etiam dissolvantur.' Durationem vero cæli et τῶν ἀϊδίῳν ζωῆς 'æternorum vitæ' ævum cum veteribus diximus. Ex quo igitur factus est mundus, cælum, ævum; ex eo fluxit et tempus, ejus ideo velut effectus, sicut ævum æternitatis. Hinc optime Hermes Tris-

megistus in Poëmandro, Καὶ τοῦ μὲν αἰῶνος ἢ ψυχῆ, ὁ Θεὸς· τοῦ δὲ κόσμου ἢ ψυχῆ, ὁ αἰὼν· τῆς δὲ γῆς, ὁ οὐρανός.

Æternitatis anima, Dens est; mundi anima, æternitas; terræ anima, cœlum.' Estque Dens Proclo quoque Theol. Plat. πηγὴ τῆς ὅλης αἰδιότητος. 'Omnis æternitatis fons.' Porro αἰὼν nunc est Dei αἰδιότης, 'sempiternitas, semper æternitas;' vocaturque a Proclo νοητὸν, νοερὸν, ævum 'intellectuale,' quod attribuitur primæ menti, seu Deo; qui tamen Dionysio de div. nom. πρὸ αἰώνων, καὶ πρὸ αἰῶνος, καὶ ὑπὲρ αἰῶνα ἔστι, 'ante æternitates, ante ævum, et super ævum est:' nunc est angeli, beatorum aliorumque quæ æterna vocantur: non quod Deo συναΐδια 'co-æterna' sint: sed μέσα ὄντων καὶ γιγνομένων. ὅσα πῆ μὲν αἰῶνος, πῆ δὲ χρόνου μετέχει, 'media inter illa quæ vere sunt, et ista quæ fluunt: quæcunque' scilicet 'partim quidem æternitatis, partim vero temporis participia sunt:' inquit idem: æternitatis, quia æterna futura sunt: temporis, quia esse cœperunt. Unde omnes post summum Jovem Dii æviterni ab Ennio, ævintegri ab Apuleio nuncupantur, quod æternum ævum illis adsit: homines vero sint ævi mutabilis, ut quibus est [Virgil. Æneidos IX.] 'Angustus terminus ævi.' Vallin.

[Stabilisque manens das cuncta moveri] Esse primum movens immotum probat Aristoteles libro VIII. Physic. Ibique laudatur Anaxagoras, quod dicat τὸν νοῦν ἀπαθῆ καὶ ἀμιγῆ εἶναι· ἐπειδὴ περ κινήσεως ἀρχὴν ποιεῖ αὐτὸν εἶναι· οὕτω γὰρ μόνως ἂν κινούη ἀκίνητος ὢν καὶ κρατοίη ἀμιγῆς ὢν, 'inertem impatibilem esse et non mixtam, quippe qui eam motus principium faciat: hoc enim duntaxat modo immobilis manens movebit, et mixtionis expers dominabitur.' Hinc Proclo Theol. Plat. lib. I. cap. 12. est quidem anima universi αὐτοκίνητος, 'per se mobilis.' πρὸ δὲ ταύτης, ὁ νοῦς ἀκίνητος ὢν. 'Ante vero istam' animam est 'ipsa

mens immobilis existens.' Sequitur vero, Καί μοι τοῦτο τὸ ἀκίνητον μὴ τοιοῦτον ὑπολάβης· οἶον τὸ ἀργόν, καὶ ἄξων, καὶ ἄπνευμον εἶναι φαμέν, ἀλλὰ τὸ πάσης κινήσεως ἀρχηγικὸν αἴτιον, καὶ τὴν πηγὴν, εἰ βούλει, πάσης ζωῆς. 'Hoc autem immobile, ne mihi tale esse putes, quale dicimus esse, otiosum, et expers vitæ, et nullo spiritu præditum; sed omnis motionis principem causam, et (si velis) fontem omnis vitæ.' Ideo recte D. Dionysius de divin. nominib. τί δὲ καὶ περὶ τῆς θέλας στάσεως, ἦτοι καθέδρας φαμέν; τί δὲ ἄλλο γε παρὰ τὸ μένειν αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ τὸν θεόν; καὶ ἐν ἀκινήτῳ τ' αὐτότητι μονίμως πεπηγέναι; καὶ ἀραρότως ὑπεριδρῦσθαι, καὶ τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ περὶ τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἐνεργεῖν, καὶ κατὰ τὸ ἀμετάστατον αὐτὸν ἐξ ἑαυτοῦ πάντως ὑπάρχειν, καὶ κατὰ τὸ ἀμετακίνητον αὐτὸ, καὶ ὀλικῶς ἀκίνητον. αὐτὸς γὰρ ἔστιν ὁ τῆς πάντων στάσεως, καὶ ἔδρας αἴτιος. ὁ ὑπὲρ πᾶσαν ἔδραν καὶ στάσιν. καὶ ἐν αὐτῷ πάντα συνέστηκεν, ἐκ τῆς τῶν οἰκειῶν ἀγαθῶν στάσεως ἀσάλευτα διαφυλαττόμενα. 'Quid autem de divino statu vel sede dicemus? quid nam aliud, nisi in seipso permanere Deum, in sua immobili identitate firmiter constanterque collocatum, et secundum eadem ac circa idem eodemque modo agere, atque per id, quod ipsum immutabile, et ipsum immobile est, ab omni sui mutatione ac motu omnino solutum esse et liberum? Ipse enim est omnium status et stabilitatis auctor, qui super omnem stabilitatem statumque existit, atque in eo consistunt omnia, dum a honorum suorum statu incomota servantur.' Dens igitur rerum omnium origo, fons, et vita, miro omnia modo creat, producit, movet atque agitat ipse ἀκίνητος, 'immobilis:' unde idcirco eum Apuleius lib. de Philosophia natur. Platon. 'rerum omnium exortorem' appellat, nomine divinæ potentiae aptissimo: sic enim legendus est is locus ex vet. cod. 'Is unus, αἰτ, ἀπερίμετρος, genitor, rerum-

que omnium extor.' cum in hactenus impressis habeatur, *extor.* quod absit ut quisquam de Deo dicat: quid enim extorqueat omnipotens sapientia, quæ 'disponit omnia suaviter?' *Idem.*

Quem non externæ] De origine Mundi rerumque principiis quam diversa senserint Philosophi, tradit Paulus Merula, in Commentar. ad 1. Annal. Ennii, pag. 19. et seqq. item Jac. Pontanus in absolutiss. Virgil. Commentar. ad Eclog. vi. *Sitzm.*

Materiæ fluitantis opus] Mundum hunc sen Universum; Plato Timæo, Βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὲ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν, παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἡγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκείνῳ τούτῳ πάντως ἄμεινον. 'Nam cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, nihil admiscere, quoad natura pateretur; quicquid erat quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillum, sed quod immoderate et inordinate agigaretur ac fluitaret, idque ex inordinato in ordinem adduxit ratus ordinem jactatione omnino esse meliorem ac præstantiorem.' Hinc pulcherrima illa κόσμον τάξις. Apuleius libro de phil. natur. Platonis, 'Initium omnium corporum materiam esse memoravit: hanc et signari impressione formarum. Hinc prima elementa esse progenita, ignem et aquam, terram et aëra.' *Vallin.*

Materiæ fluitantis opus] Diogenes Laërt. in Platone: ἀτάκτως δὲ ποτε αὐτὴν (ὑλὴν scilicet) κινουμένην, ὑπὸ τοῦ θεοῦ φησὶν εἰς ἓνα συναχθῆναι τόπον, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγησαμένου. *Sitzm.*

Livore carens] Hoc est, Quem non externæ causæ, quæ nullæ erant, sed ipsa forma summi boni, id est, non idea aut exemplar, ut scribunt commentatores, sed ipsa substantia seu

essentia summi boni, quæ 'insita,' hoc est, in te est: 'livore carens,' omnis scilicet perfectionis fons et origo, ad totius creaturæ productionem impulit. Ipsa autem Platonis verba in Timæo hæc sunt, Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. τούτου δ' ἐκτὸς ὧν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. 'Bonus erat: bonus autem nulla unquam aliqua de re invidia tangitur. Ergo cum livor ab eo alienissimus esset, omnia voluit quam maxime sui similia generari.' *Vallin.*

Tu cuncta superno Ducis ab exemplo] Seu exemplari, hoc est, Idea illa, quæ est in mente Dei, non vero quid ab eo externum, ut præceptor, Græca fide, imposuit Aristoteles. Eam esse Platonis veram germanamque sententiam mox ipse asserit Boëtius: 'Pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similique in imagine formans.' Ubi mundi ideam formamque Deum mente gerere vides: ejusdemque mundi, qui primum in idea seu mente divina fuit, imaginem, qualis nunc est, factam postea et constitutam. *Idem.*

Pulcrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens] Thales apud Laërt. lib. I. κάλλιστον κόσμος· ποίημα γὰρ θεοῦ. Apuleius de Dogmate Platonis: 'Iccirco autem perfectissimo et pulcherrimo mundo instar pulchræ et perfectæ sphaeræ a fabricatore Deo quæsitum est, ut sit nihil indigens: sed operiens omnia, coërcensque contineat: pulcer et admirabilis, suique similis, sibi que respondens.' *Sitzm.*

Tu numeris elementa ligas] Quem in modum Plato animam mundi ex numeris fabricatam esse docuerit, et quod hinc etiam probari possit contentum quendam esse cælestium corporum, exponit Macrob. in Somn. Scip. libro II. cap. 2. Vide et Laërt. lib. III. Claudianus de Raptu Proserpinæ vs. 250. 'Heic Elementorum seriem, sedesque paternas Iusignibat

acu: veterem qua lege tumultum Discrevit natura parens, et semina justis Discessere locis: quicquid leve fertur in altum: In medium graviora cadunt: incanduit æther: Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.' *Idem.*

Tu numeris elementa ligas] Verba ipsa Platonis in *Timæo* videnda: quæque annotant ad ea Marsil. Ficinus, Seb. Foxius, et Macrobius in *Somn. Scip. lib. i. cap. vi. Vallin.*

Tu triplicis mediam] Ventum est ad partem suscepti operis difficillimam, in qua explananda tot frustra sudarunt viri eruditi. Animus quoque est, idem periculum subire, atque e Platone sic totum locum illustrare, ut si satisfactum minime sit doctis omnibus, certe Platonicis iri confidam.

Primum hæc esse nobilissima et primaria substantiarum genera apud Platonicos notandum est: ut primo sit τ' ἀγαθόν, τὸ θεῖον, τὸ καλόν, ἡ εὐδαιμονία, ἡ σοφία, 'ipsum bonum, divinitas, pulchrum, beatitudo, sapientia;' denique ὁ Θεός, ipse Deus, seu summa potestas ac summa divinitatis substantia, omnium potens, omnium effectrix, in se permanens, ὑπερουρανίων, supra entium omnium et naturam et captum. Deinde νοῦς, ψυχὴ, σῶμα ἢ ὕλη, 'mens, anima, corpus seu materia:' quibus mundi εἰσταξίαν illam admirabilem constitui voluit Deus: cum vellet hoc Universi opus, νοητὸν, ἔμψυχον καὶ σωματοειδές, 'intelligentiæ, animæque particeps, corporeumque' efficere: quod sic exponit Plato in *Timæo*. Cum sola sua bonitate Deus mundum facere statuisset, ad suum et αἰδίδιον παράδειγμα, 'æternum exemplar,' et qualem scilicet mente gerebat, hoc est, bonum perfectumque et 'pulchrum pulcherrimus ipse,' formavit. Ex materia autem σωματοειδές καὶ αἰσθητὸν 'corporeum esse subque sensum cadere' voluit. Sed quia materia illa rudis et figurationis qualitate viduata, fluitans alioquin, fin-

genda formandaque fuit; Animam Dens, qua moles illa viveret, qua fluitans sisteretur, quaque informis formaretur, iufundere optimum duxit. Quia porro tum animata illa moles errori adhuc corruptionique manebat innoxia, neque erat exemplaris mentis divinæ perfectissimæ imago, quod nimirum esset ἀνόητος, addidit illi intelligentiam Deus, mundumque hac ratione perfectissimum absolvit: qui ea anima, cui adhæret intelligentia, præditus, subsistens jam mirum ordinem speciemque assequeretur: anima enim præterquam quod materiam illam seu corpus tanquam forma informat, etiam vinculum est quo 'connectitur' intelligentia; quæ absque media illa natura cum corpore conjungi non poterat: jam dudum Proclo censente cum Platone νοῦν ἄνευ ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῷ, 'mentem alicui sine anima adesse impossibile.' ἡ γὰρ ἀμέριστος οὐσία τοῦ νοῦ, διαιώνιος ἀμέσως συντάττεσθαι τῷ σωματοειδεῖ πῶς ἂν δύναιτο; 'Individua enim et æterna Mentis essentia quomodo cum eo, quod corporis formam habet, immediate componi possit?' Hæc igitur est Animæ Mundi natura et dignitas: qua scilicet utitur Deus, non solum tanquam spiritu ad vitam viventibus tribuendam, sed etiam tanquam substantia, quæ particeps intelligentiæ imitatrixque divinæ mentis et τοῦ ὄντος ἀεὶ, 'ejus quod semper est,' cælo ignes accendit, aëra ac mare luce æstuque replet atque attollit, terras animalibus plantisque fœcundat, tellurem denique alterna in ævum vice nunc pruinis, nunc floribus vestit, nihil videlicet a primævo permanendi etiamnum tenore discedens. Hinc est quod apud Apuleium [lib. de Plat. natur. phil.] 'illam Cælestem Animam, fontem animarum omnium, optimam et sapientissimam, virtutem esse genitricem, subservire etiam fabricatori Deo, et præsto esse ad omnia inventa ejus' Plato 'pronuntiat.'

Et Virgilius ex ejusdem mente sic eam lib. vi. describit, ‘Principio cœlum ac terras camposque liquentes Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem, et magno se corpore miscet. Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum, Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus.’ Ubi Anima Mundana seu Cœlestis, [sic enim eam Plato vocat] ‘Spiritus’ dicitur, quatenus cœlum et res omnes inferiores ‘alit’ atque animat; ‘Mens’ vero, quatenus mundi molem movet atque ‘agitat,’ concentuque tam mirabili moderatur. Hoc est cur Plato ejusdem Animæ naturam constituit ex ‘Eodem,’ seu substantia ἀπλῶ, simplici, seu individua et intelligibili, quæ proinde semper eadem sui que semper similis corruptioni errorique obnoxia non est, hoc est, ex mente. Et ex ‘Altero,’ hoc est, ex substantia dividua et sensili, πολυμερεῖ καὶ πολυτρόπῳ, ‘multiplici mutationique obnoxia.’ Tertiam vero quandam naturam, ipsam esse Animam dicit, partim intelligentiæ, partim sensibilibium rerum capacem: non quod geminæ illæ naturæ intelligibilis et sensilis, quæ contrariæ inter se sunt, in tertia illa commisceantur confundanturve, ut diximus: fieri enim non potest: sed quod natura seu substantia illa tertia, duarum illarum ‘media,’ ejusmodi sit, quæ illas plurimum dissidentes connectat et ex illis constet. unde eam Plato vocat τρίτον ἐξ ἀμφοῖν οὐσίας εἶδος, ‘ex duobus tertium substantiæ genus;’ et Boëtius eleganter ‘triplicis naturæ.’

Hic ergo est ordo verborum, ‘Tu connectens Animam’ Mundi seu Universi, ‘mediam’ inter intelligentiam et sensum ac utriusque participem. Non tamen intelligentiæ tantum, aliouin in inferioribus generationes non fierent: quia omnia etiam inferiora eodem se modo semper habe-

rent, neque corrumperebantur: non sensus etiam, cuncta enim cœlestia quoque errori mutationique essent obnoxia: sed tertiam quandam naturam, ipsam Animam, quæ et intellectus et sensus capax esset. ‘Per consona membra resolvit.’ Ex Platone. Huic Animæ necessaria erant membra his naturis facultatibusque consona: non aures, aut pedes manusve, inquit, quibus scilicet moveretur: sed motum dedit illi Deus qui corpori ejus esset aptissimus, orbicularis nimirum, qui unus ex septem motibus ad mentem et intelligentiam, νοῦν καὶ φρόνησιν, pertineret. Itaque, inquit, κατὰ τ’ αὐτὰ ἐν τῷ αὐτῷ καὶ ἐν αὐτῷ περιγαγὼν αὐτὸ, ἐποίησε κύκλῳ κινεῖσθαι στρεφόμενον, ‘cum illum per eadem, et in eodem, et in seipso circumduxisset, effecit ut circulari conversione moveretur.’ Nimirum dum illa movet orbem primum mobilem, hoc est, cœlum intelligentiæ, quod eodem semper motu agitur; et orbem generationis, hoc est, errori obnoxium, qui est planetarum orbis, omnium generationum causa, quandoquidem intelligentiæ motus circularis est, ‘in semet reditura meat:’ quia scilicet divisa seu, ut loquitur cum Platone Boëtius, ‘secta in duos illos orbis,’ in se convertitur, neque extra se fertur, omnia continens: figura enim orbiculata perfectissima est, ut quæ Aristoteli quoque μήτε ἀρχὴν, μήτε τέλος ἔχει, ἀλλ’ εἰς ἑαυτὸ συνένευκε, ‘neque principium habet, neque finem, sed in seipsam convertitur.’ Ideo quoque orbicularis Platoni, τῷ γὰρ τὰ πάντ’ ἐν αὐτῷ ζῶα περιέχειν μέλλοντι ζῶῳ, πρέπον ἂν εἴη σχῆμα τὸ περιληφὸς ἐν αὐτῷ πάντα ὁπόσα σχήματα, ‘animal quippe hoc, quod intra suum ambitum erat animalia omnia contenturum, eam figuram præcipue requirebat, in qua figuræ omnes continerentur.’ Hanc vero Plotinus motus istius causam naturalem tradit, ἐκ τῆς σχέσεως ἣν ἔχει πρὸς τὰ πρὸ αὐτοῦ

προσεχῶς δέ εἰσιν ὑπὲρ τὰ οὐράνια αἱ νοηταὶ οὐσίαι. δεῖ δὲ τὸ αἰτιατὸν ὅτι μάλιστα ὁμοιοῦσθαι τῷ προσεχεῖ αἰτίῳ καὶ τούτου εἰκόνα καὶ μίμημα φέρειν· διὰ τοῦτο οὖν φησι κύκλῳ κινεῖται ὁ οὐρανός, ὅτι νοῦν μιμεῖται. ἴδιον γὰρ τοῦ νοῦ πρὸς ἑαυτὸν συννεύει. αὐτὸς γὰρ ὁ ὄρων, αὐτὸς ὁ δρώμενος. ὄρων γὰρ τὰ εἶδη, ἑαυτὸν ὄρᾳ. καὶ ἑαυτὸν δρών, τὰ εἶδη τεθέεται. πλήρωμα γὰρ ἐστὶ τῶν εἰδῶν, καὶ εἶδος εἰδῶν· ἔχει οὖν ὁ οὐρανός τὸ σφαιρικὸν σχῆμα διὰ τὴν κύκλῳ κίνησιν. ταύτην δὲ διὰ τὴν πρὸς τὸν νοῦν ἑξομοίωσιν· καὶ ἄλλως μιμεῖται τὸν νοῦν ἀμερῶς πανταχοῦ ὄντα. ὡς οὖν ἐκεῖνος ἅμα πανταχοῦ ἐστίν, οὕτως ὁ οὐρανός πανταχοῦ γίνεταί· τῷ οὖν πανταχοῦ γίνεσθαι τὸ πανταχοῦ ὄν μιμεῖται. τελείωσις γὰρ τῶν χειρόνων ἢ πρὸς τὰ ὑπέρτερα ἐπιστροφή τε καὶ ἑξομοίωσις, ‘ex habitudine, quæ habet ad ea, quæ ante se sunt. Cohærenter autem et in continenti sunt supra cœlestia intelligibiles substantiæ. Oportet autem effectum cohærenti maxime causæ assimilari et ejus imaginem quam proxime imitari. Propterea ergo, inquit, in orbem cœlum movetur, quia mentem imitatur: mentis enim proprium est ad seipsam converti. Ipsa enim videns, ipsa est quæ videtur: formas enim videns, seipsam videt: et seipsam videns, formas contemplatur: formarum enim est plenitudo et forma formarum. Habet itaque cœlum sphæricam figuram, ut in circulum moveatur: ideo autem ita movetur, ut menti similis reddatur. Et alioqui imitatur mentem, quæ indivisibiliter ubique est, ita et cœlum ubique fit: eo itaque, quod ubique fiat, id quod ubique est imitatur. Deteriorum enim perfectio est ad superiora conversio et assimilatio:’ ait Joa. Philoponus in lib. I. Arist. de Anima. Ubi duo habes: primum, Animam mundi, eo quod sit mentis particeps, cœlum movendo in seipsam converti, quod motus τοῦ λογικοῦ seu νοητοῦ indicium est, hoc est, ut ait Boëtius, ‘in semet redituram

meare.’ alterum, Animam illam tam certo moderamine movere cœlum, quia ‘Mentem’ superiorem et divinam seu ‘profundam circuit,’ sive ut inquit Synesius, Μέγαν ἀμφὶ νοῦν χορεύει, ‘Magnam circa mentem movetur.’ Cujus nimirum movendi rationem, quantum potest, in convertendo cœlo imitatur: supra enim animam mundi, quæ corpus mundi supereminens circumplectitur, sola mens æterna substantiæque νοηταὶ sunt. Nimirum Mens illa supercœlestis Deo plena, divinitatisque proxima et fida observatrix, constans divinæ voluntatis custos, σωμάτων, καὶ ψυχῶν, καὶ ζωῆς πατὴρ καὶ αἴτιος, ‘corporum et animarum omnisque vitæ parens et causa,’ vitam motumque rebus omnibus, pro materiæ qualitate, largitur. A qua quantum orbium cœlestium unusquisque abest, tantum inconstantiori volubiliorique motu torquetur: qui vero eam propius accedit, motu uniformi sapientissimoque convertitur: ita ut constantia illa, qua universum hoc subsistit ac viget, sit ‘imago’ constantiæ mentis illius divinæ: quæ supra mundum existens, πρῶτιστος, ‘prima;’ in mundo vero, μεθεκτός ‘participata’ dicitur, seu ipsa Anima Mundi: quam sic quoque describit Hermes Poëmandro, seu, ut D. Cyrillus ait, librorum Hermaicorum auctor, qui eos Athenis composuit, Καὶ ὁ μὲν Θεὸς, ἐν τῷ νῶ· ὁ δὲ νοῦς, ἐν τῇ ψυχῇ· ἢ δὲ ψυχῇ, ἐν τῇ ὕλῃ· πάντα δὲ ταῦτα διὰ τοῦ αἰῶνος· τὸ δὲ πᾶν τοῦτο σῶμα, ἐν ᾧ τὰ πάντα ἐστὶ σώματα, ψυχῇ πλήρης τοῦ νοῦ καὶ τοῦ Θεοῦ, ἐντὸς μὲν αὐτὸ πληροῖ· ἐκτὸς δὲ περιλαμβάνει ζωοποιούσα τὸ πᾶν· ἐκτὸς μὲν, τοῦτο τὸ μέγα καὶ τέλειον ζῶον τὸν κόσμον· ἐντὸς δὲ, πάντα τὰ ζῶα. καὶ ἄνω μὲν ἐν τῷ οὐρανῷ διαμένουσα τῇ ταυτότητι· κάτω δὲ ἐπὶ τῆς γῆς τὴν γένεσιν μεταβάλλουσα, ‘Et Deus quidem in mente, mens in anima, anima autem in materia; omnia vero ista per ævum: universum autem hoc corpus,

in quo corpora omnia sunt; anima, mente, Deoque plena, intima mundi replet, circumplectitur extima: vitam omnibus hæc suggerit, extrinsecus quidem ingenti huic perfectoque animali mundi; intrinsecus autem cæteris, quæ iusunt mundo, viventibus. Supraque in cælo cum eo, quod idem est, persistens: infra vero in terra, generationem agitans.'

Prætermittendum minime tamen est, locum Platonis in Timæo de Anima quoque humana rationali intelligi exponique posse, cum ibi Joa. Philopono aliisque doctissimis viris descripta utraque esse videatur. Eam enim esse, sicut Animam Cœlestem seu Mundanam, duarum substantiarum mediam tertiam, membra habere, caput nimirum menti rationique; cor, hepar, atque alia perturbationibus consona. Ea duplicem conversionem habet, ad res intelligibiles, et ad res sensibiles; hoc est, in duos orbis secatur. Unum exteriorem, majorem scilicet, quem efficiunt animæ vires intelligibiles seu ἀναγωγολ, καθ' ἃς ἀνατείνεται πρὸς τὸ θεῖον, 'erectivæ, per quas ad divina sursum attollitur,' inquit Philoponus: alterum minorem, qui ab exteriori continetur, quem cognitio per sensus efficit, seu facultates γενεσιουργολ, καθ' ἃς ἐπιστρέφεται πρὸς τὰ τῆδε, 'generativæ, per quas ad ea quæ hic sunt, convertitur.' Animæ igitur vires moventur ad res intelligibiles, Deum, mentem: moventur et ad sensibiles, quæ videntur, audiuntur. Et quia motus ille duplicem conversionis circulum seu orbem efficit, certum est in se redire: circuli enim proprium est in se converti: συνάπτει γὰρ τῇ ἀρχῇ τὸ πέρας καὶ ἔστι μόνη τέλειος, 'principio enim finem conjungit, atque solus perfectus est,' ait Arist. lib. VIII. phys. Anima enim sensuum adjuncta ministerio, res primum sensibiles apprehendit, quarum species cum in se reflexit, eas veluti imperfecta quædam φαν-

τάσματα intellectui communicat: is quid in qualibet re sibi simile, id est, quid ens, quid idem, quid verum recognoscens discernit; qua ope anima confirmata, de veritate jam certior facta, judicat ac ratiocinatur. Ita utraque Anima, et Mundi et Hominis, qui μικρόκοσμος est, perfectissima mentis divinæ imago est: perfectissima, inquam, quia intelligens; intelligente vero perfectior non est. Similiter quemadmodum Anima Mundi, dum 'Mentem illam profundam circuit' et ad eam convertitur, ab ea continuo motus sui, quo universum hoc omne movetur et subsistit, accipit constantiam; quod, ut ait Proclus, sit mens τῆς ψυχῆς κυβερνήτης, 'animæ gubernatrix:' ita Anima rationalis, conversa ad eandem mentem, a qua sortitur intelligentiam, supercœlestium, ac æternarum rerum semperque manentium compos, omnisque veritatis et notionum certarum capax, perturbationesque ex sensibus provenientes sedat ac temperat: censet enim ipse in Phædro Socrates τὸν μερικὸν νοῦν θεᾶσθαι τὸν ὑπερουράνιον τόπον, 'particularem mentem supercœlestem locum contemplari.' hoc est, vere semperque entia, ut Deum, mentem ac seipsam. Quæ cum omnia recte animæ rationali conveniant, hoc tamen loco Boëtium de anima Mundi agere certum est, tum quia Platonis mentem de ead. Anima disserentis exprimit, tum quia nemo est qui extrema hæc verba, 'Et simili convertit imagine cælum,' animæ rationali humanæ accommodare possit: licet hoc conetur Francis. Catanens, pulchre ad hunc locum ineptiens.

Neque nescio hos quoque versus de intelligentia orbem movente accipi: quam opinionem, cum ne probabilis quidem sit, nos hic non moramur: ea autem est Thomæ Galensis, seu Valensis aut Valesii: ejus enim in hos Boëtii libros Commentum

est, profecto commentum, quod falso sub D. Thomæ Aquinatis nomine circumfertur: quod viri sanctissimi juxta ac doctissimi non esse tum ipsum scribendi genus, et multa inscite ineptissimeque prolata; tum hallucinationes innumeræ, hinc et inde operi inspersæ, confirmant: veluti cum ad hæc verba lib. III. 'Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus,' &c. ait, 'Nota quod Alcibiades mulier fuit pulcherrima, quam videntes quidam discipuli Aristotelis, duxerunt eam ad Aristotelem, ut ipsam videret; qua visa dixit, Si homines oculos lynceos haberent, ut quæque obstantia penetrarent, introspectis visceribus, corpus, quod apparet pulcherrimum, turpissimum videretur.' ubi non uno errore peccatum est: et ibidem Tænara dicta 'athrenis, quod apud Inferos sit threnus et lamentatio:' ut cætera omittam plurima æque putida. Deinde cum is adferre soleat testimonium Alani de Insulis, qui carmen 'de planctu naturæ et scientiæ' scripsit circa annum nimirum MCCC. Div. vero Thomas mortalitatem anno MCCLXXIII. exuerit; Div. certe Thomam non citasse scripta nondum scribentis consequens est. Est igitur Thomæ Galensis seu Anglici, sic enim multi codd. variant, cujus est et ea Summa Logicæ, quam vocant, quæ D. Thomæ nomen præfert: librarii enim nominis affinitate decepti, ubi scriptum fuit, 'Thomæ Anglici ord. Prædicator.' reponendum putaverunt, 'Thomæ Angelici ord. Prædic.' Neque desunt qui scribant ejusdem Thomæ Anglici esse Commentaria in Genesim, Isaiam, Jeremiam, Epist. Canonicas et Apocalypsim, quæ eidem divo viro tribuuntur. Hoc monimus, ne quis ea deinceps pro sanctiss. viri scriptis habeat; aut de iis loqui putet Politianum [nisi si lapsus est] cap. 1. Miscellaneorum, sed de iis quæ in Boëtii libros de Trinitate et de Heb-

domadib. scripsit. *Vallin.*

Tu triplicis mediam] Summam hujus dogmatis ita recenset Diogenes Laërtius libro tertio, in quo vita Platonis: 'Definiebat animam esse ideam penitus remoti spiritus, seipsam moventem et motum præstantem corpori, et esse tripartitam. Rationalem ipsius partem sitam in capite, irascibilem in corde, concupiscibilem in umbilico et jecore consistere: continere item ex medio semper corpus per gyrum, atque ex elementis constare: divisamque secundum Harmoniæ intervalla, duos orbis efficere conjunctos, ex his interiorum circumferentiam in sex alios scissum, septem reliquos circulos facere, eumque juxta diametrum ad lævam intrinsecus habere sedem, alterum vero secundum latus ad dextram, ideoque ipsum obtinere, quod sit unicus: alterum quippe interius in plures esse divisum, atque hunc ipsius, illos alterius esse: dicens hanc quidem animi, illam vero universi esse motionem, errantiumque siderum motus, ita se habentes, ut ex medio sit scissio sibi ad extrema congruens atque conjuncta, nosse quæ sunt atque aptare, eo quod in se ipsa per Harmoniam elementa habeat. Et opinionem quidem fieri secundum alterius circumferentiam se subrigentem, scientiam vero secundum alium qui sit idem.' B. Augustin. lib. XIII. De Civ. Dei, c. 17. 'Hanc animam Plato ab intimo terræ medio, quod Geometriæ Centrum vocant, per omnes partes ejus usque ad cæli summa et extrema diffundi et extendi per numeros Musicos opinatur, ut sit iste Mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cujus anima et perfectam sapientiæ felicitatem teneret, et corpus proprium non relinqueret, cujusque corpus et in æternum ex illa viveret, et eam quamvis non simplex, sed tot corporibus tantisque compactum, hebetare atque tardare non posset.' *Sitzm.*

Causis animas paribus, vitasque mi-

nones *Provehis*] Postquam egit de principe illa Anima Universi, nunc de particularibus dicere aggreditur. Quarum alias quidem ἀπλῶς Animas vocat, videlicet cœlestes et angelicas, Deos nimirum mundanos, heroas, Dæmonas, qui corpore, vel quasi corpore, tenni nimirum et cœlesti præditi sunt: intellectuales nihilque materiæ habentes, medios inter ψυχὰς θείας ‘divinas animas,’ quæ a supercœlesti loco ad profundam cœli mentalis partem agentes, divino lumine ardentem ipsum veritatis campum, sapientiæque divinæ essentiam propius intuentur; et ψυχὰς ἀνθρωπίνας, ‘humanas,’ quæ τῇ ὕλῃ, ‘materiæ’ seu corpori affixæ sunt: quos ideo Deos mediocinos iudigitavit antiquitas: eæ vero animæ in reliqua cœli parte usque ad subcœlestem et concavum ejus locum degunt, imitantes divinas animas, minus vero quam eæ mentem divinam, seu ipsam vitam veritatemque participant. Alias vero, ‘Vitas minores’ vocat, nempe ‘Humanas,’ quæ non mentem semper participant, ut divinæ et cœlestes, sed nunc ad eam, Deumque, nunc ad res corruptibiles convertuntur. Animarum enim triplex ordo, Proclus, Πρῶται μὲν, αἱ θείαι. δεύτεραι δὲ, τῶν μὴ θείων, αἱ ἀεὶ νοῦ μετέχουσαι. τρίται δὲ, αἱ ποτὲ μὲν, εἰς νοῦν, ποτὲ δὲ, εἰς ἀνοιαν μεταβάλλουσαι, ‘Primæ quidem, sunt Divinæ. Secundæ vero, non Divinarum naturarum sunt, quæ semper Mentem participant. Tertiæ vero, eæ sunt, quæ modo quidem in Mentem, modo vero in amentiam mutantur;’ quæ humanæ sunt: quas ideo Hierocles medias νοῦ καὶ ἀλογίας, ‘inter mentem et rationis privationem’ appellat: ideo ‘vitas minores’ vocat Boëtius. Vitas, quia ideo quod vitæ sunt, animæ sint; siquidem Πᾶσα ψυχὴ, καὶ ζωὴ ἐστὶ καὶ ζῶν, ‘Omnis Anima, et Vita est et id quod vivit.’ Quod vero ait, ‘Causis paribus,’ Plato scripsit ἐκ

τοῦ αὐτοῦ κρατῆρος, ex eodem cratere seu temperamento, quo cœlestes Animæ seu Mundani Dei, Dæmones seu ipsi heroës: quod ejusdem dignitatis sint, utpote quæ mentem participant. *Vallin.*

Vitasque minores Provehis] Irrationalia Boëtium intelligere animalia D. Thomas existimat. ‘Formæ minores’ simili notatione apud Senecam in Hippol. vs. 298. ‘Induit formas quoties minores Ipse qui cælum nebulasque ducit?’ ‘Tennes vitæ,’ Virgil. iv. Georg. ‘Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris, cælumque profundum: Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum, Quenque sibi tennes nascentem arcescere vitas.’ Sed et Silus lib. xv. homines vocat Deos minores, ‘Mortalibus alti Quantum cælicolæ, tantundem animalibus isti Præcellunt cunctis, tribuit namque ipsa minores Hos terris Natura Deos.’ *Sitzm.*

Levibus sublimeis curribus aptans] Levibus curribus, hoc est, corpori seu naturæ cuidam cœlesti: quæ animarum vehiculum est. Animæ dum a Deo creantur, ait Plotinus, a loco supercœlesti seu mundo intelligibili, qui Jovis maximi seu Mentis Idealis et creatricis sedes est, procedunt εἰς οὐρανὸν μὲν πρῶτον καὶ σῶμα ἐκεῖ προσλαβοῦσαι, δι’ αὐτοῦ ἤδη χωροῦσι καὶ ἐπὶ τὰ γεωδέστερα σώματα, ‘primo in cælum: ibique corpus accipientes, per ipsum jam in corpora quoque magis terrena labuntur.’ Corpus illud seu quasi corpus ætherium, cœleste esse, ejusdemque cum astris substantiæ Platonici existimabant, animæque in inferiora labenti adhibebant, ut esset non solum quod animaret anima, [cui semper adesse oporteat corpus quod animet] sed quemadmodum animæ, qua animalis est, spiritus ille, qui est e puriori tenuiorique sanguinis substantia, pro vehiculo est, quo illa in omnes corporis partes dif-

funditur: sic animæ, qua rationalis intellectualisque est, in hæc inferiora labenti, adesse corpus illud, seu quasi corpus, cœleste seu ætherium volebant: quod tenuissimum cum sit, recte simplicissimæ animæ vehiculum esse perhiberetur; quo illa comite in Dei substantiarumque intelligibilium cognitionem tolleretur. Ea enim separabilis a corpore cum sit, nihilque communionis utriusque actiones habeant, sequitur illi corpus aliquod aliud adesse, quod purioris sit naturæ quam terrenum, quod nimirum sit intelligentiæ capax, et quandam tamen affinitatem cum corpore terreno habeat. Cujus animæ vehiculum agnoscit quoque Aristoteles de generat. anim. libro II. cap. 3. ubi corpus istud *θειότερον τῶν καλουμένων στοιχείων*, ‘longe quam ea, quæ vocantur elementa, divinius’ constituit: hoc est, ex æthere: unde illud Virgilius lib. VI. ‘Æthereum sensum’ vocat: ‘sensus,’ id est, elementum. Et longe ante Pacuvius, ‘Mater est Terra, ea parit corpus, animam æther adjugat.’ Aristoteles vero atque alii *πέμπτον σῶμα*, quintum elementum; Themistius *θειὸν καὶ οὐράνιον*, ‘divinum et cœleste.’ Apuleius lib. de Mundo, ‘Sed cœlum ipsum stellæque cœli genæ omnisque siderea compago, Æther vocatur: non, ut quidam putant, quod ignitus sit et incensus, sed quod cursibus rapidis semper roretur: elementum non unum ex quatuor quæ nota sunt cunctis, sed longe aliud, numero quintum, ordine primum, genere divinum et inviolabile.’ Hinc apud Manlium lib. IV. homo ‘Cœlum scrutatur in alto, Cognatumque sequens corpus se quærit in astris.’ Ex eo igitur divino et cœlesti elemento humanas animas, in earum descensu, corpus divinum et cœleste assumere in corpora inferiora labentes putabant: quod intelligentibus illis esset intellectuale vehiculum, quod Plato vocat *ἀγχοειδὲς*, ‘ra-

rum ac splendidum;’ Proclus vero *ἄϋλον, καὶ ἀδιαίρετον, καὶ ἀπαθὲς*, ‘immaterialum et individuum et affectionis expers.’ Quod dogma non Platonici philosophi modo, sed et Christianorum multi primis sæculis amplexati sunt. Origenes quidem libris *περὶ ἀρχῶν*, suo ut plurimum more Platonizans. Athenagoras vero *Ἀπολογία*, quominus corpus illud *ἀσώματον καὶ νοητὸν* post corporis animæque *διάλυσιν* ‘solutionem’ supersit nihil obstare videri sibi concludit: ex veterum philosophorum sententia, mortuorum quoque corporum resurrectionem futuram inde probans. Quin et non uno post sæculo Joan. Grammaticus Philop. Præfatione in librum Aristotelis de Anima, non solum hoc animæ vehiculum, *quæ τὸ σῶμα οὐράνιον καὶ διὰ τοῦτο ἀίδιον, καὶ ἀγχοειδὲς ἢ ἀστροειδὲς*, ‘corpus cœleste, hoc est æternum, et quod ejusdem cum radiis astrisque sit naturæ,’ agnoscit: sed aliud etiam quod *πνευματικὸν* ‘spiritalē’ dicit, quod post *διάλυσιν* quoque animæ adhæret: hinc nimirum esse quod animæ non purgatæ post discessum e corpore, circa sepulcra errare visuntur, et spectra quæ umbrarum speciem præ se ferunt, hominibus apparent: id etiam animam in inferis subterraneisque judicii locis comitatur, utpote cui tanquam subjecto insunt *θυμὸς καὶ ἐπιθυμία*: quibus in locis si resipuerit ac errorum suorum pœnituerit, tandem ab affectibus pravis liberata purgatur: tumque *τὸν θυμὸν καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἀποτίθεται μετὰ τούτου τοῦ ὀχήματος, τοῦ πνεύματος λέγω*, ‘iram et cupiditatem una cum illo vehiculo, id est, spiritu, deponit:’ ac tandem in cœlum, comite altero illo, de quo supra, æterno corpore sustollitur. Oraculum de Juliani morte, *Δὴ τότε σε πρὸς ὄλυμπον ἄγει πυριλαμπὲς ὄχημα*. ‘Tunc te in cœlum vehet lucidum vehiculum.’ Quam Platonis opinionem a veritate Christiana abhorrentem mi-

rum esset eos e Christi schola doctos viros, imprimisque Catholicam Boëtii philosophiam attigisse, nisi eam v. tantum Synodo ab Ecclesia cum aliis Origenis erroribus, hoc est, multis post extinctum Boëtium annis, condemnatam constaret. Nisi si quis existimaverit Platonem, ut alia multa confinxit, ita hic, ut inquisitionem de animarum descensu omnium difficillimam illustraret, hoc animæ in inferiora descendenti corpus dare voluisse, excogitata scilicet ratione qua ejus ad corpus ὑλικὸν animandum aptitudinem designaret: expressisseque Boëtium Platonis mentem Themistii sensu sic lib. 1. de anima scribentis; Παρὰ Πλάτωνι μὲν τὸ αὐγοειδὲς ὄχημα, ταύτης ἔχεται τῆς ἐπινοίας, ‘Apud Platonem, vehiculum illud rarum ac splendidum nihil aliud, quam ingenium e quo animus constet, ostendit.’ Vallin.

In cælum, terramque seris] Plato Animas *σπαρείσας εἰς τὰ χρόνων ὄργανα*, ‘in temporum instrumenta satas sparsasve’ dicit in Timæo. ‘In cælum,’ animas cælestes seu angelicas: ‘terramque,’ humanas. *Idem.*

Ad te conversas] Qui hoc loco per ‘animas,’ rationales, hominum scilicet: per ‘vitas’ vero ‘minores,’ irrationales, brutorum intellexerunt, [Tho. Valensem, dico, Nic. Trave-tum, Georg. Agricola ac Murmelium] in eum errorem labi necesse est ut asserant, animas brutorum animalium ad Deum converti immortalesque esse; quod profecto sentire juxta ac scribere summum nefas. *Id.*

Reduci facis igne reverti] Per reducem ignem, Animam seu humanam mentem significat: non ignem elementarem sed intellectualem, plenum vitæ ac luminis. Deus enim fons et origo animæ est, cujus ante descensum et post ascensum locus est, ipse ὑπερουράνιος, ubi Platoni Dii Dæmonesque habitant et sola Vesta, quod ibi omnia igne plena: nimirum Deus,

quod ait Paulus 1. ad Timoth. vi. φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ‘lucem habitat inaccessibilem.’ Unde Pythagoræi quoque ignem ἐστίαν τοῦ παντός, καὶ Διὸς οἶκον καὶ μητέρα θεῶν, ‘larem Universi, et Jovis domum et Deorum matrem,’ seu, ut refert Aristoteles, Διὸς φυλακὴν ‘Jovis carcerem’ appellabant. Non solum autem Deum in igne ac lumine habitare, sed ipsum τὸ θεῖον τὸ πῦρ ignem esse Veteres voluerunt. Heraclitus τὸ περιοδικὸν πῦρ ἀίδιον, ‘æternum ignem circularem,’ sicut Democritus νοῦν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ ‘mentem in igne spherico existentem.’ Zeno Stoicus νοῦν κόσμου πύρινον, ‘igneam mundi mentem.’ Posidonius vero πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, ‘intelligentem ac igneum spiritum:’ apud Stobæum. Ipse denique Aristoteles ‘cæli ardorem, Deum dicit esse,’ apud Ciceronem lib. 1. de nat. Deor. Vesta igitur θεῶν μήτηρ, neque solum Deorum, sed Dæmonum, sed heroum quoque: ex ea enim purissima ætheris parte animarum substantiam esse credidit antiquitas. Hinc, ut est apud Varronem, Epicharmus Ennii de mente humana dicit, ‘Ist’ e sole sumptus ignis, isque totus mentis est.’ Idemque apud Priscianum, ‘Terra corpus est, at mentis ignis est.’ Quibus in locis ‘mentis’ pro ‘mens’ dicitur. Mens igitur humana ignis, atque is e sole sumptus, hoc est e cælo: ut respexisse videatur fabulam Promethei, quæ est apud Hesiodum: quam sic verissime exposnit Claudianus, ‘Æthereis miscens terrena Prometheus Sinceram patri mentem furatus Olympo Continuit claustris.’ Quam in sententiam sic Val. Flaccus præiverat, ‘Non si mortalia membra Sortitusque breves et parvi tempora fati Perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi; Fas ideo miscere neces, ferroque morantes Exigere hinc animas redituraque semina cælo.’ Ubi videre est ‘Olympum mentis pa-

treni,' eandemque animam humanam 'ignem superi Olympi socium' appellari. Ovidius, 'Est Deus in nobis, sunt et commercia cœli, Sedibus ætheriis spiritus ille venit.' Sed omnium optime Virgilius lib. VI. 'Igneus est illis vigor et cœlestis origo Seminibus,' inquit. Ut enim animas hominum immortales ostendat, 'igneum illis vigorem' inesse ait, quia nimirum 'cœlestis illis origo' est. Quem locum non solum imitatus est Boëtius, sed et hunc præcipue cum scriberet in animo habuit, quem supra attigimus, 'Donec longa dies, perfecto temporis orbe, Concretam exemit labem, purumque reliquit Ætherium sensum atque aurai simplicis ignem.' Ubi procul dubio vocat 'auræ simplicis ignem,' animam scilicet, quam Boëtius 'reducem ignem' dixit. Conjunxitque 'ætherium sensum' cum 'auræ simplicis igne' Virgilius, nimirum cum aniua vehiculum suum: quod per purgationes fieri ἀγγοειδὲς, 'rarum ac splendidum' voluit Plato. Quod ad eum Virgiliti locum observasse hactenus interpretes non memini. *Idem.*

Reduci facis igne reverti] Val. Flaccus, lib. III. 'Redituraque semina cælo.' Manilius lib. IV. 'An dubium est habitare animas sub pectore nostro, In cælumque redire animas, cæloque venire? Utque est ex omni constructus corpore Mundus, Aëris, atque ignis summi, terræque, marisque: Sic esse in nobis terrenæ corpora sortis, Spiritum et in toto rapidum, quicumque gubernat, Dispensatque hominem? quid mirum noscere Mundum Si possunt homines, quibus est et Mundus in ipsis? Exemplumque Dei quisque est in imagine parva?' Ut porro hoc melius intelligatur, sciendum quod quidam ex Philosophis animæ beatitudinem tunc fieri existimaverint, cum omni prorsus corpore exuta ad Deum simplex et sola quodammodo nuda redi-

ret, de quo commento B. Augustin. in libb. De Civ. Dei. Macrob. lib. I. in Somn. Scip. cap. 9. Existimo autem Pythagoram primo id statuisse. Ita enim ille in fin. Aureorum Carm. Ἦν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθης, Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός. *Sitzm.*

Da pater aug. &c. Da fontem, &c.] Usitata hujus voculæ repetitio et Poëtis et Oratoribus. Seneca in Medea, versu 32. 'Da, da per anras curribus patriis vehi.' In Herc. Fur. vs. 87. 'Da, da tuendos Jupiter saltem Deos.' Virgilius VI. Æneid. 'Da jungere dextram, Da genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.' Silius lib. XII. 'Da summe Deorum, Da pater, ut sacro Libys inter prælia telo Concidat, hand alia potis est occumbere dextra.' Persius Sat. II. 'Da fortunare penates, Da pater, et gregibus fetum.' Val. Flacc. lib. IV. de Junone: 'Mox ita adorta Jovem: Da, quam modo ditibus Argis Campus alit, primæ referentem cornua Phæbes, Indomitamque bovem: da caræ munera nuptæ.' *Idem.*

Da pater augustam menti conscendere sedem] Martianus Capella lib. I. De Nupt. Phil. 'Da pater æthereos menti conscendere cœtus, Astrigerunisque sacro sub nomine noscere cælum.' *Idem.*

Da fontem lustrare boni] Imitatur haud dubie Boëthium sæculi sui Poëtarum coryphæus G. Buchananus in Franciscano: 'Ad fontes penetrare boni, tenebrisque remotis, Tollere perspicuos animi ad cælestia visus.' *Idem.*

Disjice terrenæ nebulas] Val. Flacc. lib. I. 'Eripe me populis et habenti nubila terræ Sancte pater!' *Idem.*

Atque tuo splendore mica] Lactantius de ira Dei, cap. I. 'Nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras, quibus offusa est hominis cogitatio, quoniam in carne mortali agen-

tes, nostris sensibus divinare non possumus. Lumen autem mentis humanæ Deus est: quem qui cognoverit, et in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis cognoscet.' *Idem*.

Principium] Deum esse principium, medium et finem, sic olim scripserat Orpheus, 'Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων ἅμα καὶ μέσον ἠδὲ τελευτήν. 'Principium ille tenet, mediumque ac denique finem.' Quo respiciens Plato sic iv. leg. inquit, 'Ὁ μὲν δὴ θεὸς, ὡς περὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχὴν τε καὶ τελευτήν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἀπάντων ἔχων εὐθέα περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος, 'Deus,' o viri, 'sicut antiquus quoque sermo testatur, principium, finem et media rerum omnium continens, recta peragit secundum naturam circuiens:' dum nimirum providentia sua res omnes conservat. Imo si Jamblichum pie disserentem audias cap. 4. lib. de scitis Pythagoreor. certissime cognitum habneris, "Ὅτι ὁ θεὸς ἀρχά τε καὶ τέλος καὶ μέσον ἐστὶ πάντων τῶν κατὰ δίκαν τε καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον περαινομένων. 'Deum esse principium, medium et finem eorum omnium qui secundum justitiam et rectam rationem vitam absolvunt.' Quo quid sanctius dici potest? ea de re consulendus Hierocles Comment. aurei pag. 16. et deinceps. Ulterius enim inquirere nefas, pelagus est, Dionysius de divin. nominibus cap. 5. Πάντων οὖν ἀρχὴ, καὶ τελευτὴ τῶν ὄντων ὁ προῶν. ἀρχὴ μὲν, ὡς αἴτιος· τέλος δὲ, ὡς τοῦ ἔνεκα, καὶ πέρας πάντων. καὶ ἀπειρία πάσης ἀπειρίας, καὶ πέρατος ὑπεροχικῶς τῶν ὡς ἀντικειμένων. ἐν ἐνὶ γὰρ, ὡς πολλάκις εἴρηται, τὰ ὄντα πάντα καὶ προέχει, καὶ ὑπέστησεν. παρὼν τοῖς πᾶσι, καὶ πανταχοῦ, καὶ κατὰ ἐν, καὶ τὸ αὐτό· καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ πᾶν, καὶ ἐπὶ πάντα προΐων. καὶ μένων ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ ἐστῶς, καὶ κινούμενος· καὶ οὔτε ἐστῶς, οὔτε κινούμενος, οὔτε ἀρχὴν ἔχων, ἢ μέσον, ἢ τελευτήν· οὔτε ἐν τι τῶν ὄντων, οὔδέ τι τῶν ὄντων ὄν. καὶ οὔτε ὄλως αὐτῷ προσήκει τι τῶν αἰω-

νίως ὄντων, ἢ τῶν χρονικῶς ὑφισταμένων· ἀλλὰ καὶ χρόνου, καὶ αἰῶνος, καὶ τῶν ἐν αἰῶνι, καὶ τῶν ἐν χρόνῳ πάντων ἐξήρηται. δι' ὃ καὶ αὐτοαἰῶν, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέτρα τῶν ὄντων, καὶ τὰ μετρούμενα δι' αὐτοῦ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ. 'Ipse igitur entium omnium principium est, et finis. Principium quidem tanquam auctor; finis autem, ut cujus gratia facta sunt, omniumque terminus: infinitas quidem omnis infinitatis, et omnis termini terminus: et id quidem eminenter tanquam oppositorum. In uno enim, ut sæpe jam dictum est, res omnes anticipat atque efficit.' Præsens quidem omnibus, ubique, per unum atque idem: per idem inquam omne et ad omnia prodiens; interea permanens in seipso et consistens, atque se movens. Rursus neque stans, neque motus: neque principium habens, neque medium, neque finem: neque est in aliquo existentium: neque aliquid est eorum: nec omnino sibi quicquam competit eorum quæ æterne sunt; vel eorum quæ temporaliter; sed et tempore, et æternitate, atque iis omnibus quæ in tempore æternitateve sunt, excellenter eximitur. Quamobrem æternitas ipsa resque omnes rerumque mensuræ, et quæ sub mensuras cadunt, per ipsum ab ipsoque sunt.' *Vallin*.

Vector] Seneca Epist. 31. 'Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia.' res nimirum omnes indita virtute sustentans sen, ut ait Paulus, φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, 'portans omnia verbo virtutis suæ.' *Idem*.

Dux] Dum mentem et rationem homini concedis ad Sapientiam, quam nemo rite docuerit εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο, inquit Plato. Deus enim φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, 'illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:' nimirum τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, 'lux in tenebris lucet,' sol in nocte, Deus in

homine; sed, quod dolendum est, ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν, ‘tenebræ eam non comprehenderunt:’ quotus enim quisque hoc agnoscit? quis enim es homo bulla, qui nunc non eras, vix jam es, mox non eris, nisi QUI EST abeuntem in nihilum tuum sustineret? Cum Ciceronem audis asserentem ‘esse in animis quasi virtutum igniculos et semina: quæ adulescere si liceret, nec a pravis opinionibus seu spinis succrescentibus suffocarentur, ipsa nos ad beatam vitam perducerent:’ non agnoscis lumen illud descendens a patre luminum? *Vallin.*

Semita] Est enim Deus ipsa eadem sapientia, scientia, bonitas, veritas; quibus ad eundem ipsum pervenitur. Philo lib. ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον. Κατέφθειρε πᾶσα σὰρξ τὴν τοῦ αἰωνίου καὶ ἀφθαρτον τελείαν ὁδὸν τὴν πρὸς θεὸν ἄγρυσαν. ταύτην ἴσθι σοφίαν. διὰ γὰρ ταύτης ὁ νοῦς ποδηγετούμενος, εὐθείας καὶ λεωφόρου ὑπαρχούσης, ἄχρι τῶν θερμάτων ἀφικνεῖται. τὸ δὲ τέρμα τῆς ὁδοῦ, γνῶσις ἐστὶ καὶ ἐπιστήμη θεοῦ. ταύτην τὴν ἀτραπὸν μισεῖ καὶ προβέβληται καὶ φθείρειν ἐπιχειρεῖ πᾶς ὁ σαρκῶν ἑταῖρος: ‘Corrupt omnis caro illius incorrupti æternique perfectam viam quæ ducit ad Deum: hanc scito esse sapientiam. Hac enim deducente, recta nimirum et publica, intellectus ad destinatum finem pervenit: est autem finis metaque hujus viæ, scientia et cognitio Dei. hanc semitam odit, calumniatur et corrumpere conatur quisquis carnis amicus est.’ Ista Hebræus, hoc vero ethnicus sed Christiane, Arrianus nempe ex mente Epicteti lib. II. cap. 16. τὰ σαυτοῦ καθαρον κακά. ἐντεῦθεν ἐκ τῆς διανοίας ἐκβαλε λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν, φιλαργυρίαν, μαλακίαν, ἀκρασίαν· ταῦτα δ’ οὐκ ἔστιν ἄλλως ἐκβαλεῖν, εἰ μὴ πρὸς μόνον τὸν θεὸν ἀποβλέποντα, ἐκείνῳ μόνῳ προσπεπονθότα, τοῖς ἐκείνου προστάγμασι καθωσιωμένον: ‘Tua ipsius mala purgato: ex animo ejice

Delph. et Var. Clus.

dolorem, timorem, cupiditatem, invidiam, malevolentiam, avaritiam, molitiam, intemperantiam. Hæc vero aliter ejici non possunt, nisi ad solum respicias Deum, eique soli sis addictus, et illius mandatis initiatus:’ quorum observatione ad eundem pervenias. *Idem.*

Geometræ] Geometriæ usum et laudes habes apud Cassiod. III. Var. 52. *Sitzm.*

Sive corollarium vocari mavis] Consule Varronem lib. IV. De lingua Latina. *Bernart.*

Tamen si esse videantur] Ms. Rittersh. *tamen-etsi esse videantur.* Proba lectio. Vide particulam *Tamenetsi* bonis auctoribus assertam a Cujacio I. observat. 14. Mureto I. Variar. lect. 17. et Rittershusio Not. ad Guntherum lib. IV. cap. 2. n. 12. et 13. nec non Frid. Taubmani commentar. Plant. ad Mil. Glor. A. 4. Sc. 5. *Sitzm.*

METR. 10. Terrenas habitans libido mentes] Al. *hebetans.* Senec. in Thyest. vs. 917. ‘Pectora longis hebetata malis, Jam sollicitas ponite curas.’ Manilius lib. IV. ‘Condit enim quicquid vasto natura recessu Terrenos hebetat visus, et pectora nostra.’ Claudian. de Laudib. Stilicon. libro II. vs. 133. ‘Luxuries prædulce malum: quæ dedita semper Corporis arbitriis hebetat caligine sensus.’ *Sitzm.*

Heic erit vobis requies laborum] Lactant. de Pass. Christl: ‘Nec requiem terrarum in finibus usquam Inveni, sed ubique minas, sed ubique labores.’ *Idem.*

Heic portus placida manens quiete] Senec. in Agamemn. vs. 592. ‘Portus æterna placidus quiete.’ Et in Octav. vs. 706. ‘Nec diu placida frui Quiete licuit.’ *Idem.*

Non quicquid Tagus] Senec. in Thyest. vs. 352. ‘Non quicquid fodit Occidens, Aut nuda Tagus anrea Claro devehit alveo.’ In Herc. Cæt.

Boëth.

2 K

vs. 626. 'Stupet aurato Flumine clarum radiare Tagum.' *Idem.*

Tagus] Æthicus in *Cosmograph.* 'Fluvius Tagus nascitur in campis Hispaniæ: currit milia cccc. in Oceanum Occidentalem suscipitur.' Solinus in *Polyhist.* cap. 26. de Hispania: 'Tagum ob arenas auriferas ceteris amibus prætulerunt.' Huc referendi etiam versus Silli ex libro 1. 'Ore excellentem, et spectatum fortibus ausis Antiqua de stirpe Tagum, superumque hominumque Immemor, erecto suffixum robore, mæstis Ostentabat ovans populis sine funere Regem. Auriferi Tagus adscito cognomine fontis, Perque antra et ripas Nymphis ululatus Iberis. Mæonium non ille vadum, non Lydia mallet Stagna sibi, nec quæ riguo perfunditur auro Campum, atque illatis Hermi flavescit arenis.' *Idem.*

Hermus] Vibius Sequester de *Fluminib.* 'Hermus Lydiæ, Pactolo fluvio confunditur.' Virg. 11. *Georg.* 'Auro turbidus Hermus.' *Idem.*

Indus] Fluvium intelligit, de quo passim Æthicus in *Cosmographia.* De eodem Min. Felix in *Oct.* 'Ægypti siccitatem temperat Nilus; colit Enfrates Mesopotamiam; Indus et serere Orientem dicitur et rigare.' Et Vib. Sequester: 'Indus Indiam definit ab occasu, a quo India dicta: hic descendente Hydaspem recipit.' *Idem.*

Candidis miscens virides lapillos] Lucret. lib. 11. 'Inter cæruleum virides miscere smaragdos.' *Idem.*

PROSA 11. *Omne namque animal tueri salutem laborat: mortem vero, perniciemque deritat*] Id præter nostrum non saltem asserit, sed etiam clare suboculos ponit Ovid. *Fragm. Halient.* 'Acceptus mundus legem, dedit arma per omnes, Admonuitque sui: vitulus sic namque minaci Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte, Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones, Et morsu canis, et caudæ sic scorpius

ictu: Concussisque levis pennis sic evolat ales: Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem, Præsidiumque datum sentire, et noscere teli Vimque minasque sui.' Vide et Cicero. 1. *De officiis.* *Idem.*

Cum herbas, atque arbores intuearis, primum sibi convenientibus innasci locis] Eleganter Ovidius: 'Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa Convenit, hæc oleis, hic bene farra vident.' *Bernart.*

Steriles arenæ] Ita etiam appellat Lucanus lib. x. Q. Curt. lib. 1v. Pomp. Mela 1. 1. Cassiodor. 1v. *Variar.* 50. *Sitzm.*

Trahunt alimenta radicibus] Cassiodor. 1x. Var. 2. 'Arbor, quam florere vides, quam summa conspicias viriditate lætari, subterraneo succo fecunditatis animatur, reddens in superficie, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis gravamen nullius sentiat læsionis. Sic regnum jure dicitur integerrimum, si nusquam fuerit imminutum.' *Idem.*

Jam vero quanta est naturæ] Respexit ad versus Lucretii, qui sunt in pr. lib. 1. ad Venerem: 'Omniibus incutiens blandum per pectora amorem, Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent. Quæ quoniam rerum Naturam sola gubernas; Nec sine te quicquam dias in luminis oras Exoritur.' Et paullo post, 'Omnia quando Paullatim crescunt, ut par est, semine certo, Crescendoque genus servant, ut noscere possis Quæque sua de materia grandescere alique.' *Idem.*

Cur enim flammæ quidem sursum] Manil. lib. 1. 'Ignis in æthereas volucerse sustulit auras, Summaque complexus stellantis culmina cæli Flammæ vallo naturæ mœnia fecit.' *Idem.*

Terras deorsum pondus deprimit] Q. Rhemnius Palæmon de *Ponderibus*:

‘Pondus rebus natura locavit Corporeis, elementa suum regit omnia pondus: Pondere terra manet, vacuus neque ponderis æther Indefessa rapit volventis sidera mundi.’

Idem.

Quod in summo spiritum ducimus] Falsa lectio. Recte Mss. et Edit. Flor. *quod in somno spiritum ducimus.* Lucret. lib. IV. ‘Quippe videbis equos fortes cum membra jacebunt, In somnis sudare tamen, spirareque.’

Idem.

METR. 11. *Profunda mente]* Id est alta, et in sublime penetranti. Sic ‘cælum profundum’ apud Virgil. Eclog. IV. Georg. lib. IV. Æneid. I. Salvianus I. I. De Gub. Dei: ‘Quis tam profundi cordis virum non admiretur?’ ‘Profundum consilium’ apud Quintilian. Declamat. 2. *Idem.*

Vestigat] Antiquum et optimum verbum, tametsi compositum usitatius. Ennius I. I. Ann. ‘Errare videbar Tarda que vestigare, et quærere te.’ Seneca proprie de canibus utitur. In Thyest. vs. 495. ‘Cum feras vestigat, et longo senex Loro tenetur UMBER.’ Et in Hippol. 4. 1105. ‘Mæstæ que Domini membra vestigant canes.’ *Idem.*

Vestigat verum] Min. Felix in Oct. ‘Quo minus mirum est, nonnullos tædio investigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temere potius succumbere, quam in explorando pertinaci diligentia perseverare.’ *Idem.*

Quicquid extra molitur Suis retrus.] Sic supra Pros. 4. lib. II. ‘Quid igitur o mortales extra vos petitis intra vos positam felicitatem?’ Vide quæ ad ista verba notavimus. *Idem.*

Quod atra texit erroris nubes] Juvenalis Sat. 10. ‘Pauci dinoscere possunt Vera bona, atque illis multum diversa, remota Erroris nebula.’ ‘Nubes curarum,’ Ovidius II. de Ponto, Eleg. I. ‘Tandem aliquot pulsa curarum nube serenum Vidi.’ ‘Nubes animi,’ idem I. Trist. Eleg. III. ‘Ani-

mi nubem dolor ipse removit.’ ‘Nubes fallaciarum;’ Ammian. Marcellin. lib. XV. ‘Nubes mendacii,’ Casiodor. III. Variar. 45. Longa alia ratione nubem testium (*νέφος μαρτύρων*) dixit Paulus Hebræ. 12. vs. I. et D. Chrys. *Idem.*

Obliviosam corpus invehens molem] Platonici solum animum dicebant esse hominem: corpus animo tanquam indumentum circumdatum, vel carcerem potius ac sepulcrum quoddam. Quo Epigramma pertinet Palladæ libro I. Anthologiæ, tit. *εἰς θάνατον. Σῶμα πάθος ψυχῆς, ἄδης, μοῖρ’, ἄχθος, ἀνάγκη, Καὶ δεσμὸς κρατερὸς, καὶ κόλασις βασάνων. Ἄλλ’ ὅταν ἐξέλθῃ τοῦ σώματος, ὡς ἀπὸ δεσμῶν τοῦ θανάτου, φεύγει πρὸς θεὸν ἀθάνατον. Idem.*

Hæret profecto semen introrsum veri] Adi Pindarum Olymp. Od. 7. ubi scribit, ‘Promethea virtutem et gaudia hominibus injecisse: sed supervenisse quandam oblivionis nubem, et avertisse rectam rerum viam extra mentem.’ Mirum profecto! si non author noster sua inde desumpsit. *Idem.*

Excitatur ventilante doctrina] Ex doctrina Platonis in Phædone. Seneca quoque Epist. 94. ‘Omnium enim honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur; non aliter quam scintilla flatu levi adjuncta, ignem suum explicat.’ *Vallin.*

Quod si Platonis] Cujus ἀνάμνησιν ex Phædone hic attingit: ibi enim refertur Socrates dogma hoc frequenter in ore habuisse, “Ὅτι ἡμῖν ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὔσα, ‘nobis, discere, non esse aliud nisi reminiisci.’ In Menone quoque puer ad geometrica quædam de dimensione quadrati interroganti Socrati recte respondet, ob consignatas, inquit, in animis ἐννοίας ‘notiones.’ *Idem.*

Quod si Platonis Musæ] Arnobius lib. II. Adversus Gentes: ‘Quid in Menone, o Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerulo sciscita-

ris? et in ejus niteris responsionibus comprobare, quæ discamus, non discere, sed in eorum memoriam quæ antiquitus noveramus redire? Perlege totum illum librum, ex quo didiceris, Platonici hoc dogma absurditate non carere. *Sitzm.*

PROSA 12. *Nam me horum jam secundo commemoras*] Pro eo quod memorem facis, non nove, sed antique. Cicero de Senectute: 'Pythagoreorumque more, excruciatæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim commemoro vesperi.' *Bernart.*

Me inscitiam meam fuisse confessum] Ms. Rittersh. *me inscientiam meam f. c.* Qua voce utitur Apuleius, Symmachus, et alii, quos citat Fr. Juretus ad lib. VIII. Symmach. Epist. 17. *Sitzm.*

Deum nomino] Recte profecto: Deo enim, qui unus est, non aliud nomen est, quam Dens. Deo quidem nullum nomen esse, omnibus fere veteris sapientiæ professoribus visum est. Ipsum divini numinis oraculum id per Moysen præscripsit, 'Εγὼ εἰμὶ ὁ ὢν, 'Ego sum qui sum.' Neque aliunde Hebræis doctoribus nomen illud Dei sanctum, tremendum atque ineffabile: ac Hermeti Ægyptio dicitur Dens ἀνεκκλάητος, ἄρρητος, σιωπηῆ φωνούμενος, 'ineffabilis,' 'innominandus,' solo 'silentio prædicandus.' Platoni quoque ἄρρητος, ἀκατονόμαστος, 'indictus,' 'innominabilis,' apud Apuleium lib. de naturali philosophi. Platonis, Alcinoi εἰσαγωγῆς cap. 9. et Porphyrium lib. iv. hist. philosophicæ apud Cyrillum, nihil ait Platonem sensisse Deum esse 'num,' ὕνομα δὲ αὐτῷ μηδὲν ἐφαρμόττειν, 'nomen vero nullum illi convenire.' Unde ethnicos arguens, rectissime decernebat Minutius Felix, 'Nec nomen Dei quæras: Dens nomen est: illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Dens vocabulum totum

est.' Et post eum iisdem verbis Cyprianus lib. de idolorum vanitate. Lactantius et alii. Cum igitur nullum illi nomen sit, quod ejus substantiam exprimat, quæ æque cum nomine incognitissima est, nomine tamen τοῦ θεοῦ enim fere mortales appellavere, honoratissima appellatione: nimirum τὸ τοῦ θεοῦ ὕνομα, inquit Simplicius in Epicteti Enchir. ἀπὸ τῶν οὐρανίων μετῆκται, ὡς ὀξέως κινουμένων καὶ θεόντων, 'ipsum Dei nomen a cælestibus corporibus est translatum, ut quæ celeriter moveantur et currant.' θεὸς videlicet vel quod soleat θέειν καὶ περιέπειν τὰ σύμπαντα, hoc est, 'currere et disponere universa.' vel αἶθειν, id est, 'irere.' vel θεᾶσθαι τὰ πάντα, id est, 'intneri omnia:' quod instar Solis aliorumque in cælo syderum, quæ oculis cernebant, omnia collinstret. Unde decantatissima illa Dei cum sole apud Platonicos comparatio: ex qua recte per τοῦ θεοῦ, Dei nomen, ea quoque πατρὸς καὶ βασιλέος, 'Patris ac Regis' apud eosdem celebrata cognomina, creationis ac providentiæ significantia, intelliguntur: ac quodammodo ipsum, si quod est, Dei nomen τὸ ἀγαθόν, 'ipsum bonum' designatur. De quibus postea quædam monebimus. *Vallin.*

Lacessentes cælum Gigantes] Sic Cic. Catone Majore: 'Quid est aliud more gigantum bellare cum Diis, nisi naturæ repugnare?' Salvianus de Gnb. Dei, lib. vi. 'Et quæ nobis, quæso, spes erit apud Deum, qui non casu aut imprudentia Deum lædimus, sed exemplo illorum quondam Gigantum, quos insanis conatibus superna tentasse, et quasi in nubes gradum tulisse legimus:' huc illa pertinet sapientiss. Gamalielis admonitio: μή ποτε καὶ θεομάχοι εὐρεθῆτε. Act. 5. vs. 39. et Phariseorum aliorum: μή θεομαχῶμεν, Actor. 23. vs. 9. Vide præter Claudianum et Herculem Strozam, Lucret. l. v. Ovidium, Metam.

lib. i. de Ponto, lib. iv. Eleg. viii. Manil. lib. v. B. Augustinum libro quarto de Civitate Dei, capite trigesimo, Alcimum Avitum libro de Diluvio. *Sitzm.*

Remque omnium maximam Dei munere quem dudum deprecabamur exegimus] Pro absolvimus: eadem notione qua Ovidius scripsit: 'Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.' *Bernart.*

Πάντοθεν] Pro quo legebant omnes hactenus editiones, quibus consentiebat quoque ipse Græculus Planndes, *Πάντοθεν ἐν κύκλοισι φέρειν ἐναλίγκιον ὄγκον.* 'Undique in circulis ducis similem acervum.' Quod profecto quid significet neque vel divinare quis possit, sit licet magnus Apollo. Nos ex Sophista Platonis unde versus iste Parmenidis desumptus est, monstrum illud averruncantes reposuimus, *Πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκω.* 'Sphæræ undique æqualis persimilis moli.' Cujus lectionis vestigia codd. Victorinus et Thuanus vetustiores servabant. Hic vero sensus est; Totum simile est globo sphæræ, inquit Parmenides. Illa enim omnes singulasque partes suas circumferentia includit: Totum quoque omnes partes suas continet, et præter Totius partes nullæ partes sunt. Et quemadmodum a centro sphæræ æquo intervallo omnes lineæ ad circumferentiam distant: Ita Totius partes æque inter se distant cum Totum sit ubique. Pari quodam modo Deus res omnes includit, cum supra res omnes sit: res autem omnes ab eo æque distare certum est, quia ubique existens, esse conservarique rebus omnibus largitur, multo interior illis quam ipsæ sibi sint. Quod igitur *περὶ τοῦ ὅλου* Plato in Sophista, *περὶ τοῦ ἐνδὸς* in Parmenide protulit, idem de Deo longe sapientius Boëtius usurpavit: quem hinc Synesius *τῶν πάντων καὶ τῶν ὄντων κέντρον*, 'omnium rerum at-

que entium centrum' vocat. Quod sic Plotinus explicat: *Καὶ γὰρ αὐτὸ ἦν τοῦτο δεῖ τ' ἀγαθὸν τίθεσθαι. εἰς δὲ πάντα ἀνήρηται. αὐτὸ δὲ εἰς μηδέν. οὕτω γὰρ καὶ ἀληθές, τὸ, οὐδὲν πάντα ἐφίεται. δεῖ οὖν μένειν αὐτὸ, πρὸς αὐτὸ δὲ ἐπιστρέφειν πάντα, ὥσπερ κύκλον πρὸς κέντρον, ἀφ' οὗ πᾶσαι γραμμαί. καὶ παράδειγμα ὁ ἥλιος, ὥσπερ κέντρον ὦν πρὸς τὸ φῶς τὸ παρ' αὐτοῦ ἀνηρητημένον, πρὸς αὐτὸν τὸ φῶς πανταχοῦ γ' οὖν μετ' αὐτοῦ καὶ οὐκ ἀποτέμνεται.* 'Quin etiam id ipsum Bonum oportet asserere, ad quod omnia referuntur, ipsum vero ad aliud non' refertur: 'sic enim illud quoque verum' esse constat, 'ipsum bonum esse quod omnia appetunt. Oportet itaque ipsum firmiter permanere, et ad seipsum omnia convertere: quemadmodum' revolvitur 'circulus circa centrum, a quo lineæ singulæ' producantur. 'Exemplo nobis' ad id 'sol' esse potest, 'qui quasi centrum est ad lumen, quod ab ipso dependet, simul ad ipsumque annectitur, ideoque una cum illo' existit 'ubique, nec ab illo alicubi separatur.' Et alibi, p. 752. *Καὶ σὺ ζητῶν, μηδέν ἔξω ζήτει αὐτοῦ, ἀλλ' εἴσω πάντα τὰ μετ' αὐτόν. αὐτὸν δὲ, ἔα. τὸ γὰρ ἔξω, αὐτός ἐστι περίληψις πάντων καὶ μέτρον. ἢ εἴσω ἐν βάθει:* 'Tu ergo quæris, nihil extra Deum quærito: sed intra' Deum 'omnia quæ sunt post Deum: ipsum vero dimitte. Quod enim extra est, ipse' Deus 'existit, comprehensio omnium et mensura, aut intimum universi profundum.' Ita tamen Deus est in rebus omnibus, ut res ipsæ minime sit: Recte igitur Porphyrius lib. de Occasionibus: 'Ὁ θεὸς πανταχοῦ, ὅτι οὐδαμοῦ. καὶ πάντα τὰ ὄντα καὶ μὴ ὄντα ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ ἐν θεῷ, καὶ οὐκ αὐτὸς τὰ ὄντα καὶ οὐκ ὄντα καὶ ἐν αὐτοῖς· εἰ μὲν γὰρ μόνον ἦ πανταχοῦ, αὐτὸς ἂν ἦν τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι. ἐπεὶ δὲ καὶ οὐδαμοῦ, τὰ πάντα γίνεται δι' αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ, ὅτι πανταχοῦ ἐκεῖνος, ἕτερα δὲ αὐτοῦ, ὅτι αὐτὸς οὐδαμοῦ. 'Deus est ubique, quia nusquam: quæcumque

enim sunt sive non sunt ex Deo procedunt et in Deo resident, cum tamen non sit illa quæ sunt, neque illa quæ non sunt, neque in illis resideat. Si enim Deus solum esset ubique, ipse esset omnia et resideret in omnibus: at quia idem ipse nusquam est, necesse est omnia per ipsum fieri et in ipso residere; quia antecedit ubique illum adesse: atque rursus hæc eadem esse longe ab eo alia, quia consequitur eum nusquam esse.' Sed quid ethnici nos morantur? Sublimis ille Christianæ Theologiæ angelus de div. nominib. c. v. finem faciat: *Καὶ ἔστιν ἐξ αὐτῆς καὶ ἐν αὐτῇ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι. καὶ αἱ τῶν ὄντων ἀρχαί. καὶ τὰ ὄντα πάντα. καὶ τὰ ὄψασθαι τῷ εἶναι διακρατούμενα. καὶ τοῦτο ἀσχέτως, καὶ συνειλημμένως, καὶ ἐνιαίως. καὶ γὰρ ἐν μονάδι πᾶς ἀριθμὸς ἐνοειδῶς προϋφέστηκε. καὶ ἔχει πάντα ἀριθμὸν ἢ μονὰς ἐν ἑαυτῇ μοναχῶς. καὶ πᾶς ἀριθμὸς ἦνωται μὲν ἐν τῇ μονάδι. καθ' ὅσον δὲ τῆς μονάδος πρόεισι. κατὰ τοσοῦτον διακρίνεται, καὶ πληθύνεται. καὶ ἐν κέντρῳ πᾶσαι αἱ τοῦ κύκλου γραμμαὶ κατὰ μίαν ἔνωσιν συνυφεστήκασιν. καὶ πᾶσας ἔχει τὸ σημεῖον ἐν ἑαυτῷ τὰς εὐθείας ἐνοειδῶς ἠγωμένας πρὸς τε ἀλλήλας, καὶ πρὸς τὴν μίαν ἀρχὴν, ἀφ' ἧς προῆλθον. καὶ ἐν αὐτῷ μὲν τῷ κέντρῳ παντελῶς ἦνονται. βραχὺ δὲ αὐτοῦ διαστᾶσαι, βραχὺ δὲ καὶ διακρίνονται. μᾶλλον δὲ ἀποστᾶσαι, μᾶλλον. καὶ ἀπλῶς, καθ' ὅσον τῷ κέντρῳ πλησιαίτεραί εἰσι, κατὰ τοσοῦτον καὶ αὐτῷ, καὶ ἀλλήλαις ἦνονται. καὶ καθ' ὅσον αὐτοῦ. κατὰ τοσοῦτον καὶ ἀλλήλων διεστήκασιν.* 'Est autem ex ipsa bonitate atque in ea ipsum simpliciter esse entiumque principia: atque entia omnia: et quæ quomodo libet passim ipsa essentia continentur. Sunt, inquam, ibi hæc absolute, collectimque et unite. Nempe in unitate numerus omnis præest uniformiter: habetque unitas omnem in se numerum singulariter. Omnisque numerus unitus quidem est in unitate: quatenus vero inde progreditur, eatenus discernitur atque multiplicatur. In centro similiter

omnes circuli lineæ simul conjunctæ consistunt: ipsumque punctum habet omnes in se rectas lineas simul unitas tam invicem quam ad principium unum, ex quo pariter processerunt. Jam vero in ipso centro penitus sunt conjunctæ: parum vero discedentes inde, parum quoque inter se discernuntur: longius autem inde distantes, longius: atque simpliciter, quantum centro viciniore sunt, tantum et ipsi et invicem sunt conjunctæ: quantum rursus ab ipso discedunt, tantumdem et inter se distant.' Nec tantum similis est Deus centro, quod entia omnia ex eo, tanquam lineæ e centro emanent, sitque eorum principium et origo: ut centrum linearum: sed quemadmodum circumferentia sphaeræ terminantur lineæ, quas omnes eadem circumferentia complectitur, neque ulla earum est quam non contineat, quippe cum nulla extra eam sit; atque ut in sphaera solida partes, quæ intus moventur, circumferentia continet: ita divinæ substantiæ forma in externa non dilabitur nec externum in se quid suscipit, quia supra et extra omnia entia est, et tamen rebus omnibus præsens est. Unde recte Boëtius ait eam instar molis sphaeræ omnia continere et concludere, immotamque ipsam, centri instar, universon hęc motu modoque incogitabili agitare. Quin et hinc Dei magnitudinem potentiamque Parmenides prædicabat his περὶ τοῦ ὄλου versibus, Πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὕγκῳ Μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντη. τὸ γὰρ οὔτε τι μεῖζον, οὔτε βεβαίωτερον πέλει. 'Persimile æqualis nam sphaeræ est undique moli Undique de medio spatia æque distat ad ima: Illo nil majus, nihil est et firmitus illo.' Male Proclus legit lib. III. Theol. Plat. οὔτε τὶ βαιώτερον. falsum enim est toto nihil minus esse. Hermes quoque c. 9. Τὰ γὰρ ὄντα ὁ θεὸς ἔχει, καὶ οὔτε αὐτοῦ οὐδὲν ἐκτὸς, οὔτε αὐτὸς οὐδενός. 'Quæ enim sunt, Deus

habet; et extra ipsum nihil, et ipse extra nihil.' *Vallin.*

Rerum orbem] Verba hæc et quæ sequuntur in textum induximus suoque auctori restituimus. neque enim glossema est, ut hactenus omnes putaverunt. Totius loci sensus est, 'Divinæ substantiæ forma' [τὸ εἶδος σχῆμα, ad quod refertur, ἐναλίγκιον] 'nec in externa dilabitur, nec externum aliquid in se suscipit, sed similis moli sphæræ undique æqualis, rerum orbem mobilem rotat dum se immobilem ipsa conservat.' Neque id ex conjectura fecimus, sed quod ita haberent omnes manu exarati, quotquot vidimus, codices: addito in plerisque Græco versu suo qualiquali glossemate. Sic alibi non semel Boëtius lib. III. 'Stabilisque manens das cuncta moveri.' Et lib. IV. 'Et vulnere currum stabilis regit Rerum coruscus arbiter.' Nimirum primus motor, ut demonstrat Aristot. lib. VIII. *Physic.* ἀκίνητος κινεῖ, 'immotus movet.' *Idem.*

Platone sanciente] In *Timæo*, Ὡς ἄρα τοὺς λόγους ὧν πέρ εἰσι ἐξηγηται, τούτων αὐτῶν καὶ ξυγγενεῖς ὄντας. 'Sermones iis rebus, quarum nuncii et interpretes sunt, cognatione atque affinitate quadam convenire debere.' Cum et Sallustius Stoicus τοὺς περὶ θεῶν λόγους ὁμοίους εἶναι ἐκέλευς, 'de Diis sermones, Diis esse quam simillimos' velit. *Idem.*

METR. 12. Vates Threicius] Orpheia intelligit, de cujus ad Inferos descensu, apud eodem cautu, et denique interitu succincte P. Merula ad lib. I. *Annal. Ennii*: fusissime vero L. Vives ad Augustinum libro decimo octavo de *Civitate Dei*, capite decimo quarto. *Sitzm.*

Postquam flebilibus modis] Seneca in *Herc. Œt.* vs. 1036. 'Illius stetit ad modos Torrentis rapidi fragor, Oblitusque sequi fugas Amisit liquor impetum: Et dum fluminibus mora

est, Defecisse putant Geten Hebron Bistonos ultimi. Advexit volucrem nemus, Et sylva residens venit; Aut si qua aëre pervolat, Auditis vaga cantibus Ales deficiens cadit.' In *Medea* vs. 626. 'Cujus ad chordas modulante plectro Restitit torrens, siluere venti: Cui suo cantu volucris relicto Adfuit tota comitante sylva.' *Idem* in *Herc. Fur.* vs. 571. 'Quæ sylvas, et aves, saxaque traxerat Ars, quæ præbnerat fluminibus moras: Ad cuius sonitum constiterant feræ: Mulcet non solitis vocibus inferos, Et surdis resonat clarius in locis.' *Idem.*

Junxitque intrepidum latus] Senec. in *Herc. Œt.* vs. 1054. 'Ad cantus veniunt suis Ipsæ cum latebris feræ: Juxtaque impavidum pecus Sedit Marmaricus leo.' Senec. in *Œd.* vs. 149. 'Non lupos cervi metunt rapaces, Cessat irati fremitus leonis.' *Idem.*

Nec visum timuit lepus] Ms. *Rittersh. tremuit.* Senec. in *Herc. Fur.* vs. 1058. 'Nec damæ trepidant lupos: Et serpens latebras fugit Tunc oblita veneni.' *Claudian.* lib. II. De *Rapt. Proserp.* in *Præfatione*: 'Securum blandi lepores fovere molossi, Vicinumque lupo præbuit agna latus.' *Martian.* *Capella* lib. IX. De *Nupt. Philolog.* 'Carmine quo Strymon continuit latices, Quo impune accubuit rictibus agna lupi, Et lepus immiti contulit ora caui.' *Idem.*

Immites superos querens] Senec. in *Herc. Fur.* vs. 569. 'Immites potuit flectere cantibus Umbrarum Dominos, et prece supplici Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.' In *Herc. Œt.* vs. 1061. et seqq. 'Quin per Tænarias fores Manes cum tacitos adiit, Mærentem feriens chelym, Cantu Tartara flebili Et tristes Erebi Deos Movit: nec timuit Stygis Juratos superis lacus.' *Idem.*

Infernas adiit domus] Harum de-

scriptionem habes apud Senecam in Herc. Fur. Act. 3. et Virgil. vi. Æneid. *Idem.*

Deæ matris] Orpheus Calliopes, Musarum reginæ filius perhibetur a Mythologis. Senec. in Med. vs. 625. 'Vocali genitus Camœna.' Horat. i. Carm. Od. 12. 'Unde vocalem temere insequatæ Orpheæ sylvæ Arte materna rapidos morantem Fluminum lapsus, celeresque ventos.' Phædrus in Præfat. lib. iii. Fab. 'Tirreissa cum gens numeret aucteres suos, Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo.' Lyram autem Orphei his versibus celebrat Manil. lib. i. 'At Lyra diductis per cælum cornibus inter Sidera conspicitur, qua quondam cœperat Orpheus Omne quod attigerat cantu, manesque per ipsos Fecit iter, domuitque infernas carmine leges: Huic cælestis honos, similisque potentia causæ, Tunc sylvas et saxa trahens, nunc sidera ducit, Et rapit immensum Mundi revolubilis orbem.' *Idem.*

Tænara] Apuleius lib. vi. Metam. 'Lacedæmon Achaïæ nobilis civitas non longe sita est: hujus conterminam, deviis abditam locis, quære Tænarum inibi spiraculum Ditis, et per portas hiantes monstratur iter invium,' &c. *Idem.*

Umbrarum Dominos] 'Umbrarum Reges,' Stat. v. Sylvar. 'Umbrarum famuli,' Val. Flacc. lib. iii. 'Umbrarum populus,' Prudent. Cathem. Hymn. 5. *Idem.*

Tergeminus janitor] Silius Ital. lib. ii. 'Formaque trifauci Personat insomnis lacrimosæ janitor aulæ.' Claudian. De Raptu Proserp. 'Latratum triplicem compescuit ingens Janitor.' Apuleius lib. vi. Metam. 'Canis pergrandis trijugo et satis amplo capite præditus, immanis et formidabilis, conantibus oblatrans faucibus, mortuos, quibus jam nil mali potest facere, frustra territudo,

ante ipsum limen, et atra atria Proserpinæ semper excubans, servat vacnam Ditis domum.' *Idem.*

Ultrices Deæ] Senec. in Med. vs. 966. 'Discedere a me frater ultrices Deas Manesque ad imos ire securos jube.' *Idem* in Oct. vs. 914. 'Partara testor, Erebiq; Deas, Scelerum ultrices.' Quintilian. Declamat. iv. 'Quorum scelere violatus dies mundum subito mutavit, quos per maria terrasque fugientes furiales faces, et Ultricum Dearum terror agitavit.' Eumenides etiam 'Pœnæ' vocantur. Stat. viii. Thebiad. 'Sævaque multisonas exercet Pœna cathenas.' Silius lib. ii. 'Atque omnes adsunt Pœnæ.' Ad quem verum vide quæ notavit ingeniosissimus Daniel Heinsius. *Idem.*

Lacrimis madent] Senec. in Oct. vs. 681. 'Quod secretum petis Turbata vultu? cur genæ lacrimis madent?' *Idem.*

Non Ixionium caput] Senec. in Herc. Fur. vs. 749. 'Rapitur volueri tortus Ixion rota.' In Herc. Cæt. vs. 1068. 'Hæsit non stabilis rota Victo languida turbine.' Pindarus Pyth. Od. 2. 'Ἐν πετρώεντι τροχῷ παντὰ κυλιδόμενον. De Ixione passim etiam alibi Seneca in Thyest. nimirum vs. 8. in Med. vs. 744. in Agam. vs. 15. in Oct. vs. 614. in Herc. Cæt. vs. 945. et vs. 1011. Seneca Philosophus Epistola 24. Tibullus lib. i. Eleg. iii. ubi videris Scholia M. Anton. Mureti. Virgil. iii. et iv. Georg. *Idem.*

Et longa site] Hinc vocatur 'siccus' apud Sen. in Thyest. vs. 136. 'Sicci progenies impia Tantalii.' *Idem* de eod. in Herc. Cæt. vs. 1075. 'Tunc primum Phrygius senex Undis stantibus immemor Excussit rabidam sitim, Nec pomis adhibet manus.' In Herc. Fur. vs. 751. 'In anme medio faucibus siccis senex Sectatur undas, abluat mentum latex, Fidei-que cum jam sæpe decepto dedit

Perit unda in ore : poma destituunt famem.' Vide præterea Senec. in Thyest. Chor. 1. ubi copiose pœnam depingit Tantali. Item in Hippolyt. vs. 1227. In Medea vs. 745. in Agam. vs. 19. et 769. in Oct. vs. 612. in Herc. Cæt. vs. 944. *Idem.*

Site] Pro 'siti,' ut 'mare' pro 'mari,' 'rete' pro 'reti.' Varro Atacianus : 'Clauditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.' Phædrus lib. iv. 'Aliquot venit sæculis rete territus.' Ovid. in Halieut. 'Clansus rete lupus quamvis immanis et acer.' *Idem.*

Vultur dum satur est modis] Senec. in Herc. Fur. vs. 1070. 'Increvit Tityi jecur Dum cantus volucris tenet.' *Idem* in Thyest. vs. 9. 'Aut pœna Tityi, semper accrescens jecur Visceribus atras pascet effossis aves.' Tityi, cujus impurum spiritum renascens Pœna torquere fingitur, præter Senec. in Herc. Fur. vs. 755. in Herc. Cæt. vs. 947. Hippolyt. versu 1228. Agamemnone vs. 18. Octav. 613. meminit Ovid. i. de Ponto, Eleg. ii. Lactant. lib. vii. Divin. Institut. cap. 21. De his vero aliisque Inferorum pœnis Lucretius in fine lib. iii. Macrobius lib. i. in somnium Scipionis cap. 10. *Idem.*

Tandem, vincimur, arbiter] Senec. in Herc. Fur. vs. 605. 'Tandem mortis, ait, vincimur, arbiter; Evade ad Superos lege tamen data : Tu post terga tui perge viri comes; Tu non ante tnam respice conjugem, Quam clara Deos obtulerit dies, Spartanique aderit janua Tænari.' In Thyest. vs. 14. 'Supplicia functis durus umbrarum arbiter Disponis.' Clandian. de Rapt. Proserp. vs. 55. 'O maxime noctis Arbiter, umbrarumque potens!' *Idem.*

Lex dona coërceat] Lex Orpheæ, apud Stat. in Epicedio Patris : 'Ipse madens oculis, umbrarum animæque sacerdos Præcinerem gemitum, cui te nec Cerberus omni Ore, nec

Orpheæ quirent avertere leges.' *Id.*

Quis legem det amantibus] Senec. in Herc. Fur. vs. 611. 'Odit verus amor, nec patitur moras, Munus dum properat cernere perdidit.' In Herc. Cæt. vs. 1083. 'Consumptas iterum Deæ Supplem Eurydices colos. Sed dum respicit immemor, Nec credens sibi redditam Orpheus Eurydicen sequi, Cantus præmia perdidit : Quæ nata est, iterum perit.' Hoc in fine Carminis monere volui, Boëthium nostrum, licet quædam ex Senecæ Tragædiis more suo hinc inde sit mutuatus, ut affatim ostendimus : omnino tamen filium Virgilianum in recensenda lepidissima illa fabula fuisse sequutum : si cui libuerit, legat lib. iv. Georg. et me vera commemorasse deprehendet. *Idem.*

Vidit] In amatoriiis deliciis primus gradus est videre : nimirum Ovidius, 'Oculi sunt in amore duces.' Theocritus : 'Ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. Quod est Virgilio, 'Ut vidi, ut perii.' Secundus, 'colloqui.' Tertius, 'contrectare : ' in quo tamen longe minorem quam in visu voluptatem constituit apud Achil. Tatiūm, ἐρωτικῶν lib. i. amator ille, Οὐκ οἶδας οἶόν ἐστιν ἐρωμένη καὶ βλεπομένη. μείζονα τῶν ἔργων ἔχει τὴν ἡδονήν. ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀλλήλοις ἀνταναικλώμενοι, ἀπομάπτουσιν ὡς ἐν κατόπτρῳ τῶν σωμάτων τὰ εἶδωλα. ἡ δὲ τοῦ κάλλους ἀποβροή, δι' αὐτῶν εἰς τὴν ψυχὴν καταβρέουσα, ἔχει τινὰ μίξιν ἐν ἀποστάσει· καὶ ὀλίγον ἐστὶ τῆς τῶν σωμάτων μίξεως. κενὴ γὰρ ἐστὶ σωμάτων συμπλοκή· ὀφθαλμοὶ γὰρ φιλίας πρόξενος. 'An nescis majorem in exoptata' virgine 'contemplanda voluptatem esse, quam in contrectanda? Nam dum sese oculi mutuo respectant, imagines corporum, speculorum instar, suscipiunt : pulchritudinis autem simulachra ipsis a corporibus missa, et oculorum ministerio in animam illabentia, nescio quam, sejunctis etiam corporibus ipsis, permistionem sortiuntur, corporum congressu, qui

certe inanis est, longe jucundio- rem. Conciliatores enim amoris oculi sunt.' Et revera contrectatio, nisi legitima sit, fere non pudicarum est: quod videre est in præfracta illa Nævii meretrice, his apud Isidorum versibus sic a doctissimo Scaligero emendationibus factis, suis ad Festum castigationibus, 'Quasi in choro pila Ludens datatim dat se, et communem facit: Alium tenet: alii nutat: alibi manus Est occupata: alii perpellit pedem. Alii anulum dat spectandum a labris. Alium invocat: cum alio cantat: attamen Aliis dat digito literas.' In quibus tamen quia inep- tum est legere quemquam pila 'in choro' ludere, sic eos emendare potes ex veteri nostro Isidori codice; 'Quasi in foro ludens pila Digitatim dat sese, et communem facit. Alium

tenet, alii annutat; alii manus Est occupata: alii pervellit pedem, Alii dat anulum expetendum a labris: Alium invocat, cum alio cantat, attamen Alii digito dat litteras.' Nec repugno si quis, propius ad metricam rationem, sic secundum restituat, 'Sese digitatim dat, et communem facit.' Eoque fortasse sic locus ille legendus videtur, quod eum in verbo 'datatim' Nonius non adducit. Est quoque vetus Epigramma Græcum, inter nondum edita, quo ex pilæ lusus similitudine, venerius ille ac mutuus amor designatur; Σφαιριστὰν τὸν ἔρωτα τρέφω. σοὶ δ' Ἑλιοδώρα Βάλλει τὰν ἐν ἐμοὶ παλλομένην κραδίαν. Ἀλλάγε συμπαίκτην δέξαι πόθον, εἰ δ' ἀπὸ σεῦ με ῥίψαις, οὐκ οἶσω τὰν ἀπάλαιστον ὕβριν. *Vallin.*

LIBER IV.

PROSA I. *In tanti patrisfamilias dispositissima domo*] Vid. Lactantium, lib. II. Divin. Instit. c. 10. *Sitzm.*

Sospes in patriam revertaris] Vide B. Augustin. libro nono De Civitate Dei, in fine capitis decimi sexti; et ibi Lud. Vivem. *Idem.*

METR. I. *Sunt, &c.*] Hoc Carmen explicabit Cic. de Som. Scip. ejusque Commentator Macrob. lib. I. cap. 17. Adhibe insuper Apuleium lib. de Mundo, Martian. Capell. lib. II. de Nupt. Philolog. *Idem.*

Pennæ volucres mihi] Pennas dat Philosophia: recte: ea enim facultates animæ juvat, eamque τῶν παθῶν violentia ἐπὶ γῆν dejectam, recuperatis alis sustollit ad cœlestia et ad Deum. Plato in Phædro, Anima, inquit, ad inferiora prolapsa, pennarumque confractionem passa, erigitur per contemplationem, scilicet Ἀνακίψασα

εἰς τὸ ὄντως ὄν. διὸ δὴ δικαίως μόνῃ πτεροῦται ἢ τοῦ φιλοσόφου διάνοια. πρὸς γὰρ ἐκείνοις αἰεὶ ἐστὶ μνήμη κατὰ δύναμιν, οἷς πὲρ ὁ θεὸς ὦν, θεὸς ἐστὶ. τοῖς δὲ δὴ τοιοῦτοις ἀνὴρ ὑπομνήμασιν ὀρθῶς χρώμενος, τελέους αἰεὶ τελετὰς τελούμενος, τέλεος ὄντως μόνος γίγνεται, 'ad id quod vere est rursus oculorum aciem convertens: quocirca sola philosophi cogitatio recuperat alas: nam in illis, quantum fieri potest, memoria semper obversatur, in quibus, ut divinis nimirum, ille qui versatur, divinus est.' Idemque sibi vult paulo ante cum ait, ei animæ optimas esse alas, ἢ μὲν ἄριστα θεῶ ἐπομένη καὶ εἰκασμένη, 'quæ optime Deum secuta est, et ad ejus similitudinem conformata: quod totius Philosophiæ finis est; ut supra annotatum. Quis autem sit ascensus iste mentis ad Deum et quomodo fiat, videndus Hierocles

commentario aureo a pag. 255. Hermes vero, Τοῦτο μόνον σωτήριον ἀνθρώπῳ ἐστίν, ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ. αὕτη εἰς τὸν Ὀλυμπόν ἐστιν ἀνάβασις. ‘Hæc unica salus homini est, cognitio Dei; hic in Olympum est ascensus.’ Vallin.

Velox mens] Mentis seu Animæ humanæ virium facultatumque, eandem penitus descriptionem habet Hermes Ποῦμανδρο. Dicas illuc respexisse Boëtium; Μετελθεῖν δὲ αὐτῇ [ψυχῇ] κέλευσον ἐπὶ τὸν ὠκεανόν, καὶ οὕτως ἐκεῖ πάλιν ταχέως ἔσται. οὐχ’ ὡς μεταβάσα ἀπὸ τόπου εἰς τόπον, ἀλλ’ ὡς ἐκεῖ οὐσα. κέλευσον δὲ αὐτῇ καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτῆναι, καὶ οὐδὲ πτερῶν δεηθήσεται. ἀλλ’ οὐδὲ αὐτῇ οὐδὲν ἐμπόδιον. οὐ τὸ τοῦ ἡλίου πῦρ, οὐχ’ ὁ αἰθήρ, οὐχ’ ἡ δίνη, οὐχὶ τὰ τῶν ἄλλων ἀστέρων σώματα, πάντα δὲ διατεμουσα, ἀναπτῆσεται μέχρι τοῦ ἐσχάτου σώματος. εἰ δὲ βουληθείης καὶ αὐτὸ ὄλον διαβῆξασθαι, καὶ τὰ ἐκτὸς, εἴ γέ τι ἐκτὸς, τοῦ κόσμου θεάσασθαι, ἔξεστί σοι. Ἴδε ὅσην δύναμιν, ὅσον τάχος ἔχεις, ‘Jubeto’ eam ‘transire ad Oceanum, ita prius quam jusseris ibi erit; inde, ubi nunc est, nequaquam discedens. Jubeto et ipsam in cælum volare; nullis pennis egebit, nihil ejus obstabit cursui, non solis incendium, non ætheris’ amplitudo, ‘non vertigo’ cælorum, ‘non syderum reliquorum corpora, quin penetrans omnia, ad supernum usque corpus transcendat. Quin etiam si volueris ipsum universum transire, et ea quæ extra mundum sunt (si quid extra est) contemplari, id quoque tibi licebit.’ Intuere ‘modo quanta sit animæ tuæ potestas, quanta celeritas!’ Ex qua celeritate et agitatione colligebant Veteres animæ immortalitatem: nimirum quemadmodum mentis divinæ, licet immotæ, proprium est omnia agitare: ita certum est animam, licet minime septo suo exeat, ἐπτερωμένην, ut ait in Phædro Socrates, μετεωροπολεῖν καὶ σύμπαντα κόσμον διακοσμεῖν, ‘alatum, per sublimia versari, et universum mundum disponere.’ Quintilianus lib.

1. ‘Sed non satis perspicunt, quantum natura humani ingenii valeat, quæ ita est agilis et velox, sic in omnem partem, ut ita dixerim, spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum, in plura vero non eodem die modo, sed eodem temporis momento, vim suam impendat.’ Et ante, ‘Ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur: ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia: unde origo animi cœlestis creditur.’ *Idem.*

Velox mens] Ἀπόφθεγμα est Thaletis apud Diogenem Laërt. libro 1. τάχιστον νοῦς· διὰ παντὸς γὰρ τρέχει. Prudent. lib. 11. contr. Symmach. ‘Spirat enim majora animus, seque altius effert Sideribus, transitque vias et nubila fati.’ De celeritate mentis plura notavit C. Rittershusius Commentar. 5. Halieut. Oppiani, prope finem, ad illud: ὥστε νόημα: quibus addi voluit hæc e Chrysostomo homil. 22. in eam ad Hebræos: παντὸς πτεροῦ κουφότερος καὶ ὑψηλότερος ὁ ἡμέτερος νοῦς. ὅταν δὲ καὶ τὴν παρὰ τοῦ πνεύματος λάβῃ χάριν, βαβαί, πόσον ἐστὶ ταχὺς, πῶς ὀξὺς, πῶς πάντα περινοστεῖ, πῶς οὐ καταφέρεται (f. legend. κάτω φέρεται) οὐδὲ καταπίπτει πρὸς τὸ ἔδαφος; ταῦτα κατασκευάσωμεν ἡμῖν τὰ πτερά. διὰ τούτων καὶ τὸ πέλαγος διαπτῆναι δυνησόμεθα τοῦ κλύδωνος τοῦ παρόντος βίου. Sitzm.

Terras perosa despicit] Statius 11. Sylvar. ‘Terras despicias, et sepulcra rides.’ *Idem.*

Aëris immensi superat globum] Prudent. in Hamartig. ‘Nam quia naturam tenuem declivia vitæ Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compos, Concretum celeri relegens secat aëra lapsu, Exsuperatque polum fervens scintilla remensum Carcereos exosa situs, quibus læserat exsul.’ *Idem.*

Transcendit ignis verticem] Cæcilius apud Minut. Felicem: ‘Sed quatenus indulgentes insano atque inepto labori, ultra humilitatis nostræ terminos

evagamur, et in terram projecti cælum ipsum, et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus,' &c. *Idem.*

Iter gelidi senis] Saturni Planetarum summi. Virgilius: 'Frigida Saturni sese quo stella receptet.' *Bernart.*

Gelidi senis] Saturni. Martian. Capella, libro II. De Nupt. Phil. 'Hunc etiam prætergressus circulum, ac parili interjectione sublimis, Deorum rigidissimum creatorem in algido hærentem, pruinisque nivalibus conspicatur.' Ita in meis legitur membranis. *Sitzm.*

Corusci sideris] Martem intelligit, de quo Apuleius de Mundo: 'Loco tertio Pyroeis; quem multi Herculis, plures Martis stellam vocant.' Et Cassiodor. II. Var. Epist. 36. 'Martis sidus ignea celeritate raptatum, decem et octo mensibus deputata sibi discurrit.' *Idem.*

Ubi jam exhausti fuerit satis] Poëta princeps: 'Cui numquam exhausti satis sit.' *Bernart.*

Dorsaque] Ex mente Platonis ac Platoniorum, qui existimabant Deum seu summum Jovem habitare supra cæli verticem. Imo et ipsius Aristotelis, qui referente Plutarcho in Placit. Philosoph. et D. Cyrillo contra Julian. εἶδος μὲν χωριστὸν ὀνομάζει τὸν Θεόν, ἐπιβῆναι δὲ διατείνεται τῇ τοῦ παντὸς σφαίρᾳ, 'Deum appellat, formam separatam, et Universi sphaeram insidere contendit.' Huc spectant quæ habentur libro ejus de Mundo, ante finem, Τὴν μὲν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἔδραν αὐτὸς ἔλαχεν, ὑπάτος τε διὰ τοῦτο ὀνόμασται, καὶ κατὰ τὸν ποιητὴν ἀκροτάτῃ κορυφῇ τοῦ σύμπαντος ἐγκαθιδρυμένος οὐρανοῦ: 'superiorem igitur et primam sedem mundi sortitus, ea de causa ὑπάτος, quasi supremus appellatus est: et ut inquit poëta, in summo culmine universi cæli suum habet domicilium collocatum.' Hermes Asclepio, 'Deus supra verticem summi cæli consis-

tens, ubique est, omniaque circumspicit.' Quin et sacri codices id affirmant, Esaiæ cap. LXVI. 'Cælum sedes mea:' et prophetæ regis psal. CXLVIII. 'Laudate eum cæli cælorum.' et post, 'Confessio,' seu gloria, 'ejus super cælum et terram.' Quos cælos cælorum B. Augustinus cum Platonieis intellectuales vocat lib. XII. Confess. cap. 9. 'Nimirum enim,' ait, 'cælum cæli, quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis: quamquam nequaquam tibi Trinitati coæterna: particeps tamen æternitatis tuæ.' Et cap. 11. 'O beata, si qua ista est, inhærendo beatitudini tuæ; beata, sempiterno inhabitatore te atque illustratore suo. Nec invenio, quid libentius appellandum existimem cælum cæli domino, quam domum tuam contemplantem delectationem tuam sine ullo defectu egrediendi in aliud; mentem puram concordissime unam stabilimento pacis sanctorum spirituum, civium civitatis tuæ in cælestibus, super ista cælestia.' Ergo, ut ait paulo post idem Aristoteles, hæc opinio ex communi more et mortalium consensu obtinet, τὴν ἀνω χώραν ἀποδοὺς Θεῷ, 'superiora esse Deo tradita.' Locus autem ille ὑπερουράνιος, nunc οὐρανός, id est, Cælum, ab etymo nimirum vocis ejusdem οὐρανός, inquit idem, quasi sit ὄρος τῶν ἀνω, 'finis supremorum' corporum 'extimus:' nunc autem Ὀλυμπος, hoc est, Deorum sedes, Homero et aliis veteribus dicitur; ut et Virgilio, 'Candidus insuetum miratur limen Olympi, Sub pedibusque videt nubes et sydera Daphnis.' Miratur, inquit, Daphnis, Deus factus, limen Olympi, hoc est, τὸ τοῦ οὐρανοῦ νῶτον, 'cæli dorsum,' sedem scilicet intellectualium substantiarum, Deorum, ac Beatorum; atque hinc sydera, et inferiora mundi elementa sub pedibus suis videt. *Vallin.*

Dorsaque velocis premat ætheris] Il-

lustravit hæc J. Dusa Fil. in Notis ad Tibull. lib. II. Eleg. 1. vs. 88. *Sitzm.*

Compos verendi luminis] Non solum locus ille supercælestis, supra cæli dorsum situs, lumine plenus creditur, utpote quem Platonici vocant οὐσίαν ὄντως οὐσαν, τῆς ἀληθείας πεδίον καὶ λειμῶνα, ‘essentiam vere existentem, Veritatis campum et pratium.’ Cujus lumen intellectuale cælo aliisque ordinibus τὴν τοῦ φωτὸς μετουσίαν ἐνδίδωσι, ‘Lucis communionem largitur;’ καὶ πᾶν ἀρρήτως πληροῖ τῶν ἐνιαίων ἀγαθῶν, ‘et rem omnem ineffabili modo replet singularibus bonis.’ Sed veteri Theologiæ Deus quoque lumen dicitur: Φῶς καὶ ζῶή ἐστιν ὁ Θεὸς, ‘Deus est lumen et vita,’ inquit Hermes Poëm. cap. 1. non corporeum, sed nimirum, ut ait cap. XIII. φῶς νοητὸν, ‘lumen intelligibile.’ Et ne cui hoc dubium sit, audienda ipsa veritas, Joann. Epist. 1. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία ἣν ἀκηκόαμεν ἀπ’ αὐτοῦ, καὶ ἀναγγέλλομεν ὑμῖν, ὅτι ὁ Θεὸς φῶς ἐστὶ καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία, ‘Et hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis, Quoniam Deus lux est: et tenebræ in eo non sunt nullæ.’ Cujus appellationis rationem hanc reddit Aristoteles, seu quisquis ille est, lib. XI. de divina sapientia secundum Ægyptios cap. 4. ‘Primariæ Lucis appellatione primum opificem exprimimus, necessitate quadam coacti: quoniam ejus essentiam, qualis ipsa in se est, explicare non possumus neque attingere.’ Unde et D. Paulus I. ad Timoth. capite 6. Deam habitare tantum ait φῶς ἀπρόσιτον, ‘lucem inaccessibleem.’ *Vallin.*

Compos verendi luminis] Virgil. Eclog. 5. ‘Candidus insuetum miratur lumen Olympi, Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.’ *Lumen* enim ibi legendum, non *Limen*, ut rectissime adminiculante H. Gifanio correxit Canterus lib. IV. cap. 2. de iis, qui nimirum soluti vinculis cor-

poreis in cælum se penetrarunt, unde despiciant ‘terrasque tractusque maris.’ Illa vero emendatio hoc versu stabilitur. *Sitzm.*

Et volucrem currum stabilis regit] Vide Notas J. Dusæ Fil. ad Tibull. lib. IV. Carm. I. vs. 130. *Idem.*

Volucrem currum] Expressit hunc locum ex Platonis Phædro: ‘Ὁ δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ἐλαύνων πτηνὸν ἄρμα, πορεύεται, διακοσμῶν ταῦτα, καὶ ἐπιμελούμενος: ‘Jupiter ille Magnus in Cælo Dux, volucrem currum agens, it, in ordinem digerens ista, et curans.’ *Vallin.*

Rerum coruscus arbiter] Ausonius: ‘Mundi supremus arbiter.’ Senec. in Herc. Fur. vs. 205. ‘O magne Olympi rector, et mundi arbiter.’ *Sitzm.*

Hæc dices, memini, patria est mihi] Diog. Laërtius lib. I. de Anaxagora: ‘Ὅτε καὶ πρὸς τὸν εἰπόντα, οὐδέν σοι μέλει τῆς πατρίδος; Εὐφήμεῖ (ἔφη) ἐμοὶ γὰρ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος. Paulinus in Epist. ad Anson. ‘Nec mihi nunc patrii est (ut vis) oblivio cæli: Quin summum suspecto Denm, quem qui colit unum, Hic vere memor est cæli.’ *Idem.*

Terrarum noctem] ‘Nox Mundi,’ Prudentius Cathem. Hymn. 2. *Idem.*

Quos miseri torvos populi timent] Sen. in Œdipo, vs. 705. ‘Qui sceptrâ duro sævus imperio regit, Timet timentes: metus in auctorem redit.’ *Idem.*

Tyrannos exules] Perstringere hic Boëtius regem Theodoricum videtur, ut et alibi in hoc opere non semel. *Vallin.*

PROSA 2. *Qui oblectari vitio nequeunt*] Rectius Mss. ut et Edit. Norimb. cum Florent. *Qui oblectari v. n. B.* Augustin. libro II. de Civ. Dei cap. 5. ‘Nequaquam istos qui flagitiosissimæ consuetudinis vitii oblectari magis quam oblectari student, sed illum ipsum Scipionem Nasicam habere de hac re judicem vellem.’ *Sitzm.*

Qui oblectari vitio nequeunt] Nemo tam mucosis naribus, ut mendum non persentiscat. quanto melius ut ex scriptis reposni? *qui obluctari.* Colum. libro VII. 'Quum in proscindendo, aut duriori solo aut obviæ radici obluctatus, convellit armos.' *Bernart.*

Ordinem retinet servatque Naturam] Socrates et Stoici virtutem ex Natura dicebant esse, quæ prorsus abhorreret a vitiis: quorum in sententiam toto animo abit B. Augustin. lib. II. de Civ. Dei, cap. 17. ita loquendo: 'Vitium contra naturam est, ut non possit, nisi nocere naturæ.' Vide ibidem Ludov. Vivem. Multa etiam in eandem sententiam sunt apud D. Chrysostomum, ex quo hæc mutuatus est disertissimus Vives. Quam scite autem ac sapienter Pindarus Olymp. IX. Τὸ δὲ φυᾶ, κράτιστον ἅπαν. Et Olymp. II. Σοφὸς, ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾶ. Et Olymp. XIII. Ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος. Inde Q. Curt. lib. X. ita scribit de Alexandro: 'Hercule juste æstimantibus Regem, liquet, bona naturæ ejus fuisse, vitia vel fortunæ vel ætatis.' *Sitzm.*

Veramque illam Platonis esse sententiam liquet; Solos, quod desiderant, facere posse sapientes: improbos vero exercere quidem quod libeat; quod vero desiderant, explere non posse] Ex Gorgia Platonis sumptum, ubi Socrates ad Polum: 'Assero equidem, o Pole, tam rhetores quam tyrannos minimam in civitatibus habere potentiam, quemadmodum paulo ante dicebam: nihil enim (ut ita dixerim) facere ex his quæ volunt, facere tamen quod sibi opinantibus optimum videatur.' Illustrans Philosophi dictum eximie subjicit Boëtius: 'Faciunt enim quælibet, dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant; sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem probra non veniunt.' *Bernart.*

Illam Platonis sententiam] In Gor-

gia, et Alcibiade primo, ubi probat Plato, Malos potentes non esse. Præstare pati quam inferre injuriam. Bonos et sapientes solos esse felices: malos vero infelices. Injuriam inferentem, miserum: sed miseriorem, si nunquam pœnas luat. Hinc enim rationum suarum momenta hiansit auctor noster. Censet quoque Aristoteles lib. V. de Moribus, deterius injuria afficere quam affici: quia afficere, μετὰ κακίας καὶ φεκτὸν ἦν, 'cum vitio sit et vituperandum.' affici vero ἄνευ κακίας καὶ ἀδικίας, 'sine vitio et injustitia.' *Vallin.*

Faciunt enim quælibet, dum per ea] Mss. et Edit. Norimb. *Faciunt enim quæ libet, &c.* In eundem autem sensum Salvianus lib. I. de Gub. Dei: 'Soleant quamvis esse nonnulli, qui turpia atque obscæna sectantes, et si juxta opinionem suam beati sunt, quia adipiscuntur quod volunt, re tamen ipsa beati non sunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Religiosi autem hoc cunctis beatiores sunt, quia et habent, quæ volunt, et meliora quam quæ habent, omnino habere non possunt.' *Sitzm.*

METR. 2. Quos vides, &c.] Multos incertos certare hanc rem vidimus, sitne privatorum hominum potius expetenda vita, quam tyrannorum. Nam cum dignitates eorum et opes, et imperia intuentur, omnes eos Diis adæquandos esse censent, qui soli rerum potiuntur. Cum vero timores et periculosæ plenum opus aleæ considerant, rursus quovis modo vitam transigere melius esse existimant, quam in hujusmodi calamitatibus vel amisso regno dominari. Idque etiam quovis lumine clarius elucet ex seq. Carmine. *Idem.*

Solii culmine] Senec. in Troad. vs. 886. 'Hic forsitan te casus excelso magis Solio reponet.' In Thyest. vs. 390. 'Stet quicumque volet potens Aulæ culmine lubrico.' *Idem.*

Purpura claros nitente] Senec. in

Thyest. vs. 906. 'Resupinus ipse purpura atque auro incubat.' In Herc. Fur. vs. 646. 'Aurea rumpunt tecta quietem, Vigilesque trahit purpura noctes.' Min. Felix: 'Fascibus et purpuris gloriaris? vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere.' *Idem.*

Septos tristibus armis] Senec. in Herc. Cæt. vs. 604. 'Tu quicunque es quisceptra tenes, Licet omne tua vulgus in aula Centum pariter limina pulset, Cum tot populis stipatus eas, In tot populis vix una fides.' Min. Felix: 'Rex es? tam times, quam timeris: et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es.' *Idem.*

Ore torvo comminantes] Silius libro II. 'Namque aderat toto ore ferens irasque minasque Hannibal.' *Idem.*

Rabie cordis anhelos] Prudent. Peristeph. Hymn. 2. 'Quid ille fervens ambitu Sitique honoris æstuans Mersisne anhelat febribus Atque igne venarum furit.' *Idem.*

Detrahat si quis superbis] Senec. in Agam. vs. 881. 'Detrahere cultus uxor hostiles jubet.' Tertullian. De Virginib. velandis: 'O sacrilegæ manus! quæ Deo dicatum habitum detrahare potuerunt.' *Idem.*

Tegmina] Senec. in Troad. versu 270. 'Ego esse quicquam sceptrum, nisi vano putem Fulgore tectum nomen?' *Idem.*

Jam videbit intus arctas] Senec. in Herc. Cæt. vs. 648. 'O si pateant pectora ditum, Quantos intus sublimis agat Fortuna metus.' *Idem.*

Videbit intus arctas] Totum carmen deductum ex insigni loco illo Platonis x. de rep. quem sic cum laude designat Tacitus Annalium vi. 'Adeo facinora atque flagitia sua ipse quoque in supplicium verterat. Neque frustra præstantissimus sapiens affirmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus; quando ut corpora verberibus,

ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegabant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur.' Sic enim legendum videtur, non *ipsi verterant*, cum de solo Tiberio loquatur: neque *sapientiæ firmare*. Vallin.

Hinc enim libido] Senec. in Hippol. vs. 539. 'Succensas agit Libido mentes.' Prudent. Peristeph. Hymno 2. 'Istum libido fœtida Per scorta tractum publica Luto et cloacis inquinat, Dum spurca mendicat stupra.' *Sitzm.*

Hinc flagellat ira mentem] Talem describit Silius Hasdrubalem, libro I. Sciendum porro Boëthium hic non dicere de omni ira, sed de immodica. Nam neque Deus Opt. Max. omnino iræ vacuus, ut docet Lactant. De Ira Dei, cap. ult. Vide quoque Agell. lib. I. cap. ult. Ang. Politian. in Dissertatione: An ira in pueris reprobanda? Item Libellum eruditissimum Wolfgangi Heideri, De Ira cohibenda. *Idem.*

Fluctus turbida tollens] Lucret. lib. VI. 'Magnos irarum volvere fluctus.' Lactantius de Ira Dei, cap. 5. docet, quod 'ira, cum in animum cuiusquam incidit, velut sæva tempestas tantos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens.' Cui plane gemina est, ista hominis irati hypotyposis apud Johannem Chrysostomum Orat. 6. contra Judæos, et homil. 3. in Johannem. Utraque digna est adscribi. Utramque indicio debeo atque amori fidissimi præceptoris Cunradi Rittershusii, cui et majoribus sum beneficiis obstrictus. καὶ ὀργῇ κατεχόμενος, μεθύει πάλιν. οὕτω γοῦν αὐτοῦ καὶ ἡ ὕψις οἰδεῖ, καὶ ἡ φωνὴ τραχύνεται, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ γίνονται ὕφαιμοι, καὶ ὁ νοῦς σκοποῦται καὶ ἡ διάνοια καταποντίζεται, καὶ ἡ γλῶσσα τρέμει, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ παρα-

φέρονται, καὶ αἱ ἀκοαὶ ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων ἀκούουσιν, ἀκράτου παντὸς χαλεπώτερον τῆς ὀργῆς αὐτοῦ πληθούσης τὴν μήνιγγα, καὶ χειμῶνα ἐργαζομένης, καὶ ζάλην ποιούσης ἀπαραμύθητον. Idem altero loco : βούλει μαθεῖν, πόσον τὸ ὀργίζεσθαι κακόν ; παράστηθι μαχομένοις ἐν ἀγορᾷ ἑτέροις. ἐν γὰρ σαυτῷ τὴν ἀσχημοσύνην οὐ δυνήσῃ βραδίως ἰδεῖν, ἐσκοτωμένῳ καὶ μεθύοντι τῷ λογισμῷ· ἀλλ' ὅταν καθαρεύσης τοῦ πάθους, τότε ἐν ἄλλοις θεώρει τὰ σὰ, τῆς κρίσεώς σοι μὴ διεφθαρμένης. ὕψει γὰρ τοὺς θυμουμένους, καθάπερ μαινομένους, εἰς τὸ μέσον ἀσχημονοῦντας. ὅταν γὰρ περὶ τὸ στήθος ὁ θυμὸς ζέσας διανιστῆται καὶ ἀγριαίνῃ, πῦρ πνέει τὸ στόμα, πῦρ ἀφίᾳσιν οἱ ὀφθαλμοί· οἶδεῖ πάντοθεν ἡ ὕψις· ἀτάκτως αἱ χεῖρες ἐκτεινόνται· καταγελάστως πηδῶσιν οἱ πόδες καὶ ἐνάλλονται τοῖς κατέχουσι· καὶ μαινομένων οὐδὲν διεστήκασιν, πρὸς ταῦτα πάντα ἀνασθητοῦντες. ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀγρίων ὄνων, λακτίζοντες δάκνοντες. ὄντως ἀνὴρ θυμώδης οὐκ εὐσχήμων. Nec dubitat idem sanctiss. Orator alibi dicere, Si homo iratus ipse posset deformitatem suam, quam ira ei conciliat, intneri, nulla alia dehortatione ipsi opus fore, sed ultro eam detestaturum, et animum ab ipsa integrum atque tranquillum conservaturum. Idem.

Mæror aut captos fatigat] Senec. in Hippol. vs. 490. De Landibus vitæ Rusticæ : ' Non illum avaræ mentis influmat furor, Non aura populi, et vulgus infidum bonis, Non pestilens invidia, non fragilis favor. Non ille regno servit, aut regno imminens Vanos honores sequitur, aut fluxas opes, Spei metusque liber : haud illum niger, Edaxque livor dente degeneri petit. Nec scelera populos iuter atque urbes sita Novit ; nec omnes conscius strepitus pavet. Haud verba fingit.' Idem.

Aut spes lubrica torquet] Martian. Capella, lib. i. de Nupt. Philolog. ' Cura facit dubium vel spes incerta fatigat.' Sitzm.

Dominis pressus iniquis] Herodianus

libro primo de Commodō : ἐδεδούλωντο δὲ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν νύκτωρ τε, καὶ μεθ' ἡμέραν, ἐπάλληλοι καὶ ἀκόλαστοι σώματος ἡδοναί. Vide etiam Julianum Imperatorem in Cæsaribus, ubi Silenus ait, Alexandrum Magnum sæpe a dominis iniquis suppressum fuisse, ab ira nimirum, aut ægritudine, aut alia mentis perturbatione ; quod tradit etiam Quintus Curtius passim, unde fortis appellari revera vix poterit. Nam ut ait Pub. Syrus : ' Fortior est qui cupiditates suas, quam qui hostes subjicit.' Idem.

PROSA 3. *Rerum enim quæ geruntur*] Arnobius lib. vii. Advers. Gentes : ' Quicquid geritur, debet habere causam sui, neque esse ab omni ratione ita sejunctum, ut in operibus feratur cassis, et in vacuis ludat inanitatis erroribus.' Saluberrime itaque præcipiebat Pythagoras, μηδ' ἀπροβούλευτον μηδ' ἀνυπεύθυνον μηδὲν ποιεῖν, ἀλλὰ πρῶτ' μὲν προχειρίζεσθαι, τί πρακτέον, εἰς δὲ τὴν νύκτα ἀναλογίζεσθαι, τί διφκῆκασιν, ἅμα τῷ σκοπεῖσθαι καὶ τὴν μνήμην γυμναζομένους, ut est apud Jamblichum in ejus vita, cap. 35. Et consimilia his habet Malchus in vita ejusdem Pythagoræ, quæ Manusc. extat apud Rittershusium. Unde ipso non invito hæc in antecessum editionis ipsius profero : Δύο τε μάλιστα καιροὺς παρηγγύα ἐν φροντίδι θέσθαι· τὸν μὲν, ὅτε εἰς ὕπνον τρέποιο· τὸν δ' ὅτε ἐξ ὕπνου διανίστατο. ἐπισκοπεῖν γὰρ προσήκει ἐν ἑκατέρῳ τούτοις τά τε ἤδη πεπραγμένα, καὶ τὰ μέλλοντα· τῶν μὲν γενομένων εὐθύνας παρ' ἑαυτοῦ ἕκαστον λαμβάνοντα. τῶν δὲ μελλόντων πρόνοιαν ποιούμενον. πρὸ μὲν οὖν τοῦ ὕπνου ταῦτα ἑαυτῷ τὰ ἔπη ἐπαδεῖν ἕκαστον· Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι, Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρεῖς ἕκαστον ἐπελθεῖν· Πῆ παρόβην ; τί δ' ἔρεξα ; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη. πρὸ δὲ τῆς ἐξαναστάσεως, ἐκεῖνα· Πρῶτα μὲν ἐξ ὕπνοιο μελίφρονος ἐξυπανιστάς, Εὐ μάλα ποιπνεύειν, ὅσ' ἐν ἡματι ἔργα τελέσσεις. τοιαῦτα παρήνει. (δηλονότι ὁ Πυθαγόρας.) Idem.

Uti currenti in stadio] Cassiodor. libro octavo Variarum: ‘Certantes in stadio numerosior corona glorificat: Olympicos currus frequens palma nobilitat: sic vel in levioribus rebus gloriosior efficitur, cui frequenter præmia referuntur.’ *Sitzm.*

Cum ipsum bonum beatitudo sit] Salvian. de quibusdam Græcis, Sapientiae seetatoribus, libro primo de Gubernatione Dei: ‘Tantam’ inquit ‘Virtutis vim esse volnerunt, ut non possit esse unquam vir bonus non beatus.’ *Idem.*

Sicut probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium] Gemina sententia apud Ambrosium Offic. lib. I. ‘Ergo impius ipse sibi pœna est, justus autem ipse sibi gratia. Ut utrique aut bonorum, aut malorum operum merces ex seipso solvitur.’ *Bernart.*

Evenit igitur, ut quem transformatum] Homines pro qualitatibus morum et ingeniorum et adfectuum bestiis adæquantur. Vide Prolegom. in Oppian. Conrad. Rittersh. et Notas Nicolai Rigaltii ad Proœm. Fab. Phædri, libro primo. *Sitzm.*

Ferox atque inquietus linguam litigiis exerceat? cani comparabilis] Non improba hæc, sed an sincera? negant Mss. qui suggerunt: *atque iniquies linguam litigiis exerceat? cani comparabilis.* Plinius: ‘Ni animus iniquies pasceretur opere.’ Sallustius: ‘Humanum genus iniquies atque indomitum.’ *Bernart.*

Ferox atque inquietus] Mss. et edit. Norimb. cum Florent. *Ferox atque iniquies:* quæ lectio non repudianda. Tacitus I. Annal. ‘Haud minus iniquies Germanus spe, cupidine, et diversis ducum sententiis agebat.’ *Sitzm.*

Linguam litigiis exerceat] Rabulas litigiosos denotat, qui miseros reos empti accusabant vel defendebant lingua, de quibus post Ammian. Marcell. I. xxx. J. Cujacius IV. Observat.

Delph. et Var. Clas.

ult. Andreas Tiraquellus De Nobilitate, cap. 29. J. Dusa filius in suo ad Petron. Spieileg. Fr. Juretus ad Symmach. lib. III. H. Grotius in Notis ad Martian. Capell. J. Lipsius lib. II. Elect. cap. 3. Huc refer verba Sen. ex Herc. Fur. vs. 172. et seqq. Item Aristophanis, ex Equit. Aet. 5. Scen. 2. Et Columellæ Præfat. lib. I. *Idem.*

Formidat] Apposite utitur hoc verbo. Lineam venatoriam variis peninis consertam, Venatores proprio vocabulo Græce *μήρωθον*, Latine ‘formidinem’ ab ipso effectu appellabant, cujus crebra auctoribus mentio. Venuste autem noster: ‘Pavidus ac fugax non metuenda formidat.’ lineas enim pinnasque illas esse *κενδον φόβον* quis ignorat? Vide C. Rittersh. Commentat. in Oppian. libro quarto Cyneget. vs. 387. et eruditiss. viri Isaaci Casauboni in L. Apuleii Apolog. Castigat. quæque ab his allata repetit Fr. Juret. in Miscell. ad Symmach. lib. I. Epist. 47. *Idem.*

Cervis similis habeatur] Notissimum nihil cervis vivere timidius. Quod vero D. Rittersh. in Comment. ad Oppian. lib. II. Cyneget. vs. 182. ex Aristot. Virgilioque monet hoc verum esse de cervis extra quam si libidine stimulentur, testatur etiam Seneca in Hippolyto, his versibus: ‘Si conjugio timuere suo Posent timidi prælia cervi.’ *Idem.*

Fædis immundisque libidinibus immergitur] Salvian. lib. VII. De Gub. Dei: ‘Quis potentum ac divitum non in luto libidinis vixit? quis non se bathro sordidissimæ colluvionis immersit?’ *Idem.*

Suis voluptate detinetur] Salvian. lib. IV. de Gub. Dei: ‘Nunquid multarum uxorum labe polluitur: ut eorum vel suum more tantas putet conjuges suas esse, quantas potuerit libidine subjugare?’ ubi fortean legend. *subigitare.* *Idem.*

Boëth.

2 L

Vertatur in belluam] Ex Pythagoræorum et Platoniorum doctrina, ea demum vita hominis perfecta est, si mens ejus virtutibus exulta ἐπιστρέφει πρὸς τὸν Θεὸν ‘ad Deum convertatur,’ contra vero miserrima, si μένει ἀεὶ ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἀγνοίᾳ, ‘semper in Dei ignoratione hæreat.’ Priori enim vivendi ratione, ad Dei, posteriori, ad brutorum similitudinem accedit. Unde conveniens est ut sit homo, ἢ Θεὸς ἢ θηρίον, ‘aut Deus aut bellua.’ Ἐπειδὴ ψυχῆς θηριώδεις κρατήσωσιν ἐπιθυμῖαι, φυλάττουσαι τὴν ἀνθρωπίνην ἐπιφάνειαν τῆ τῶν ἔργων ὑπηρεσίᾳ, ἀπέφηναν τὸν χρώμενον, ἐξ ἀνθρώπου θηρίον: ‘Simulac enim,’ inquit Maximus Tyrius serm. xxxiv. ‘belluinæ imperant animo libidines, formam quidem’ figuramque ‘humanam integram relinquunt, sui vero obsequio, eum qui nititur hominem in belluam convertunt.’ Et ποχ, ἀφελε τῆς γαστρὸς ἐπιθυμίαν, καὶ ἀφείλες τοῦ ἀνθρώπου τὸ θηρίον. ἀφέλε τὴν αἰδοίων ἐπιθυμίαν, καὶ διέκοψας τὸ θηρίον: ‘Aufer ventris libidinem, belluam ab homine sustuleris: aufer pudendorum, amputaveris belluam.’ *Vallin.*

METR. 3. Vela Neritii] Cum hoc Carm. confer Ovid. *Metam.* xiv. *Sitzm.*

Vela Neritii ducis] Ulyssis: a Nerito monte Ithacæ. Consule Plinium l. iv. cap. xii. *Bernart.*

Neritii Ducis] Ulyssis. Vib. Sequester de Montibus: ‘Nerithos, Ithacæ: a quo et portus.’ *Sitzm.*

Insulæ, Pnlra qua residens Dea] Deos, Deas, hominesque illustriores ‘Pnlri’ epitheto insigniri, docet P. Merula in *Comment.* ad lib. i. *Annal. Ennii*, pag. 178. et pag. 204. *Idem.*

Solis edita semine] Circe de se ipsa apud Ovid. xiv. *Met.* ‘En ego cum Dea sim, nitidi cum filia Solis, Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim, Ut tua sim voveo.’ *Idem.*

Tacta carmine pocula] Virg. viii. *Eclog.* ‘Carminibus Circe socios

mutavit Ulyssis.’ Et pene iisdem verbis Petron. *Arbiter* in *Sat.* ‘Phœbeia Circe Carminibus magicis socios mutavit Ulyssis.’ *Salvian.* lib. v. de *Gub. Dei*: ‘Nam suscipiuntur advenæ, fiunt præjudicio habitationis indigenæ exemplo quodam illius maleficæ potentis, quæ transferre homines in bestias dicebatur: ita et isti omnes, qui intra fundos divitum recipiuntur, quasi Circei poculi transfiguratione mutantur. Nam quos suscipiunt ut extraneos et alienos, incipiunt habere quasi proprios: quos esse constat iugenuos, vertunt in servos.’ *Symmach.* lib. i. *Epist.* 41. ‘Suada Circes pocula.’ Vide quæ ibi notat Fr. *Juret.* *Meminit et Circes Laërt.* lib. ii. in *Xenocr. B. August.* lib. xviii. de *civit. Dei*, cap. 17. et 18. aliique. Elegantem Mythologiam Circeam habes in *Epigrammate Palladæ*, quod extat in *Antholog.* lib. i. tit. εἰς πόρνas. Τὴν Κίρκην οὐ φημι, καθὼς εἶρηκεν Ὀμηρος, Ἄντ’ ἀνδρῶν ποιεῖν ἢ σύας ἢ ἐλύκους τοὺς αὐτῇ προσιδόντας. ἑταῖρα δ’ οὐσα πανούργος, τοὺς δελεασθέντας πτωχοτάτους ἐποίει. τῶν δ’ ἀνθρωπέων ἀποσυλήσασα λογισμῶν, εἶτ’ ἀπὸ τῶν ἰδίων μηδὲν ἔχοντας ἔτι Ἐτρεφεν, ἔνδον ἔχουσα δίκην ζώων ἀλογίστων. Ἐμφρων δ’ ὦν Ὀδυσσεὺς, τὴν νεότητα φυγῶν, οὐχ Ἐρμου φύσεως, δ’ ἰδίας ἔμφρονα λογισμὸν εἶχε γοητείας φάρμακον ἀντίπαλον. Quod sic Latine convertit doctissimus et opt. vir Matthias Bergius: ‘Quando homines Circen sue ait mutasse Inpove, Hoc unum, nisi ego fallor, Homerus agit, Ut doceat blandæ mores meretricis et artem, Re primum ac numis quæ spoliare solet: Hinc mentem excantare simul: Tum deinde carentes His, lutulentorum pascere more suum. Quam prudens Ithacus, tum mentis robore septus, Tum vicit fati pro ratione sui. Scilicet huic domita est recta ratione libido: Hoc est moly, una hac tutus abivit ope.’ *Idem.*

Herbipotens manus] Glaucus ad Cir-

cen lib. xiv. Met. Ovid. 'At tu sive aliquod regnum est in carmine, carmen Ore move sacro: sive expugnantior herba est, Utere tentatis operosæ viribus herbæ.' *Idem.*

Hunc apri facies] Apri descriptionem illustrem habes apud Apuleium lib. viii. de Aur. As. Ovid. viii. Metam. *Idem.*

Marmaricus leo] Sen. in Agam. vs. 738. 'Victor ferarum colla vexatus jacet, Ignobili sub dente Marmaricus leo.' *Idem.*

Tigris ut Indica] Senec. in Hipp. vs. 344. 'Tunc virgatas India tigres decolor horret.' *Idem.*

Numen Arcadis alitis] Mercurii: nimirum ut ex Homeri Ὀδυσσ. K. refert Ovidius Metamorph. l. xiv. 'Pacifer huic dederat florem Cyllenius album, Moly vocant Superi: nigra radice tenetur. Tutus eo, monitisque simul cœlestibus, intrat Ille domum Circes.' *Vallin.*

Vigor Arce conditus abdita] Stat. II. Sylvar. 'Tu celsa mentis ab arce Despicias errantes, humanaque gaudia rides.' Manilius de hominis figura erecta: 'Stetit unus in arcem Erectus capitis.' Sic Q. Serenus de medicina: 'Principio celsa de corporis arce loquamur.' Alcimus Avitus de Orig. Mundi: 'Dehinc arcem capitis sublimi in vertice signat.' Lactant. de Opif. Dei, cap. 8. 'Hominis prope divina mens, quia non tantum animantum, quæ sunt in terra, sed etiam sui corporis est sortita dominatum, in summo capite collocata, tanquam in arce sublimis speculatur omnia et contnetur.' Vid. eund. lib. eod. 16. Et B. Augustin. lib. xiv. De Civ. Dei c. 19. *Sitzm.*

PROSA 4, *Si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est*] Imo, si Æliano lib. xiv. cap. 28. Var. Hist. credimus, οὐ μόνον ὁ ἀδικήσας κακὸς, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐννοήσας ἀδικῆσαι. *Idem.*

In tam brevibus vitæ metis] Præclare Quintil. Declam. 4. 'Si cuncta

gaudia nostra, si voluptates, et quæcunque ex hac universitate Mundi vel sollicitant aspectu, vel blandiuntur usu, diligenter excutias, tota vita hominis unus est dies.' *Idem.*

Nam si nequitia miserum facit] Salv. l. i. De Gub. Dei: 'Quicunque mali sunt, successione rerum deteriores fiunt, gaudentes sibi nequitiae studium bene cedere.' 'Successionem' dixit, quem usitatius 'successum.' Ita Cassiodor. lib. i. Var. 4. 'Ad apicem fascium repentinis successionebus evolavit.' ut quidem habetur in meis membranis, et observatum est olim a Fornerio in Notis ad l. d. *Idem.*

Feliciores esse improbos supplicia lucentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coërceat] 'Quippe,' ait eleganter in Gorgia Plato, 'cum punitio moderetur, justioresque efficiat, tanquam medicina quædam improbitatis.' *Bernart.*

Pœnali acerbitate, purgatoria clementia] Malos hic agnoscit non Christianus modo sed et Catholicus Boëtius, alios quidem æternis pœnis damnari: 'Cremabit addictos ardens semper gehenna,' ait Cyprianus contra Demetr. 'et vivacibus flammis vorax pœna: nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem: servantur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem.' Alios vero, ut inquit idem Epist. lII. 'pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne.' Peccata, censet Tertullianus lib. de Pudicit. 'nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit, aut pœna: venia, ex castigatione; pœna, ex damnatione.' Nec audiri placet istum, qui suis ad hunc locum Notis, Pythagoricas hic Platonicasve animarum purgationes somniat. *Vallin.*

Alia purgatoria clementia] Macrobi. in fin. lib. II. Som. Scip. 'Quem locum Er ille Platonius copiosius exe-

quintus est, sæcula infinita dinnum-
rans, quibus nocentum animæ in eas-
dem pœnas sæpe revolutæ sero de
Tartaris emergere permittuntur, et
ad naturæ suæ principia, quod est
cælum, tandem impetrata purgatione
remeari.’ Silius Ital. lib. XIII. de-
cem apud Inferos portas esse fingit,
quarum per ultimam animæ in cælum
redeant. ‘Extrema hinc auro ful-
gens’ inquit ‘jam lucis honorem Sen-
tit, et admoto splendet cen sidere
Lunæ. Hac animæ cælum repetunt,
ac mille peractis Oblitæ Ditem red-
eunt in corpora lustris.’ Idem lib.
xv. ait: ‘Sed fœdere certo Dege-
neres tenebris animas damnavit Avern-
nis. At queis ætherei servatus semi-
nis ortus, Cæli porta patet.’ Vide et
B. Augustin. lib. x. de Civ. Dei cap.
9. 10. 23. 24. 26. 27. 28. 32. in quibus
prolixè refellit Porphyrii de Animæ
purgatione deliria. Item Diog. La-
ërtium lib. III. Virgil. VI. Æneid.
Sitzm.

Melioribus animum si conformaveris]
Hominem ideo Deus liberum condi-
dit, ἐκουσίως καὶ προαιρετικοῖς χρησά-
μενον ταῖς ἐνεργείαις πρὸς τὴν δὲ τὴν
χρείαν, ἵνα ἐπιστάμενος ἀγαθὰ τε αὐτὸ καὶ
κακὰ, καὶ καλῶν καὶ αἰσχρῶν λαμβάνων
ἔννοιαν, καὶ δικαίοις καὶ ἀδίκοις, καὶ ὅλως
τοῖς ἀπ’ ἀρετῆς καὶ κακίας καθαρῶς ἐπι-
βάλλων, αἰρέσει μὲν τῶν ἀμεινόνων, φυγῇ
δὲ τῶν ἐναντίων χρῆται, ‘ut relictus
voluntati propriæ quicquid placeret,
ageret: idque hanc ob causam, ut
sciens quid bonum sit, quid malum:
et quid intersit inter honesta turpia-
que reputans, quid item inter æqua
et iniqua, et in universum virtutem
inter et vitium, eligeret meliora, de-
teriora fugeret.’ Non igitur ignorat,
quoniam omnes homines, inquit Hie-
rocles, jubet æterna lex, seu νομοθέ-
της νοῦς, ‘mens legislatrix,’ πρὸς τὸ
βέλτιον μεθιστάναί τὴν γνώμην, ‘ad id,
quod melius est, mentem conver-
tere.’ Istud autem βέλτιον, leges
sunt Dei seu naturæ, quarum quas-

dam postquam recensuit, idem Hie-
rocles paulo post inquit, Ταῦτα ὁ νομο-
θέτης νοῦς διαθεσμοθετεῖ ταῖς ψυχαῖς. ὁ
δὲ ὑποδεξάμενος αὐτὰ λογισμὸς, δικαστῆς
ἄγρυπνος ἑαυτοῦ γίνεται. Πῆ παρέβην;
τί δ’ ἔρεξα; καὶ ἐν τάξει τὴν μνήμην ἀνα-
λαμβάνων ἀρετῆς εἵνεκα, εἶτα εὐρῶν ἑαυ-
τὸν συμφώνως τοῖς προκειμένοις ὄροις διη-
μερέσαντα, τῆς θείας εὐφροσύνης τοῖς
καρποῖς ἀναδεῖ. παρὰ μέλος δέ τι πράξαν-
τα φωράσας, ὥσπερ τισὶ φαρμάκοις ταῖς ἐκ
τῆς μετανόιας νοουθετήσεσιν ἐπιστύφει.
‘Ista sunt, quæ mens legislatrix in
animis hominum sancit: quæ cum
ratio admisit, iudex ipsa sui vigilan-
tissimus efficitur; eaque ordine vir-
tutis nomine memoria repetens, qua
sit prætergressa, quidve fecerit, dis-
quirit. Postea si seipsam agnoscat
juxta superiores regulas diem exe-
gisse, divinæ lætitiæ fructibus coro-
natur. Sin autem præter rationem
factum deprehendat aliquid; monitis
se post pœnitudinem, tanquam phar-
macis, reprimit.’ Itemque post, καὶ
δικαστὴν ἐπέστησε τὸν δικαιοτάτον ἄμα,
καὶ οἰκειότατον, τὸ συνειδὸς αὐτὸ, καὶ
τὸν ὀρθὸν λόγον. καὶ αὐτὸν ἑαυτῷ, ὃν
πάντων μάλιστα αἰδεῖσθαι προεπαιδύθη-
μεν. ‘Judicem vero adhibuit æquis-
simum simul atque commodissimum,
Conscientiam nimirum, rectamque
Rationem, atque etiam Seipsum, cu-
jus omnium maxime pudere queni-
que voluit.’ Unde recte Epictetus
apud Arrianum lib. I. cap. 29. Τοῦ-
τον νόμον ὁ Θεὸς τέθεικε, καὶ φησὶν· εἴ
τι ἀγαθὸν τέλεις, παρὰ σεαυτοῦ λαβέ,
‘Hanc legem Deus tulit, et ait, Si
quid boni expetis, a tē ipso pete.’
Mouenti igitur Labieno Ammona
consuleret quam sancte Cato apud
Lucanum respondet. ‘Hæremus
cuncti Superis, temploque tacente
Nil agimus nisi sponte Dei: non vo-
cibus ullis Numen eget, dixitque se-
mel nascentibus auctor Quicquid
scire licet: steriles nec legit arenas
Ut caneret paucis, mersitque hoc
pulvere verum: Estque Dei sedes

ubi terra, et Pontus, et aër, Et cœlum, et Virtus.' Adeo consulere τὰ βελτίονα, hoc est, virtutem, rectam rationem seu seipsum, consulere Deum est: a quo mentem et veras opiniones accepimus. Ad præstantiora igitur consequenda, assidua opus est πρὸς τὸν θεῖον νόμον ἐπιστροφή, 'ad Dei legem conversione: huic immoremur; affectum dabit Deus, totius virtutis hinc origo: quippe effatum divinum est, Satyrico proferente, 'Semita certe Tranquillæ per Virtutem patet unica vitæ.' Vallin.

Melioribus animum si conformaveris] Ms. Rittersh. et edit. Flor. *Melioribus animum si confirmaveris.* Sic 'Firmare animum constantibus exemplis' est apud Tacit. xvi. *Annal.* Cæsar lib. i. de bello Gallico: 'His rebus cognitis, Gallorum animos confirmavit.' Sitzm.

Extra ne quæsieris ultorem] Bene Juv. Sat. xiii. 'Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi Displicet auctori: prima est hæc ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis Gratia fallaci prætoris vicerit urna.' Idem.

Ipsum etiam se habuisse oblivisceretur intuitum] Lucret. lib. vi. in descriptione pestilentiae Atheniens. 'Quosdam cœpere obliviam rerum Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.' Idem.

Miserior igitur tibi injuriæ illator] Phocion Atheniensium ingratitude nem reprehendens, sapientissime dixit: βούλομαι μᾶλλον τι ὑφ' ὑμῶν παθεῖν κακὸν αὐτὸς, ἢ αὐτὸς τι ὑμᾶς κακῶς δρᾶσαι. Est autem dogma Platonicum, quod et cum sacris litteris convenit, et a SS. Patribus passim inculcatur, 'Miseriorem esse eum qui injuriam inferat, quam cui inferatur.' Immo plus dicit Chrysostomus, 'Neminem lædi, nisi a se ipso.' Idem.

Miserationem judicum excitare conantur] Cassiodorus ii. Var. 40. 'Inventa est quoque ad permovendos ani-

mos oratorum fortis ac suavis oratio: utque criminosis irascantur judices, misereantur errantibus: et quicquid potest eloquens efficere, ad hujus disciplinæ non est dubium pertinere gloriam.' Idem.

Non insequendi, sed miserandi] Contra Aristophanes in Equitibus Act. 4. Scen. 1. Λοιδορῆσαι τοὺς πονηροὺς, οὐδὲν ἔστ' ἐπίφθονον. Quanto vero rectius D. Augustin. qui lib. xiv. de civit. Dei, cap. 6. inquit: 'Homo, qui secundum Deum, non secundum hominem vivit, oportet, ut sit amator boni: unde fit consequens, ut malum oderit. Et quoniam nemo natura, sed quisquis malus est, vitio malus est: perfectum odium debet malis, qui secundum Deum vivit, ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem, sed oderit vitium, amet hominem.' Similia non uno loco habet sanctiss. Orator Chrysostomus in suis Homiliis. Plinius etiam Secundus præter alia ita commendat Euphratem Philosophum: 'Insectatur vitia, non homines. Nec castigat errantes, sed emendat.' Idem tamen alibi laudat Thræseam, crebro dicere solitum: 'Qui vitia odit, homines odit:' tanquam impossibile sit hominibus carere crimine. Vid. Epist. 22. lib. viii. His addideris versus Martialis lib. x. Ep. 33. 'Hunc servare modum nostri novere libelli, Parcere personis, dicere de vitiis.' Idem.

METR. 4. Quid tantos juvat excitare motus] Senec. in Herc. Fur. vs. 867. 'Quid juvat durum properare fatum? Omnis hæc magnis vaga turba terris Ibit ad manes.' Et vs. 183. eod. 'At gens hominum fertur rapidis Obvia fatis incerta sui.' Idem.

Fatum sollicitare] 'Sollicitare Deos,' Senec. in Medea, vs. 271. 'Sollicitare manes,' idem in Oct. vs. 267. Idem.

Si mortem petitis] Tibull. libro i. Eleg. 10. vs. 34. 'Quis furor est atram bellis arcessere mortem? Imminet,

et tacito clam venit illa pede.' Huc commode referes aureolam Epicharmi sententiam quæ est apud Ælian. lib. II. Var. histor. cap. 34. *Idem.*

Quos serpens, leo, &c.] Lege sodes illa, quæ ex Juvenale annotabimus, et adhibita iudicii trutina perpende, quam ingeniose noster Boëtius verba plusculis versibus inserta in unum alterumque redegerit: 'Sed jam serpentum major concordia: parcit Cognatis maculis similis fera: quando leoni Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam Expiravit aper majoris dentibus apri? Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam: sævis inter se convenit ur sis. Ast homini ferrum lethale incude nefanda Produxisse parum est, cum rastra et sarcula tantum Adsueti coquere, et marris ac vomere lassi Nescierint primi gladios extendere fabri.' *Idem.*

Aper] Præter aliorum morem primam in hac dictione producit Senec. in Hippolyto vs. 345. 'Tunc vulnificos acuit dentes Aper, et toto est spumeus ore.' *Idem.*

Fera bella movent] Senec. in Oct. vs. 795. 'Quid fera frustra bella movetis?' *Idem.*

Alternisque volunt perire telis] Senec. in Thyest. vs. 338. 'Quis vos exagitat furor Alternis dare sanguinem Et sceptrum scelere aggredi?' *Idem.*

Sævitiæ ratio] Quintil. Declam. 7. 'Convenit iudices, quod ipse dives hoc fecit, et quod ego vidi: Ratio sævitiæ est, ut aliquis coram me occidatur, propter quem occiditur.' *Idem.*

PROSA 5. *Carcer, lex, ceteraque legalium tormenta pœnarum]* Atqui Jurisconsulti carcerem non pœnam, sed duntaxat 'custodiam' esse confirmant. Potest autem optime noster excusari, cum et alii carcerem pœnam esse statuerint. Lucret. lib. III. 'Sed metus in vita pœnarum pro ma-

lefactis Est insignibus insignis, scelerisque luela, Carcer, et horribilis de saxo jactus deorsum, Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.' *Idem.*

Cur hæc versa vice mutantur] Tacitus lib. VI. Annual. 'Mihî in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte voluntur: quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diversos reperies: ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curæ. Ideo creberrima et tristitia in bonos, læta apud deteriores esse. Contra alii, fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia, et nexus naturalium caussarum: ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam ubi elegeris certum imminentium ordinem, neque mala vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quanquam magnas per opes, miserimos: si illi gravem fortunam constanter tolerant, hi prospera inconsulte utantur.' Vid. etiam Salvian. in pr. lib. I. II. et III. De Gub. Dei, B. Augustin. lib. II. De civ. Dei, cap. 2. *Idem.*

Scelerumque supplicia bonos premunt] Sup. lib. I. Met. v. 'Premit insontes Debita sceleri noxia pœna.' *Idem.*

Si misceri omnia fortuitis casibus crederem] Ms. Rittersh. *Si misceri o. f. c. viderem.* Cassiodor. XII. Var. 25. 'Nihil sine caussa geritur, nec mundus fortuitis casibus implicatur: sed quicquid venire videmus ad terminum, divinum constat esse consilium.' *Idem.*

METR. 5. *Si quis Arcturi]* Prudent. Cathem. Hymn. 12. 'Arctoa quamvis sidera In se retortis motibus Obire nolint, attamen Plerumque sub nimbis latent. Hoc sidus æternum manet, Hæc stella nunquam mergitur.' *Idem.*

Cur legat tardus plaustra Bootes] Quid si pro legat reponamus regat? Senec. in Octav. vs. 68. 'Qua plaustra tardus noctis æterna vice Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.' De Boote Seneca in Med. vs. 115. in Thyest. vs. 870. Et Manilius his verbis: 'A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes, Qui similis junctis instat de more juvencis, Arcturumque rapit medio sub pectore secum.' Martian. Capella in pr. lib. II. 'Ardua tunc senior succendit planstra Bootes.' Ms. quo utebatur amicissimus meus I. Zinzerlingus, *conscendit.* Idem.

Legem stupebit ætheris alti] Seneca in Med. vs. 757. 'Pariterque Mundus lege confusa ætheris Et Solem et astra vidit.' Idem.

Palleant plenæ cornua Lunæ] Manilius lib. I. erudite explicat, qui fiat ut Luna obscuretur: 'Te testem dat Luna sui glomerabilis orbis: Quæ cum mersa nigris per noctem deficiis umbris, Non omnes pariter confundis sidere gentes, Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes. Post medio subjecta polo quæcunque coluntur. Ultima ad Hesperios infectis volveris alis: Seraque in extremis quatinntur gentibus æra. Quod si plana foret tellus, simul ista per omnes Deficeret partes toto miserabilis orbe. Sed quia per teretem deducta est terra tumorem, His modo, post illis apparet Delia terris, Exoriens simul atque cadens.' Quin et Diog. Laërt. in Procem. tradit de Ægyptiorum Philosophis, quod dixerint *σελήνην ἐκλείπειν εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἐμπίπτουσαν.* Idem.

Infecta metis noctis] Silius Ital. lib. V. 'Nigram nox roscida metam Stringebat.' Idem.

Lassantque crebris pulsibus æra] Æris tinnitu credebant Veteres fieri, ut Magicorum carminum sonus ad Lunam non perveniret, eamque hoc modo juvari: de qua superstitione

passim Auctores. Idem.

Cori] Silius lib. I. 'Qualis ubi Ægæo surgente ad sidera Ponto Per longum vasto Cori cum murmure fluctus Suspensum in terras portat mare, frigida nantis Corda tument: sonat ille procul, flatuque tumescens Curvatis pavidas tramittit Cycladas undis.' De hoc quædam notavimus ad Met. III. lib. I. vs. 3. Idem.

Nec nivis duram frigore molem] Senec. in Thyest. vs. 125. 'Si quis Taygeti conspicuas nives, Quas cum Sarmaticus tempore frigido In summis Boreas composuit jugis, Æstas veliferis solvit Etesiis.' Idem.

Stupetque subitis mobile vulgus] Casiodor. lib. XII. Variar. 25. 'Fit ratione certum, quod stupenti vulgo videtur esse ambiguum.' Idem.

Inscitiæ nubilus error] Arnob. libro septimo: 'In nubibus ignorationis incedere.' Diog. Laërt. lib. II. De Socrate: *ἔλεγε δὲ καὶ ἐν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην καὶ ἐν μόνον κακὸν, τὴν ἀμαθίαν.* Ab hoc vero Carmine non sunt aliena illa Quintiliani verba, quæ desumpta ex Declamatione 4. 'Paullatim hoc quod stupemus, animus ausus diligenter attendere, in arcana naturæ sacrum misit ingenium, et ex adsidiis observationibus notisque redeuntibus latentium ratione collecta, pervenit ad causas. Miraris fatum hominis posse prædici? Defectiones siderum laboresque narrantur, nunciatur origo tempestatum, lassitudo ventorum, quod sidus immodicos solis ardores, quod severas minetur hiemes, quid significant sparsi longius crines, quid ardentis solito jubar, quid excussa flamma sideribus.' Idem.

PROSA 6. *Velut hydræ capita]* Vide quæ not. infra ad Met. VII. vs. 22. h. l. Salvianus quoque ad vim hydræ alludens lib. VI. De Gub. Dei: 'Sicut enim' inquit 'anguinum illud monstrum, ut fabulæ ferunt, quod multiplicabat occisio, ita etiam in Gallo-

rum excellentissima urbe iis ipsis quibus coercebantur scelera plagis crescebant, ut putares pœnam ipsorum criminum quasi matrem esse vitiorum.' *Idem.*

Fatum a veteribus appellatum est] Min. Felix in Oct. 'Quid enim aliud est Fatum, quam quod de unoquoque nostrum Dens effatus est? qui cum possit præscire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat.' Vide etiam Apuleium in fin. lib. de Mundo. *Idem.*

Fatum singula digerit in motum] B. Augustinus lib. v. de Civ. Dei cap. 8. 'Qui vero non astrorum constitutionem, sicuti est cum quicquam concipitur vel nascitur, sed omnium connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant: non multum cum iis de verbi controversia laborandum atque certandum est: quandoquidem ipsum causarum ordinem et quandam connexionem Dei summi attribuunt voluntati et potestati, qui optime et veracissime creditur et cuncta scire antequam fiant, et nihil inordinatum relinquere: a quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.' *Idem.*

Divinis spiritibus] Θεϊαῖς ψυχαῖς quæ ἐν τῇ νοητῇ τοῦ οὐρανοῦ περιωπῇ, 'in mentali Cœli specula' degentes Deum proxime accedunt: quarum agendi præstantiam Mens Mundi, quantum fieri potest, imitatur. *Valin.*

Seu anima] Mundi, nempe: quæ opinio est Platonis x. de Legibus, Ψυχὴν δὲ διοικοῦσαν καὶ ἐνοικοῦσαν πᾶσι τοῖς πανταχῇ κινουμένοις λέγοντός σου, καὶ τὸν οὐρανὸν διοικεῖν ἀνάγκη φάναι, 'Cum Animam dicas omnia gubernare, omnibusque insitam esse, quæ ubicunque moventur; utique fatearis oportet, Cœlum quoque ipsum Anima gubernari.' Hinc apud Joan. Stobæum, Plato dicit λόγον αἰδίου τὴν

οὐσίαν τῆς εἰμαρμένης, καὶ νόμον αἰδίου τῆς τοῦ παντὸς φύσεως, 'rationem æternam' esse 'fati naturam, et perpetuam universi naturæ legem.' At apud Nemesium accuratius observatur Platonem Fati nomen bifariam usurpare. Aliud, inquit, κατ' οὐσίαν, aliud κατ' ἐνέργειαν. Κατ' οὐσίαν μὲν τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν. κατ' ἐνέργειαν δὲ θεῖον νόμον ἀπαράβατον δι' αἰτίαν ἀναπόδραστον. καλεῖ δὲ τοῦτον θεσμὸν ἀδράστειαν. τοῦτον δὲ τὸν νόμον δεδῶσθαι παρὰ τοῦ πρώτου καὶ ἀνωτάτου Θεοῦ τοῦ παντὸς ψυχῇ εἰς διακόσμησιν τῶν ὄλων, καθ' ὃν διεξάγεται τὰ γινόμενα. ταύτην δὲ τὴν κατ' ἐνέργειαν εἰμαρμένην καὶ κατὰ πρόνοιαν λέγει. ἀπὸ γὰρ τῆς προνοίας ἐμπεριέχεσθαι τὴν εἰμαρμένην. πᾶν γὰρ τὸ καθ' εἰμαρμένην καὶ κατὰ πρόνοιαν γίνεσθαι. οὐ μὴν πᾶν τὸ κατὰ πρόνοιαν καὶ καθ' εἰμαρμένην εἶναι. 'Quod' in substantia 'ponitur, Animam vult esse Universi; Quod' in muneris functione, 'divinam Legem immutabilem ob causam inevitabilem: quam legem etiam Adrastiam dicit, eamque a primo summoque Deo, Universi Animæ, ad omnium administrationem datam esse, per quam omnia quæ fiunt, gubernentur. Hoc fatum in muneris functione positum, etiam providentiam appellat. Nam a providentia fatum comprehendere vult: quicquid enim fato fiat, etiam providentia fieri; non tamen quicquid sit providentiæ, etiam fati esse.' Quod igitur res fiant, ab Anima Universi habent: quod vero hoc vel illo modo ac ordine, a Lege divina. quam sic elegantissime Cicero describit l. xi. de legibus. 'Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex

qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata: est enim ratio inensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea.' *Idem.*

Seu tota inserviente natura] Quæ Stoicorum opinio est. Definierat Heraclitus naturam Fati λόγον τῆς διὰ οὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντα, 'rationem per naturam universi pertinentem:' cui consentiens Zeno definivit quoque, 'Rationem quandam per omnem pertinentem naturam.' apud Cic. i. de Nat. Deor. Quod et ibid. vult Strato ille, 'qui omnem vim divinam in Natura sitam esse censet, quæ causas gignendi, augendi minuendive habeat, sed careat omni sensu et figura.' Unde eam vim ἀσωματικὴν Chrysippus δύναμιν πνευματικὴν τὴν οὐσίαν τῆς εἰμαρμένης, τάξει τοῦ παντὸς διοικητικὴν, 'naturam fati vim spiritalem' definivit, 'ordine Universum gubernantem.' Fati quoque vim totam in Natura consistere opinatur Jamblichus apud Stobæum. Naturæ autem, hoc sensu acceptæ, pulcherrimam descriptionem vide apud Cic. lib. xi. de Nat. Deor. *Idem.*

Seu cœlestibus syderum motibus] 'Pars' maxima mortalium, inquit Plinius lib. ii. cap. 7. 'astro suo eventus assignat et nascendi legibus. Sedere cœpit sententia hæc; pariterque et eruditum vulgus et rude in eam cursu vadit.' At non sapientes: quæ enim inde sequantur incommoda, omnem huic opinioni fidem adiunt. Ea vide apud Alexandrum Aphrod. lib. de Fato. Simplicium in Enchirid. Epicteti cap. 1. Apud D. Augustinum lib. v. de Civit. Dei, ista multis argumentis impugnantem et expugnantem. Sed interim, dum eos consultum is, Nemesium audi, Christianum philosophum, paucis multa decernentem: Οἱ τῇ περιφορᾷ τῶν ἀστρῶν τὴν αἰτίαν τῶν γινομένων πάντων ἐπιγράφοντες, οὐ μόνον ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις ἀπομάχονται,

ἀλλὰ καὶ πᾶσαν πολιτείαν ἔχρηστον ἀποφαίνουσιν. ἄτοποι μὲν γὰρ οἱ νόμοι. περιττὰ δὲ τὰ δικαστήρια κολάζοντα τοὺς ἀναίτιους. παράλογοι δὲ οἱ ψόγοι καὶ οἱ ἔπαινοι. ἀνόνητοι δὲ καὶ αἱ εὐχαὶ πάντων καθ' εἰμαρμένην γινομένων. ἐξορίζεται δὲ καὶ πρόνοια μετὰ τῆς εὐσεβείας πρὸς τῷ καὶ τὸν ἄνθρωπον ὄργανον μόνον εὐρίσκεισθαι τῆς ἄνωθεν περιφορᾶς. ὑπὸ ταύτης γὰρ κινεῖσθαι πρὸς τὰς πράξεις οὐ μόνον τὰ μέρη τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς διανοήματα· καὶ ὅλως οἱ ταῦτα λέγοντες, τῷ ἔφ' ἡμῖν συναναιροῦσι καὶ τὴν τοῦ ἐνδεχομένου φύσιν· καὶ οὕτως οὐδὲν ἄλλο ἢ τῷ παντὶ λυμαίνονται. ἄδικοι δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ ἀστέρες, τοὺς μὲν μοιχοὺς, τοὺς δὲ φονέας ἀπεργαζόμενοι· καὶ πρόγε τούτων ὁ δημιουργὸς αὐτῶν Θεὸς τὴν αἰτίαν ἀποφέρεται. εἰ τοιαῦτα κατεσκευάσειεν ἅ τῶν κακῶν ἡμῖν τὴν ἐπιφορὰν ἐξ ἀνάγκης ἐπιτίθησιν, ὡς μὴ μόνον ἐπὶ τῆς πολιτείας ἴστασθαι τὴν τούτων ἀτοπίαν, ἀλλὰ καὶ τῶν μεγίστων κακῶν ἀποφαίνειν αἴτιον τὸν Θεόν. πρὸς τῷ καὶ ἀδύνατον ἀποδείκνυσθαι τὴν ὑπόθεσιν αὐτῶν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὔτε ἀκούειν ἀνασχετὸν, πρόδηλον ἔχοντα τὴν ἀτοπίαν καὶ βλασφημίαν. 'Qui astrorum circumvectioni causam omnium quæ fiunt, assignant, non solum communibus notionibus adversantur, sed etiam omnem reip. administrationem, inutilem reddunt. Absurdæ enim leges, supervacanea judicia, quæ ab iis pœnam exigant, in quibus nulla culpa sit. Vituperare quoque, et laudare nulla ratio est. Nullus etiam usus est precum, si omnia fato administrantur: ac præterquam quod instrumentum tantum cœlestis circumvectionis homo reperitur, etiam exterminatur cum religione providentia, siquidem a cœlorum motibus non solum partes corporis, sed etiam animi cogitationes, ad agendum impelluntur. Denique qui ista disserunt, una cum libera voluntate contingentis naturam tollunt; et sic nihil aliud agunt, quam quod universa labefactant. Iniqua etiam ipsa astra, quod alios mœchos,

alios homicidas efficiunt: et præ his,' iniquus 'architectus eorum Deus, si ejusmodi fecit, quæ mala nobis necessario importarent, ut horum insulsitas non modo in rep. versetur, sed etiam gravissimorum malorum causam, Deum efficiat. Quamquam fieri nullo modo posse, quod defendunt, ratio convincit. Verum ista ne aures quidem nostræ ferre debent, quæ perspicue absurda sunt, et de Dei majestate detrahunt.' *Vallin.*

Seu angelica virtute] Angelorum enim ministerio ad jussa peragenda Deum in his inferioribus uti, docet vetus omnis Theologia, iisque omnia plena esse. Clemens Alexandrin. *strom. lib. vii.* 'Ἐπὶ τέλει τοῦ φαινομένου τῷ ἄκρῳ, ἡ μακαρία ἀγγελοθεσία· καὶ δὴ μέχρις ἡμῶν αὐτῶν ἄλλοι ὑπ' ἄλλοις, ἐξ ἑνὸς καὶ δι' ἑνὸς σωζόμενοι τε καὶ σώζοντες διατετάχονται, 'In summo fine ejus' cæli, 'quod apparet, beati positi sunt Angeli, atque adeo usque ad nos ipsos, alii sub aliis sunt collocati, qui ex uno et per unum et servantur et servant.' Ii quoque πρὸς τάξει θείᾳ τε καὶ ἀρχαίᾳ κατ' ἔθνη συνδιανενημένοι, 'ordinatione divina et antiqua per Gentes,' ac urbes, sed et homines distributi φιλοσοφίαν, sapientiam iis administrant. Athenagoras autem πρεσβ. Τοῦτο γὰρ ἡ τῶν ἀγγέλων σύστασις τῷ Θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γέγονε τοῖς ὑπ' αὐτοῦ διακεκοσμημένοις, ἵνα τὴν μὲν παντελικὴν καὶ γενικὴν ὁ Θεὸς τῶν ὄλων πρόνοιαν, τὴν δὲ ἐπὶ μέρους, οἱ ἐπ' αὐτοῖς ταχθέντες ἄγγελοι, 'Idcirco enim Angelos Deus creavit, ut rebus a se digestis providerent: quamvis enim ipse universali sua et communi providentia universis prospiciat: particularem tamen rerum singularum, quæ cuique fuerint commissæ, Angelis imposuit.' *Idem.*

Dæmonium varia solertia] Dæmones quemadmodum Angelos his in inferioribus multæ esse potestatis omnium temporum opinio fuit. Utque vulgus bonos malosque Genios seu Dæ-

mones dicit; sic etiam Angelos licet dicere; Τοὺς μὲν τῆς ἀγαθῆς προσήσεως, πρεσβευτὰς τινὰς ἀνθρώπων πρὸς Θεὸν, καὶ Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους, ἀσύλους καὶ ἱεροὺς, διὰ τὴν ἀνυπαίτιον καὶ παγκάλην ταύτην ὑπηρεσίαν. τοὺς δ' ἔμπαλιν, ἀνιέρους καὶ ἀναξίους τῆς προσήσεως καὶ αὐτὸς ὑπολαμβάνων οὐχ' ἁμαρτήσεις, 'Alteros, qui boni vocantur, legatos quosdam ultro citroque commeantes inter Deum et homines, sacrosanctos propter hoc inculpabile pulcherrimumque ministerium: alteros e diverso profanos ac nefarios, quos et ipse abominandos haud falso dixeris.' ait Philo lib. *περὶ Γιγάντων.* Quid vero Philosophia Gentilis, hoc est Jamblichi, Porphyrii et cæterorum, de eis senserit, ex Pselli de Dæmonibus libro nondum edito sic accipe. 'Ἐὰ μετὰ τὸν ἀγγελικὸν διάκοσμον τὰς δαιμονίας τάξεις ὑφίστησι, καὶ τὰς μὲν αὐτῶν νοερὰς τίθεται, τὰς δὲ κατὰ νοῦν καὶ λόγον οὐσιῶσθαι, τὰς δὲ κατὰ λόγον μόνως, ταῖς δὲ πρὸς τῷ λόγῳ συνκατακληροῖ καὶ τὸ ἄλογον, τοὺς δὲ ἐσχάτους τῶν δαιμόνων εἰς ἀλογίαν μόνην ἀποβρίπτει, οὓς δὴ καὶ ὑδαίους καὶ ποιναίους κατανομάζει. ἐπιδιαίρει δὲ αὐτοῖς τὴν κτίσιν, ἵνα παρ' ἐκείνων ζωπυρῆται καὶ ἐμπνέηται. καὶ τοῖς μὲν τὸ πῦρ, τοῖς δὲ τὸν ἀέρα, τοῖς δὲ τὸ ὕδωρ, τοῖς δὲ τὴν γῆν ὑποτίθησιν. ἐπίουσι δὲ κλιματάρχας ποιεῖται καὶ σωμάτων ἐτέρους προστάτας καὶ ὕλης φύλακας· ἐμπίπτειν δὲ τούτους φασὶ ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς οὐ διὰ μισάνιαν τε καὶ εὐμένειαν, ἀλλ' ὡς κολαστὰς ὧν ἡμαρτήκασι καὶ κατασπᾶν ἐπὶ τὴν ὄλην οὐ λογισμὸν ἔχοντας ταύτας κακοῦν, ἀλλ' ἵνα τὸ αἰσχρὸν ἐκείνων μορφοῖτο διὰ τὴν τούτων πρὸς αὐτὴν σχέσεως, οἱ δὲ θυμὸν τούτοις καὶ τὴν ἀναίδειαν κατὰ φύσιν διδοῶσιν, ὡς ταῖς παρδάλεσι καὶ τοῖς λέουσι, καὶ σώμασιν ἐνδεσμοῦσι λεπτοῖς καὶ ἀερίοις καὶ ἔλαττον ἀντιτύποις, οὐ περιφερέσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπιμήκεσιν, ἔλαττον μὲν φωτὸς πλέον δὲ τοῦ γεώδους σκότους μετέχουσι. τὴν δὲ γνῶσιν αὐτοῖς καὶ τῶν μελλόντων τὴν πρόγνωσιν ἐκ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων ἐπιμαρτυροῦσι, μάλιστα δὲ ἐκ τῶν περὶ τοὺς

ἀστέρας σχημάτων, ‘post ordines Angelorum, Dæmonum series constituit, aliosque eorum intellectuales tantum, alios vero intellectu et ratione præditos, alios sola ratione constantes; aliis vero cum ratione etiam irrationale tribuit; extremos denique Dæmonum in meram irrationalitatem detrudit, eosque idcirco materiales et pœnales indiget: omnes autem res creatas iis gubernandas attribuit, eo fine, ut ab eis vivificentur et quasi inspirentur. Idcirco aliis quidem ignem, aliis aërem, aliis aquam, aliis denique terram committit: quosdam etiam regionum principes, alios corporum præfectos et materiæ custodes constituit: nostris vero animis eos illabi ait, non propter odium vel malevolentiam, sed quasi tortores et castigatores eorum quæ animi deliquerint. Præterea mentes nostras eos ad materiam incurvare, non quidem lædendi eas animo, sed ut illorum dedecus harum ad illos habitudine præsentetur. Iram vero et impudentiam iis, prout pardis et leonibus assignat: eosque corporibus tenuibus et aëriis parumque resistentibus, non rotundis modo sed et oblongis amictos statuit, quæ parum lucis, multum terrenæ caliginis contineant. Cognitionem autem rerum, et futurorum præscientiam iis, tum ex multis aliis, tum maxime ex astrorum aspectibus assignat.’ Multarum igitur rerum virtutes ac scientias callent, sed, ut ait ibid. Philo, non ὀρθοῦ λόγου θυγατέρας ‘rectæ rationis filias.’ *Idem.*

Seu Dæmonum variâ solertia] Martian. Capella lib. II. De Nupt. Phil. Græci δαίμονες dicunt ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι. ‘Latini Medioximos vocitarunt.’ Opinionem autem Platoniorum, præsertim Apuleii de Dæmonibus aëris multis examinat, vanamque esse demonstrat B. Augustin. lib. VIII. IX. et X. De Civ. Dei. *Sitzm.*

Seu omnibus] Sic profecto est. Deserviunt conditori suo supercælestes illi spiritus, qui coram eo propius assistunt. Obsequitur Anima mensque Universi seu tota Natura, vitam administrando, ordinem inditum tam enixe obeundo. Famulantur astrorum ignes tot ad commoda miraculaque e cælo fulgentes. Parent denique utrique δαίμονες; illi quidem virtutis, hi vero nequitiae consultores. Ita quidem omnia Dei providentiam observant, exequendisque ejus decretis præsto sunt, sed, ut inquit Augustin. [de Civ. Dei lib. IV.] ‘ordine et tempore occulto nobis, notissimo sibi.’ Ne mortalis scire desiderata: quis enim es, ut noveris consilium Domini: aut quis opus tam stupendum scientia consequi possit, Deus! nisi æterna tua illa ‘Sapientia,’ quæ ‘sola tecum aderat quando cuncta componebas?’ *Vallin.*

Fatum vero eorum quæ divina simplicitas gerenda esse disposuit, mobilem nexum atque ordinem temporalem] Agell. lib. VI. cap. 2. ‘Fatum quod Græci πεπρωμένην vel εἰμαρμένην vocant, ad hanc ferme sententiam Chrysippus Stoicæ Princeps Philosophiæ definit: Fatum est, inquit, sempiterna quædam et indeclinabilis series rerum, et catena volvens semetipsa sese et implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque est.’ *Sitzm.*

A prima mente] Post summum ac simplicissimum Deum, sequuntur beati illi spiritus qui majestatem Creatoris proxime intuentur, iidem illi simplices quoque. In Cælo etiam, quod θεῖον vocat Aristoteles, quod est superius, ἀσώματος οὐσία; quod vero inferius, σωματικὴ dicitur Hierocli. Ipsorum Dæmonum atque adeo Hominum ψυχὴ, λογικὴ quidem est, sed μετὰ φατεινοῦ καὶ συμφυοῦς σώματος. Deinde ipse Ignis, qui cælo vicinus est, ἄυλος apud Simplicium [com. in IV. Physic.] εἶδους λόγον ἔχει πρὸς τὰ

ἄλλα στοιχεῖα, ‘habet rationem formæ comparatione aliorum elementorum.’ Aër denique subtilior Aqua est; ac Terra, quæ penitus immobilis est: cuius nempe beneficio tam varios eæ virtutum superiorum excipiunt effectus, ut iis fœcundiores factæ in tot tantosque, quos videmus animalium, plantarum, aliorumque operum fœtus erumpant. Cujus ordinis totius ac seriei rationem sic explicat Dionys. de divin. nomin. cap. 4. Τὸ μᾶλλον, ἢ ἦττον τῷ ἀγαθῷ πλησιάζον ἀναλόγως ἔσται ἀγαθόν. ἐπεὶ περ ἢ διὰ πάντων φοιτῶσα παντελῆς ἀγαθότης οὐ μέχρι μόνον χωρεῖ τῶν περὶ αὐτὴν παναγάθων οὐσιῶν· ἐκτείνεται δὲ ἄχρι τῶν ἐσχάτων· ταῖς μὲν ὀλικῶς παρούσα, ταῖς δὲ ὑφειμένως· ἄλλαις δὲ ἐσχάτως, ὡς ἕκαστον αὐτῆς μετέχειν δύναται τῶν ὄντων· καὶ τὰ μὲν πάντη τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει· τὰ δὲ μᾶλλον, καὶ ἦττον ἐστέρηται· τὰ δὲ ἀμυδροτέραν ἔχειν τοῦ ἀγαθοῦ μετουσίαν, καὶ ἄλλοις κατὰ ἔσχατον ἀπήχημα πάρεστι τ’ ἀγαθόν. ‘Quod magis aut minus propinquat bono, pro ipsa’ appropinquanti ‘mensura fit bonum. Siquidem perfecta bonitas per omnia se diffundens, non solum ad illas, quæ sunt circa ipsam substantias optimas accedit, sed ad extremas usque procedit: aliis quidem summopere præsens, aliis autem inferiore quadam conditione, aliis tandem infimo quodam pacto; quatenus singula percipere possunt. Jam vero alia bonum prorsus participant, alia vero magis minusve inde degenerant; sed alia tenuiorem boni præsentiam sortiuntur: aliis denique vestigium boni contingit extremum.’ Quam spiritualium corporearumque substantiarum insitam a Creatore subordinationem et εὐταξίαν sic exprimit Augustinus [lib. III. de Trin. cap. 4.] ‘Ut corpora crassiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ, spiritus vitæ irrationalis, per spiritum vitæ rationalem: et rationalis desertor atque peccator

per spiritum justum atque pium, et hic per Deum, ac sic universa creatura per Creatorem suum, ex quo, per quem, in quo condita etiam et iustituta est.’ Quod autem hic Deum ‘mentem primam’ nuncupat, more Platonis Platoniorumque facit, qui eum τὸν νοῦν passim vocant. Videndus post Platonem Aristot. cap. 11. lib. de Mundo. Vallin.

Hæc actus etiam] Imitatur hæc Salavianus lib. I. de Gub. Dei: ‘Præsertim cum etiam in his, quæ humano actu administrantur, nihil penitus sine ratione consistat, omniaque ita a Providentia incolumitatem, quasi corpus ab anima vitam trahant.’ Sitzm.

Lucanus admonuit] Famoso illo versu lib. I. de B. C. ‘Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem, Pompeiusve parem: quis justius induit arma Scire nefas, magno se iudice quisque tuetur: Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.’ Vallin.

Nam ut quidam me quoque excellentior ait, Ἀνδρὸς ἱεροῦ σώμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι] Id est, ‘viri sacri corpus virtutes ædificant.’ Bernart.

Quosdam remordet] Lucret. lib. III. ‘Præteritisque admissa annis peccata remordent.’ Sitzm.

Forsitan pertimescit] Pub. Syrus: ‘Nunquam segura est prava conscientia.’ Idem.

Alios in cladem meritam præcip.] Illos nimirum, quos teste Juven. Sat. III. ‘Ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.’ In quorum numero habendus Sejanus, Tiberio Imperatori nimium nimiumque familiaris: de quo idem Sat. X. ‘Nimios optabat honores Et nimias posebat opes: numerosa parabat Excelsæ turris tabulata, unde altior esset Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ.’ Item Clæander Phryx genere, ex ea nota hominum, qui publice per præ-

conem veneunt. Hic eo honoris atque authoritatis regnante Commodus proventus est, ut et corporis ejus custodiam, et cubiculi curam, præterea militum Præfecturam solus obtineret. Cum vero divitiæ ac luxus etiam ad imperii spem illum instigarent, Romanisque propter inexplebilem avaritiam esset exosissimus: accedentem ad se imperator (quod civile excitarat bellum) jussit comprehendere, et caput ejus amputatum contoque præfixum circumferri, voluptuosum scilicet atque optatum populo spectaculum præbiturus. Hunc exitum Cleander habuit: quasi in uno illo velut ambitiosius ostentaret Natura humana, posse ex infimo loco ad supremum fastigium evehi hominem, atque evectum dein rursus deturbari, quamlibet exiguo atque in sperato fortunæ momento. Ad Herodianum Historic. libro primo. *Idem.*

Dum se eis dissimiles student esse quos oderant] Dum 'ex vitio alterius emendant suum.' Pub. Syrus. *Idem.*

Ordo enim quidam cuncta complectitur] Q. Curtius lib. v. De Reb. gestis Alexandri Magni: 'Eludant licet, quibus forte ac temere humana negotia volvi agique persuasum est: equidem æterna constitutione crediderim nexuque causarum latentium, et multo ante destinatarum suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.' *Idem.*

'Αργαλέον δ' ἐμὲ ταῦτα, θεῶν ὡς πάντ' ἀγορεύειν] Id est, 'Difficile hæc mihi ut omnia divina explicare.' Bernart.

Neque enim fas est] Manilius lib. iv. 'Ostendisse Deum nimis est: dedit ipse sibimet Pondera: nec fas est rebus suspendere Mundum. Rebus enim major.' *Sitzm.*

METR. VI. *Si vis, &c.]* Carmen istud magis et magis illustraveris ex Arnob. lib. i. Apul. De Mundo, Lactant. lib. ii. Inst. cap. 5. *Idem.*

Si vis celsi jura tonantis] Hoc totum carmen sane sanctum, cæleste, divi-

num si quis cum his Manilii lib. ii. versibus conferat, industriæ diligentiaque grande pretium habiturus est: 'Namque canam tacita Naturæ mente potentem, Infusumque Deum cælo, terrisque, fretoque, Ingentem æquali moderantem fœdere molem: Totumque alterno consensu vivere Mundum, Et rationis agi motu, cum spiritus unus Per cunctas habitet partes atque irriget orbem Omnia pervolitans, corpusque animale figuret. Quod nisi cognatis membris contexta maneret Machina, et imposito parent tota magistro, Ac tantum Mundi regeret prudentia sensum, Non esset statio terris, non ambitus astris, Hæreretque vagus Mundus, standoque rigeret, Nec sua dispositos servarent sidera cursus, Noxque alterna diem fugeret, rursumque fugaret. Non imbres alcrent terras, non æthæra venti, Non Pontus gravidas nubes, non flamina Pontum, Nec pelagus fontes: nec staret summa per omnes Par semper partes æquo digesta parente, Ut neque deficerent undæ, nec sidera nobis, Nec Cœlum justo majusve minusve volaret. Motus alit non mutat opus: sic omnia toto Dispensata manent Mundo, Dominumque sequuntur.' *Vallin.*

Servant sidera pacem] Prudent. in Psychom. 'Sidera pace vigent, consistunt terrea pace, Nil placitum sine pace Deo' Cæcilius apud Min. Felicem: 'Quid quod toti orbi et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur, quasi aut naturæ divinis legibus constitutus æternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium fœdere et cælesti compage divisa moles ista, qua continemur et cingimur, subruatur.' *Sitzm.*

Nunquam occiduo] Sen. in Herc. Cæt. vs. 1584. 'Ante descendet glacialis Ursæ Sidus, et ponto vetito fruetur, Quam tuas laudes populi quiescant.' Pulcre Claudianus in Gi-

gantomachia fingit emergentibus Gigantibus sidera expalluisse, timoremque ea invasisse, adeo quidem, ut stationem suam relinquere voluerint. Verba ejus sunt: 'Oceanum petit Arctos, inocciduique Triones Occasum volvere pati' Idem alibi: 'Claraque se vetito proluat Ursa mari.' *Idem.*

Semper vicibus temporis æquis] Prudent. Cathem. Hymno quinto: 'Inventor rutili Dux bone luminis Qui certis vicibus tempora dividis.' *Idem.*

Æternos reficit cursus] Arnob. I. II. 'Necesse est cuncta suos ire per cursus, nec ab ordinis nati continuatione discedere.' *Idem.*

Astrigeris bellum discors exulat oris] Lactant. de Ira Dei, cap. 13. 'Astra etiam cetera vel ortu vel occasu suo certis stationibus opportunitates temporum plane subministrant.' *Idem.*

Hæc concordia, &c.] Apuleius de Mundo: 'Principiorum consensus sibi concordiam peperit: perseverantiam vero amicitia inter se elementis dedit specierum ipsarum æqua partitio, dum in nullo alia ab alia vincitur modo vel potestate. Æqualis quippe omnium diversitas, gravissimorum, levissimorum, ferventium, frigidorum, docente ratione Naturæ, diversis licet rebus, æqualitatem deferre concordiam, omnia parentis mundi amœnitatem æternitatemque reperisse.' *Idem.*

Pendulus ignis surgat] Quintilian. Declamat. IV. 'Casune tibi, Pater, hæc diversitas videtur in corpus unum dissentientibus solidata primordiis, ut summo vertice locatus igneus vigor cuncta levia calidi spiritus ardore suspenderet: profundus humor ad ima dimersus, unde quotidie superpositi calor alimentum traherentur, terrenum pondus in medio quanto superne spiritu, tanta penitus inanitate subnixum librata mole consideret, ut seculorum infinita series, per assiduas temporum vices sua lege fes-

tinet?' *Idem.*

Pondere sidant] Senec. in Agam. vs. 86. 'Sidunt ipso Pondere magna.' *Idem.*

Iisdem caussis] Huc pertinent illa verba Min. Felicis: 'Quid? cum ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentemque testatur? Ver æque cum suis messibus, et autumnii maturitas grata, et hyberna olivitas necessaria: qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentiæ quantæ, ne hiems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumnii et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur.' *Idem.*

Spirat florifer annus odores] Manilius lib. IV. 'Odoratæ spirant medicamina sylvæ.' *Idem.*

Æstas fervida] Bene *fervida*. Tunc enim 'Flammiferis tellus radiis exusta dehiscit, Candentique globo medius coquit æthera fervor,' ut loquitur Silius lib. I. *Idem.*

Remeat pomis gravis Autumnus] Horat. Epod. Od. 2. 'Vel cum decorum mitibus pomis caput Autumnus arvis extulit.' Columella lib. X. 'Cum satur Autumnus quassans sua tempora pomis, Sordibus, et musto spumantes exprimit uvas.' Angelus Politianus in Sylva, cui titulus Manto: 'Et Pater Autumnus medio consurgat ab arvo, Pomiferum viridi caput alte umbratus anictu.' *Idem.*

Rex] Plato in Epist. ad Dionysium, Deum pronuntiavit τὸν βασιλέα πάντων, 'omnium Regem;' huicque, quod maxime notandum est, subjicit τὸν πρῶτον Θεόν, 'primum illum Deum,' hoc est, ut opinantur Platonici, τὸν Δία 'Jovem,' quod tamen obscurum de industria reliquit Plato. Quod vero hoc nomine significaverit seu potius, cicutam metuens, velaverit summi Dei nomen, nec, eum 'cum

cognovisset, sicut Deum glorificaverit,' testis est Apuleius his in Apologiae verbis, mentem Platonis ipse quoque aperire gestiens nec audens: 'Quin altitudinis studio secta ista' Platoniorum 'Cælo ipso sublimiora quæpiam vestigavit, et in extimo Mundi tergo degit. Idem Maximus optime intelligit, ut de nomine etiam vobis respondeam, quisnam sit ille non a me primo, sed a Platone nuncupatus βασιλεὺς, totius rerum naturæ causa, et ratio, et origo initialis, summus animi Genitor, æternus animantium Sospitator, assiduus Mundi sui Opifex: sed enim sine opera Opifex, sine cura Sospitator, sine propagatione Genitor: neque loco, neque tempore, nec ulla voce comprehensus, eoque paucis cogitabilis, nemini effabilis. En ultro angeo Magiæ suspicionem: non respondeo tibi, Æmilianæ, quem colam βασιλέα: quin si ipse proconsul interroget, quid sit Deus meus: tacebo de nomine, ut impræsentiarum satis dixi.' Hoc quoque Veteres usurparant, Homerus, Ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. ac post Virgilius, 'Sic fata Deum rex Sortitur.' Et, 'Rex omnipotentis Olympi.' Vallin.

Rex et Dominus, fons et origo] Ecquis negarit Boëtium nostrum exprimere voluisse illum versum Orphei: Ζεὺς βασιλεὺς, Ζεὺς ἀρχὸς πάντων, ἀρχικέρανος. 'Rex Jovis omnigenum est, princeps, et originis auctor.' Martianus Capella lib. III. Nupt. Philol. de Sole: 'Fomes sensificus, mentis fons, lucis origo.' Sitzm.

Stabilis ordo] Val. Flac. lib. I. 'Tum genitor: Vetera hæc nobis et condita pergunt Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu Fixa manent.' Idem.

Refluant causæ] Amore nimirum ad id impellente, ut inquit: quem Dionysius ex Hierothei hymno dicit esse ἐνωτικήν τινα καὶ συγκρατικήν δύναμιν. τὰ μὲν ὑπέρτερα κινούσαν ἐπὶ

πρόνοιαν τῶν καταδεεστέρων. τὰ δὲ ὁμόστοιχα πάλιν εἰς κοινωνικὴν ἀλληλουχίαν. καὶ ἐπ' ἐσχάτων ὑφειμένα πρὸς τὴν τῶν κρειττόνων καὶ ὑπερκειμένων ἐπιστροφήν. 'vim quandam unificam atque commiscentem: superiora quidem moventem ad inferiorum providentiam; quæ autem ejusdem sunt ordinis: ad communionem mutuam adhortantem: ac inferiora' tandem 'revocantem, ut ad meliora et superiora convertantur.' Amor igitur conversionis et ascensus Animæ ad Deum causa est, et quidem impultrix: quod et affirmat Jamblichus lib. de Myst. Ægypt. 'A primo descensu Deus animas ea conditione demisit, ut ad eum iterum revertantur.' Et anima apud Synesium Hym. III. Λιβὰς οὐρανία Κέχυμαι κατὰ γᾶς. Παγᾶ με δίδου Ὅθεν ἐξεχύθη Φυγὰς ἀλήτης, 'Gutta cœlestis Effusa sum in terram. Fonti me restitue Unde sum Profuga vagans.' Et oraculum de Juliani Imp. morte apud Suidam, Ἦξεῖς δ' αἰθερίου φάεος πατρώϊον αὐλήν, Ἐνθεν ἀποπλαγχθεὶς μεροπήϊον ἐς δέμας ἦλθες. 'Venies autem ad ætherii luminis paternam mansionem, Unde demigrans humanum in corpus venisti.' Empedocles apud Simplicium illis versibus, de quibus supra, quos haud dubie noster cum hæc scriberet in mente habuit, Ἢ δ' τὰ δ' ἀλλάσσοντα διαμπρὲς οὐδαμᾶ λήγει, Ταύτη αἰὲν ἕασσιν ἀκίνητα κατὰ κύκλον. Vallin.

Refluant causæ, quæ dedit esse] Cæcilius apud Minut. Felicem: 'Ita in fontem refluant, et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec judice, nec auctore.' Lucret. I. IV. 'Omnia quandoquidem cogit Natura referri Ac resilire ab rebus ad æquos red-dita flexus.' Idem.

PROSA 7. *Virtutis iter arripiunt*] Ennodius Ticin. in Panegyri. 'Nullus præter parentem iter arripuit.' Rutil. Itin. lib. I. 'His dictis iter arripimus, comitantur amici.' Idem.

Virum fortem, non decet indignar

quoties increpuit bellicus tumultus] Hæc facilius dicuntur, quam fiunt. Quis enim adeo constans, adeo infractus, ut iustantia subeat impavidus pericula? ‘Vincitur humanæ mentis auctoritas prævisione discriminis: labascit fortium conscientia, quoties formidanda oculis ingeruntur,’ inquit Ennodius in Panegyrico Theodorico Regi dicto. *Idem.*

Quod suis viribus nitens non superetur adversis] Silius Italicus lib. x. ‘Neque enim virtutis amorem Adversa exemisse valent.’ *Idem.*

Emarcescere voluptate] Ovid. i. De Ponto, Elegia sexta: ‘Nec juvat in lucem nimio marcescere vino.’ *Idem.*

Ne vos aut tristis opprimat, aut jucunda corrumpat] Sententia Periandri Corinthii numeris ab Ausonio explicata: ‘Si fortuna juvat, caveto tolli Si fortuna tonat, caveto mergi.’ Horatius lib. ii. Carm. Od. 10. ‘Rebus angustis animosus atque Fortis appare: sapienter idem Contrahes venuto nimium secundo Turgida vela.’ Apud Q. Curtium lib. x. Alexander Magnus milites suos ita increpat: ‘Secundis rebns, quæ circumfluunt vos, insanire cæpistis, obliti status ejus, quem beneficio exuistis meo. Digni, hercle, qui in eodem consequescatis: quoniam facilis est vobis adversam, quam secundam regere fortunam:’ cujus generis sententias plures ex Xenophonte et aliis annotavit Muretus in Var. lectionibus. Ennodius in Panegyri. Regem suum tergemino ornat elogio, quod ‘nunquam animi illius status aut secundarum rerum tumore elatus fuerit, aut dubiis acquieverit.’ Contra Zosimus lib. ii. hist. scribit de Mag-nentio quod exstiterit ‘audax fortuna prospera, timidus adversa.’ *Idem.*

METR. 7. *Bella bis quinis o. a.*] Senec. in Agam. vs. 624. ‘Restitit annis Troja bis quinis Unius noctis peritura fato.’ *Idem* in Troad. vs. 1056. ‘Tam ferum, tam triste bis

quinis scelus Mars vidit annis.’ *Idem* in Agam. vocat istud bellum ‘Martem decennem,’ vs. 921. Vid. et Plaut. in Bacchid. act. 5. scen. 8. in pr. aliosque. *Idem.*

Ultor Atreides] Statius lib. ii. Achil-leid. ‘Si nomina quæras Huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atreides.’ *Idem.*

Atreides] Sosipater Charisius, Instit. Grammat. lib. i. ‘Masculina modo in ES, modo A terminantur, ut Anchises, Anchisa: Chryses, Chrysa: Attes, Atta: Atreides, Atreida. ut Propert. [lib. ii. Eleg. 14.] ‘Non ita Dardanio gavisus Atreida triumpho.’ *Idem.*

Phrygiæ ruinis] Andromacha de Astyanacte, apud Sen. in Troad. vs. 738. ‘An has ruinas urbis in cinerem datas Hic excitabit?’ Silius Italicus lib. i. de Muro Herculem invocante: ‘Fer numen amicum Et Trojæ quondam primis memorate ruinis Dexter ades Phrygiæ delenti stirpis alumnos.’ *Idem.*

Ventos redimit cruore] Clytæmnestra apud Senecam in Agam. vs. 168. ‘Cruore ventos emimus, et bellum nece.’ De Iphigeniæ antem supplicio post Euripidem vide Lucret. lib. i. Propert. lib. iv. Eleg. 1. Senec. in Agamem. vs. 165. et seqq. *Idem.*

Exsui patrem] Contra Ovid. in Epist. Heroid. ‘Induit illa patrem.’ Nostrum autem Boëtium et hic imitatum fuisse Senecam apparet ex illo Troad. vs. 561. ubi Andromacha: ‘Non hostibus,’ inquit, ‘Confossa tellis pectus, aut vinculis manus Secantibus præstricta, non acri latus Ut-cunque flamma cincta, maternam fidem Unquam exuissem.’ *Idem.*

Ithacus] Cassiodorus i. Variar. 39. ‘Interdum expedit patriam negligere, ut sapientiam quis possit acquirere. Ulysses Ithacus nisi hoc fecisset, in laribus propriis forsantuisset. Cujus sapientiam hinc maxime Homeri nobile carmen asseruit,

quod multas civitates et populos circumivit. Dum illi prudentiores semper habiti, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi.' Similiter Apuleius de Deo Socratis: 'Nec aliud te in eodem Ulysse Homerus docet, qui semper ei comitem voluit esse Prudentiam: quam poetico ritu Minervam nuncupavit. Igitur, hac eadem comitante, omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. Quippe ea adjunctrice Cyclopi specus introivit; sed egressus est: Solis boves vidit; sed abstulit: ad Inferos demeavit; sed ascendit: eadem Sapientia comite, Scyllam præternavigavit; nec abreptus est: Charybdi conspectus est; nec retentus est: Circes poculum bibit; nec mutatus est: ad Lotophagos accessit; nec remansit: Sirenes audivit; nec accessit.' De eodem Polyænus lib. I. Strategematum. *Id.*

Vasto in antro] Virg. Æn. III. 'Hic me dum trepidi crudelia limina relinquunt Immemores socii vasto Cyclopi in antro Desernere.' *Idem.*

Duri labores] Senec. in Herc. Fur. vs. 433. ubi Megara de Hercule ad Lycum: 'Imperia dura tolle: quid virtus erit?' Min. Felix: 'Vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt: omnes adeo vestri viri fortes quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inelyti floruerunt.' Cassiodorus I. Variar. 24. 'Laborem non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit.' *Idem* I. Variar. 39. 'Natura humana duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur.' Seneca Epist. 31. 'Generosos animos labor nutrit.' Pindarus Pyth. ult. *Εἰ δὲ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν, ἀνευ καμάτου οὐ φαίνεται.* Et Olymp. E. 'Ἄει δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπά-να τε μάρναται, πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον. Silius Italic. lib. I. 'Ardua virtutem profert via.' *Idem.*

Ille Centauros domuit superbos] Sen.

Delph. et Var. Clas.

in Æd. vs. 478. de Baccho: 'Ille dispersos domuit Gelonos: Arma detraxit trucibus puellis.' Quo Strategemate usus sit Hercules in debellandis Centauris, docet Polyænus lib. I. cuius verba huc adscribam, quod sciam non in omnium manibus eum auctorem versari, et tamen narrationem illam esse lectu jucundam: 'Hercules cum e Pelio Centaurorum gentem excindere statuisset, sic ut tamen ipse non prior inciperet pugnam, sed illos provocaret, diversatus est apud Pholum: apertoque cado vini odorati, eum ipse cum suis custodivit. Id sentientes Centauri, concursum ad Pholi antrum fecerunt, vivumque raperunt. Ibi tum Hercules, quasi injuriam inferentibus, qui accurrerant, impetum in eos faciens, morte Centauros affecit.' Istius etiam laboris Herculei meminit Ovid. Heroid. Epist. 9. Silius lib. III. Senec. in Herc. Æt. vs. 1195. *Idem.*

Abstulit sævo spoliū leoni] Senec. in Herc. Fur. vs. 1150. 'Cur latus lævum vacat Spolio Leonis?' In Hippolyt. v. 317. 'Natus Alcmena posuit pharetras, Et minax vasti spoliū Leonis.' In Herc. Æt. v. 786. 'Spoliū Leonis sordidum tabo exsūt.' De hoc labore vid. eundem in Herc. Fur. vs. 45. 225. 465. in Thyest. vs. 858. in Agam. vs. 830. in Herc. Æt. vs. 16. 1193. 1892. Et Lucret. lib. v. Martial. lib. v. Epig. 67. Claudian. in Rufin. l. I. v. 285. Silius Ital. lib. III. Val. Flacc. lib. VIII. Ovid. Epist. Heroid. 9. Politian. in Nutricia, v. 67. Ælian. l. IV. Var. hist. cap. 5. *Idem.*

Fixit et certis volucressagittis] Lactant. lib. I. Div. Instit. cap. 9. de Hercule: 'Quid enim tam magnificentum, si leonem, aprumque superavit? si aves dejecit sagittis? si regium stabulum egressit? si virginem vicit, cingulumque detraxit? si equos feroces cum domino interemit? Opera sunt ista fortis viri, hominis tamen:

Boëth.

2 M

illa enim quæ vicit, fragilia et mortalia fuerunt.' *Id.*

Certis sagittis] Has ipsas Hercules Philoctetæ traditurus ita commendat apud Senec. in Herc. *Æt.* v. 1652. 'Victure felix! has enim nunquam irritas Mittes in hostes: sive de media voles Auferre volucres nube; descendunt aves, Et certam prædam tela de cælo ferent. Nec fallent unquam dexteram hic arcus tuam: Librare telum didicit, et certam dare Fugam sagittis; ipsa non fallunt iter Emissa nervo tela.' De hoc labore Lucret. lib. v. Claudian. in Epigrammate de Hystrice, Senec. in Herc. Fur. v. 243. 945. in Agam. v. 850. in Oct. v. 17. in Herc. *Æt.* v. 1237. 1390. 1888. *Idem.*

Poma cernenti rapuit Draconi] Sen. in Herc. Fur. v. 240. 'Posthæc adortus nemoris opulenti domos Anrifera vigilis spolia serpentis tulit.' Latius vero hæc exequitur in Agam. v. 851. et seqq. 'Arborque pomis fertilis aureis Extimuit manus, insueta carni, Fngitque in auras levioere ramo: Audivit sonitum crepitante lamna Frigidus custos nescius somni, Linqueret cum jam nemus omne fulvo Plenus Alcides vacuum metallo.' Porro ad istum v. et seqq. referenda sunt amænissimi verba Solini, qui cap. 24. ait: 'De hortis Hesperidum, et pervigili Dracone, ne famæ licentia vulneretur, fides et ratio hæc est. Flexuoso meatu æstuarium e mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, ut visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur. Itaque, quod hortos appellavere, circumdat. Unde pomorum custodem interpretantes, struxerunt iter ad mendacium fabulandi. Sed hæc insula sinuata sinibus alvei procurrentis, et in quibusdam æquoris spiris sita, præter arbores oleastri similes et aramsacram Herculi, aliud nihil præfert quod propaget vetustatis memoriam. Verum ultra frutices aureos, et metalla fron-

dentia illud magis mirum, quod solum inferiore licet libra depressius, nunquam tamen accessu freti superlabitur, sed obstaculo naturalis repaguli in ipsis marginibus hæret unda, et intimis orarum superciliis sponte fluctus ingruentes sistuntur: ut spectando nimirum ingenio loci, planicies manet sicca, quamvis prona superveniant æquora.' *Idem.*

Aureo lava gravior metallo] Mss. *lavam.* Eod. modo Senec. in Hippolyt. v. 300. de Jove: 'Candidas ales modo movit alas Dulcior vocem moriente cycno.' De hoc labore Propert. lib. II. Eleg. 24. v. 26. Lucret. lib. v. Val. Flacc. lib. II. Arnobius lib. v. advers. Gentes. Senec. in Thebaid. v. 317. in Agam. v. 852. in Herc. *Æt.* v. 1534. Martian. Capella lib. VI. *Idem.*

Victor immitem p. f.] Sen. in Herc. *Æt.* v. 226. 'Quid stabula memorem dira Bistonii gregis? Suisque regem pabulum armentis datum?' Apuleius lib. VII. Met. 'Sic apud historiam de rege Thracio legeram, qui miseros hospites ferinis equis suis lacerandos devorandosque porrigebat. Adeo præpotens ille tyrannus sic parcus hordei fuit, ut edacium jumentorum famem corporum humanorum largitione sedaret.' Ovid. Heroid. Ep. 9. 'Non tibi succurrit crudi Diomedis imago Efferus humana qui dape pavit equos.' De hoc labore, inmanitateque Diomedis Sen. in Herc. Fur. v. 1169. in Agam. v. 841. in Herc. *Æt.* vers. 20. 1540. 1790. 1819. 1897. Lucretius l. v. Silius lib. III. Gellius lib. III. cap. 9. Ovidius I. de Ponto, Eleg. 3. *Idem.*

Hydra combusto perit veneno] Sen. in Herc. Fur. v. 241. 'Quid? scæva Lernæ monstra, numerosum malum, Non igne demum vicit, et docuit mori?' De hoc labore Lucret. lib. v. Propert. lib. II. El. 24. v. 25. Martial. l. v. Epig. LXVII. Valer. Flac. lib. VII. Silius lib. III. Ovidius in Epist.

Heroid. 9. Claudian. lib. I. in Rufin. v. 200. Seneca in Hercul. Fur. v. 45. 529. in Medea, v. 701. in Agamem. v. 835. in Hercul. Œt. v. 19. 1194. *Idem.*

Fronte turbatus Achelous amnis] Beta languidius est: corrige mecum ex Manuss. *Fronte turpatus.* Statius Theb. IV. 'Et Herculea turpatus gymnade vultus Amnis, adhuc imis vix truncam attollere frontem Ausus aquis.' Ovidius fabulam, quam tangunt nostri, fuse, ut solet, describens Metam. IX. 'Nec satis hoc fuerat; rigidum fera dextera cornu Dum tenet infregit, truncaque a fronte revellit.' *Bernart.*

Fronte turbatus] In Mss. quibusdam: *Fronte turpatus Achelous amnis.* quam lectionem et Basil. edit. vetus retinuit, et confirmat illud Senecæ in Herc. Œt. v. 495. et seqq. 'Subactus Herculis clava horridi Achelous, omnes facilis in species dari, Tandem peractis omnibus patuit feris Unoque turpis subdidit cornu caput.' De hoc labore Ovidius IX. Metam. III. Amor. Eleg. v. Heroid. Epist. IX. et Ep. 15. Silius lib. III. Senec. in Medea, v. 635. in Herc. Œt. v. 300. et 1292. *Sitzm.*

Achelous] Vibius Sequester de Fluminibus: 'Achelous Ætoliæ primus erupisse terram dicitur, in Maliacum sinum effluit: Ætoliæ ab Acarnania dividit. Oritur in Pindo monte.' 'Acheloum' Græcis vetustissimis pro quacunque aqua dici solitum, lucide ostendit Macrobius I. v. Saturnal. cap. 18. *Idem.*

Ora pudibunda] Sen. in Herc. Fur. v. 1178. 'Uterque tacitus ora pudibunda obtegit.' in Œdipo v. 619. dicit: 'Pudibundum caput extulit.' *Idem.*

Stravit Antæum Lib. a.] Martian. Capella lib. VI. 'Africa vero ac Libya dictæ ab Afro Lib. Herculis filio. In confinio est Elissos colonia, in qua regia Antæi luctamenque cum

Hercule celebratur,' &c. Amphitruo apud Sen. in Hercul. Fur. v. 482. ad Lycum: 'Non nosti omnia. Ipsius opus est cæstibus fractus suis Eryx, et Eryci junctus Antæus Libys.' De hoc labore idem in Herc. Œt. v. 25. 1788. 1898. Propertius lib. III. El. 21. v. 10. Martialis I. v. Epigram. LXVII. Lucan. lib. IV. Val. Flacc. lib. I. Silius lib. III. Ovidius Epist. Heroid. IX. Claudian. in Rufin. lib. I. v. 288. Augustin. lib. XVIII. De Civit. Dei, cap. 12. et Ludov. Vives. Pindarus itidem Isth. Od. 4. scribit, adeo immanem fuisse Antæum, ut templum Neptuni *κρῆνῆος ξέλων* a se interfectorum coopernerit. *Idem.*

Cacus Euandri, &c.] Hunc laborem eleganter describit Virg. VIII. Æneid. Propert. lib. IV. Meminit ejusdem Solin. in Polyhist. cap. 6. Augustin. lib. XIX. de Civ. Dei, cap. 12. Silius in fin. lib. VI. *Idem.*

Satiavit iras] Silius lib. II. 'Neque enim satiaverat iras Dicendo.' Petron. Arbiter: 'Gemini satiavit numinis iram Teleplus.' *Idem.*

Quosque pressurus foret altus orbis] Senec. in Hippolyt. v. 325. 'Humerisque quibus Sederat alti regia cæli.' *Idem.*

Setiger spumis humeros notavit] Alcmena apud Senec. in Herc. Œt. v. 1887. 'Stratus vestris setiger oris.' Ovid. quoque 8. Metam. absolute aprum vocat 'Setigerum:' 'Vulnera fecissent, nisi setiger inter opacas Nec jaculis isset, nec equo loca per via sylvas.' *Idem.*

Spumis] Hinc spumei, spumantes, spumigeri apri dicuntur. De hoc labore Solin. cap. 13. Lucr. lib. v. Martialis. I. v. Epig. 67. Silius lib. III. ubi aprum istum 'pestem Erymanthiam' vocat. Ovid. Epist. Heroid. IX. Senec. in Agam. vers. 832. in Herc. Œt. v. 17. 1537. et Claudianus rotundissimo isto Epigrammate: 'Torvus aper fulvusque leo coiere superbis Viribus: hic setis sævior, ille juba. Hunc

Mars, hunc Cybele landat, dominatur uterque Montibus. Hercules sudor uterque fuit.' Quod si credimus Polyæno, neque hunc laborem sine astu Hercules perfecit: Ita enim ille lib. 1. Stratag. 'Hercules vires ac robur Erymanthii suis metuens, dolo belluam cepit. Cum enim hic in valle somnium caperet, (erat autem vallis plena nivium,) ille multos lapides desuper injiciebat, itaque sus excitatus exsiliit, et furore atque indignatione præceps actus, in nivem incidit, ac submersus impingensque capiebatur.' *Idem.*

Ultimus cælum labor] Sen. in Herc. Fur. v. 68. 'Robore expenso tumet, Et posse cælum viribus vinci suis Didicit ferendo: subdidit mundo caput, Nec flexit humeros molis immensæ

labor, Mediusque collo sedit Herculeo polus, Immota cervix sidera et polum tulit.' *Idem.*

Cælum meruit] Martian. Capella in fin. lib. 1. de nupt. Philol. 'Omnis Deorum senatus in suffragium concitatur, acclamantque cuncti fieri protinus oportere: adjiciuntque sententiæ Joviali, ut deinceps mortales quos vitæ insignis elatio et maximum culmen meritorum, ingeniumque in appetitum cælitum propositumque sideræ cupiditatis extulerit, in Deorum numerum cooptentur.' *Idem.*

Ite nunc fortes ubi celsa magni Ducit exempli via] Ovid. iv. Trist. Eleg. 3. 'Ardua per præceps gloria tendit iter. Hectora quis nosset felix si Troja fuisset? Publica virtutis per mala facta via est.' *Idem.*

LIBER V.

PROSA 1. *Qui agrum exercuit*] Horat. Epod. Od. 2. 'Paterna rura bobus exercet suis, Solutus omni fœnore.' Plin. Secundus 1. Epist. 20. 'Etiam campos curo et exerceo.' Et lib. vii. Epist. 18. 'Ager ipse propter id quod vectigali large supercurrit, semper dominum a quo exerceatur, inveniet.' *Sitzm.*

METR. 1. *Rupis Achæmenia scopulis*] Hoc est, Tauro monte Achæmenia seu Armenia. *Vallin.*

Achæmenia] Armenia. Stat. 1. Sylvar. 'Arcuque horrenda fugaci Armenia.' *Idem* lib. v. Sylvar. 'Quæ fuga fera ferocis Armenii.' Ad quæ verba Statii vid. Comm. Domitii Calderini. *Sitzm.*

Pectoribus figit spicula] Senec. in Thyest. vs. 380. 'Nil ullis opus est equis; Nil armis, et inertibus Telis quæ procul ingerit Parthus cum simulat fugas.' In Œdip. v. 118. 'Cin-

namis sylvas Arabum beatas Vidit, et versas equitis sagittas, Terga fallacis metuenda Parthi.' Virgil. III. Georg. 'Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.' De hac fuga etiam Valer. Flacc. libro vi. Claudian. de Hystrice, Prudent. in Hamartig. multique alii. *Idem.*

Pugna fugax] Armeniorum, Statius 1. Sylvar. 'Arcuque horrenda fugaci Armenia.' Seu Parthorum, a vicinitate: si quidem verum sit, ut apud Plinium existimat M. Agrippa, Parthiam, ab Occidente, Tigri terminari. *Vallin.*

Tigris et Eufrates] Alcimus Avitus lib. de Origine Mundi: 'Eufratem Tigrimque vocant, qui limite certo Longa sagittiferis faciunt confinia Parthis.' *Sitzm.*

Tigris et Eufrates] Q. Curt. lib. v. 'Isti amnes ex Armenia montibus profluunt, et magno deinde aquarum

divortio iter, quod cœpere, percurrunt: duo millia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniæ montes notaverunt. Iidem cum Mediæ et Gordianorum terras secare cœperunt, paullatim in arctius coëunt: et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini maxime sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam vocant. Mediam namque ab utroque latere concludunt. Eadem per Babyloniorum fines in Rubrum Mare prorumpunt.' *Idem.*

Tygris] Q. Curt. lib. IV. 'Nec sane alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur, multorum torrentium non aquas solum sed etiam saxa secum trahens. Itaque a celeritate qua defluit, Tigri nomen est inditum; qui Persica lingua Tigrim sagittam appellant.' *Idem.*

Eufrates] Vibius Sequester, de Fluminibus: 'Eufrates Mesopotamiæ in Paradiso oriens. Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Eufhratis in Armenia fontes monstrari.' Incertus Poëta de Claudii Britannica victoria: 'Eufrates prodest nil tibi Parthe fugax.' *Idem.*

Uno se fonte resolvunt] Id est, in eisdem Armeniæ seu montis Tauri partibus. Nam diversos utriusque fontes esse affirmant Plinius, Ptolemæus, Strabo, Q. Curtius et alii: ac inter utrosque hi quidem mille et quingenta; alii vero duo millia et quingenta stadia ponunt. *Vallin.*

Si coëant] Ut faciunt paulo infra Babylonem sub Apamia urbe: conjunctique inde in sinum Persicum devolvuntur. *Idem.*

Sic, quæ permissis] Hoc est, Quemadmodum Tigris et Euphrates, qui ex eodem Tauro Armeniæ monte in terras diversas abeunt, si aquis confluentibus jungerentur; naves quoque trunci arborum et quælibet alia materies natans ac fluitans, utroque alveo devoluta, utroque juncta,

jungeretur: quod quidem casu eveniret, esset tamen certa causa vectionis earum rerum, nempe unda utriusque alvei, quæ ordine quodam eas res deferret. Ita eorum eventuum, qui nobis Casu fieri videntur, certa nihilominus causa est et ordo naturalis. *Idem.*

Πάντ' ἐφορᾷ] Hemistichium est Homericum versus Iliad. Γ. Ἡέλιος θ' ὄσ πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις: 'Sol etiam qui cuncta vides, quique omnia inaudis.' Rectiusque id divinæ providentiæ oculo Boëtius tribuit, quam Homerus Soli. quem, videntem omnia et audientem, ut numen aliquod iis verbis agnoscit. ut optime animadvertit Plinius lib. II. cap. 6. 'Hic Sol 'suum lumen cæteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius; omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi literarum Homero placuisse in uno eo video.' *Vallin.*

Πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει] Vide Hom. Iliad. Γ. et Odyss. M. *Sitzm.*

ΜΕΤΡ. 2. Puro clarum lumine Phœbum] Homerus Iliad. Β. λαμπρὸν φάος ἡελίοιο. Etiam Anaximander dixit Solem esse καθαρώτατον πῦρ. Vide Diog. Laërt. lib. 2. *Idem.*

Homerus] Iliad. Α. Ε. Θ. ubi passim appellatur λαμπρὸν φάος ἡελίοιο. 'clarum Solis lumen.' *Vallin.*

Radiatorum luce] Martian. Capella lib. I. 'Solis augustum caput radiis perfusum circumactumque flammantibus velut auratam cæsariem rutili verticis imitatur. Hinc quoque sagittarius, hinc quoque vulnificus, quod possit radiatorum jaculis icta penetrare.' *Sitzm.*

Quæ sint quæ fuerint veniantque] Optime monuit Janus Dusa filius, hunc loquendi modum a Græcis esse inventum, quem vide in Notis ad Catulli Carm. 21. *Idem.*

Quem, quia respicit omnia solus, Verum possis dicere Solem] Julius Firmicus Maternus, de Errore Prophana-

rum Religion. ‘Lumen hoc, quod hominibus jussu Dei fugatis tenebris diem reddit, quod per duodecim horarum spatia cursus sui ordinem dirigit, Solem dici voluerunt, non quia solus est, ut quidam volunt, quia ibi et Cælum est, et Luna, et alia plurima sidera, quæ videmus, ex quibus quædam una serie, et cohærentia perpetua simulque copulata lucent, alia toto sparsa cælo vagos cursus suis metiuntur erroribus. Sed ideo Sol appellatur, quia cum ortus fuerit, obscuratis ceteris sideribus luceat solus.’ Martian. Capella lib. II. De Nupt. Phil. De Sole: ‘Solem te Latium vocitat, quod solus honore Post Patrem sis lucis apex.’ *Idem.*

Respicit omnia solus] Macrobius Saturn. lib. I. ‘Nam et Latinitas eum, quia tantam claritatem solus obtinet, solem vocavit.’ *Vallin.*

Verum possis dicere Solem] Frequens Veteribus fuit Solis cum Deo comparatio: sed præcipue ad immobilem ejus providentiam exprimendam, quod, ut ait Maximus Tyr. serm. I. ‘Ο θεῖος νοῦς κατὰ τὴν παραβολὴν τοῦ ἡλίου πάντα ἐφορᾷ τὸν ἐν τῇ γῆ τόπον ἀθρόως, ‘Divina mens, instar Solis, uno simul intuitu quodcumque ubique est in terra loci prospicit.’ Instar Solis, quia, ut est apud Claudianum, ‘Medium non deserit unquam Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.’ Sed multo quam Sol præstantius: unde Epictetus Arriani, φωτίζειν οἶός τε ἐστὶν ὁ ἡλίος τηλικούτον μέρος τοῦ παντός, ὀλίγον δὲ τὸ ἀφώτιστον ἀπολιπεῖν, ὅσον οἶόν τ’ ἐπέχεσθαι πρὸ σκιᾶς, ἢν ἡ γῆ ποιεῖ, ἢ δὲ καὶ τὸν ἡλίον αὐτὸν πεποιηκῶς καὶ περιάγων, μέρος ὕπ’ αὐτοῦ μικρὸν ὡς πρὸς τὸ ὕλον, οὗτος δ’ οὐ δύναται πάντων αἰσθάνεσθαι. ‘Sol tantam universi partem illustrare potest, exiguam illam relinqueus luminis expertem, quam umbra terræ occupat. Qui autem ipsum et fecit et circumducit, parvum suorum operum partem, si cum universo conferatur; is

vero non potest animadvertere omnia.’ Utriusque Solis, vero seu ὑπερουρανίου ‘supercælestis;’ ejusque imaginis, cælestis, differentiam vide apud D. Diouysium de div. nom. c. 4. Deum quippe, apud Platonicos, participant κατὰ δύνατον res omnes seu entia omnia, τὰ νοητὰ καὶ θειότατα, ἀμέσως: ‘intellectualia et maxime divina, immediate.’ τὰ αἰσθητὰ δὲ, διὰ τῆς ἐαυτῶν μονάδος, ‘sensilia vero, per eam quam habent’ cum Deo actionis ‘unitatem.’ Si quid igitur Sol pulchritudinis, aut virtutis, aut lucis rebus inferioribus largitur, ab ipso Pulchro, ab ipsa Virtute, ab ipsa Luce, hoc est, a Deo, mutuatur: hinc Platoni libro VI. de Rep. ἔκγονος τοῦ ἀγαθοῦ, ‘progenies’ seu ‘ipsius Boni’ filius appellatur. Hæc quidem vere vetus sapientia protulit: at eadem paulatim tot Solis laudibus, tot encomiis sic abusa est, ut tandem Gentibus cœperit esse Deus, qui famulus et minister erat: atque adeo, si Macrobio aliisque multis fides habenda est, unus toto orbe Sol, licet sub diversis Jovis, Martis, Mercurii, atque aliorum omnium nominibus, cultus fuit. Multisque sæculis omnes pæne mortales hic error obtinuit. Imo et post reconciliatam vero Deo creaturam, Evangelique lumen, reperti philosophi Julianus ἀποστάτης, Proclus Lycius, atque alii, jurati Christianæ, hoc est, cælestis veritatis hostes, qui Μίθρα, ‘Soli’ vota precesque nuncuparunt, eumque sibi viventibus et mortuis Θεὸν εὐμενῆ, ‘Deum propitium’ deprecati sunt: cuique ille, si modo e bello Persico victor redisset, tot victimas et sacrificia parabat, ut defuturos boves Romanus orbis timuerit, quibus, annis aliquot, tellus alioquin cessatura araretur. Sol igitur Deorum ultimus aras habuit, quique eum formidant et oderunt Dæmones, pro Deo hominibus adorandum postremum omnium obtuserunt. Hæc obiter monemus,

quod nunc quoque maxime intersit, quibus Sol laudibus ab homine præsertim Christiano ornatur: ne dicam quæ sit ejus cum Deo instituenda comparatio. *Idem.*

PROSA 3. *Tum ego, en, inquam]* Hanc longe gravissimam et pulcherrimam de Præscientia Dei, liberaque hominis voluntate Disputationem ut melius intelligas, et quænam sit sententia verior, perspicue cognitum habeas, lege capite nono, decimo, et II. Augustin. libro quinto de Civitate Dei, quæ loca ceu digito monstrasse nobis fuerit satis. Plura huc pertinentia in Sacris lectionibus suis con-gessit C. Rittershusius ex Chrysostomo, Cyrillo, Origene, et aliis SS. Patribus. *Sitzm.*

Vaticinio Tiresiæ] Apud Horatium Serm. lib. II. Sat. VI. *Vallin.*

Uti paullo ante cantabas] Carmine nimirum 6. vs. 43. lib. IV. *Sitzm.*

METR. 3. *Quænam, &c.]* Cum hoc Carmine confer diligenter Maximum Tyrium Philosoph. Plat. Et Lucret. lib. IV. De Rer. Nat. *Idem.*

Fœdera rerum] Quid difficultatis hic et sequens locus habeant, non video, impensius mirans cur non paucos inter legendum torqueat: tanquam illic arcana quædam nulli pervia proferat Boëtius: qui superioris, de Arbitrii Libertate Deique Præscientia, quæstionis nodos soluturus, ait mirari se, quænam causa discors rerum fœdera resolvat, id est, duas res maxime inter se concordēs convenientesque dissolvat ac divellat. Eæ sunt quæ et mox *duo vera* ab eo vocantur. *Vallin.*

Veris bella duobus] Ea duo sunt; Prænoscere cuncta Deum, et tamen Esse libertatis arbitrium. Est enim hoc ἀξίωμα verum, Prænoscit omnia futura Deus: est et illud, Inest omnibus hominibus Libertatis arbitrium. Singula hæc quidem carptim et divisim vera esse nemo est qui non agnoscat. Cum vero mixta jugantur, hoc

est, juncta sic enuntiantur, Prænoscit cuncta Deus et Est arbitrii humani Libertas; difficultatis nonnihil, ex mentis nostræ imbecillitate, importatur: neque enim intellectu consequi possumus quemadmodum Deus, ut canit noster, 'Quæ sint, quæ fuerint, veniantque Uno mentis cernit in ictu.' *Idem.*

Sed mens cæcis obruta membris] Lactant. De ira Dei, cap. I. 'Mens hominis tenebroso carceris domicilio circumseptā, longe a DEI perspectione sumota est.' Vid. eund. de Opif. Dei c. 16. *Sitzm.*

Flagrat amore] August. lib. XII. de Civ. Dei, cap. 20. 'Pervenire ad conspectum Dei, atque ita fieri beatum contemplatione incorporeæ lucis per participationem incommutabilis immortalitatis ejus, cujus adipiscendæ amore flagramus.' Catullus Carm. 68. 'Mens cæco flagrabat amore.' 'Flagrare charitate,' Q. Curt. lib. III. 'Flagrare meliore Gradivo,' Silius lib. xv. in pr. pro Marte uti prospero sive secundo. *Idem.*

Flagrat amore Veri tectas reperire notas] Senec. in Agam. v. 60. 'Non sic Libycis Syrtibus æquor Furit alternos volvere fluctus.' Videtur tamen noster magis respexisse ad illud Horatii lib. I. Carm. Od. 15. 'Ecce furit te reperire atrox Tydides melior patre.' *Idem.*

Sed quis nota rescire laborat] Mss. et Edit. Norimb. *Sed quis nota scire laborat:* quam lectionem amplector lubens, idque duplicem ob causam. Cum ante quinquennium pervenirem in notitiam P. Melissi, inclyti Germaniæ Vatis, edocebar, veteres Latinorum Poëtas quosdam nuspiam, quosdam rarissime syllabam corripere, quam præcederet *st, sp, sc.* quod ipsemet postea inter legendum observavi diligentius, atque ita sese rem habere perspicue cognovi. Deinde me non tralaticie movit ipsum verbum *Rescire*, quod vim habet pro-

priam quandam, non ex communi significatione ceterorum verborum, quibus eadem præpositio, *Re*, imponitur. Nam qui factum aliquod occultius, aut inopinatum insperatumque cognoscit, is dicitur proprie *Rescire*, ut docet Agell. lib. II. cap. 15. cujus assertioni si locum dederimus, facile patebit, verbum *Rescire* minus congrue hic poni. *Idem*.

An cum mentem] Nimirum momento creationis, quo anima perfectissime videt, non solum res universales, sed particulares quoque. Postquam vero corpori unita est, retinet quidem scientiam universalium, qua particulares agnoscit; particularium autem non item, quarum oblivionem corporis moles induxit. Hinc paulatim anima διὰ τὴν ἀνάμνησιν res particulares discit, quandiu homo vivit. Hinc disciplinæ et scientiæ singularium. Hæc et quæ reliquo carmine complectitur, e Platonis Menone et Phædone desumpta. *Vallin*.

Vehementer agitata] Libro scilicet II. De Divinat. ubi cum Quincto fratre disputans divinationem prorsus nititur tollere, quam Quinctus volumine superiore asseruerat. *Sitzm*.

Ut ea quæ in quadrigis] Auctor Carminis ad Pisonem: 'Sic auriga solet ferventia Thessalus ora Mobilibus frenis in aperto flectere campo: Qui modo non solum rapido permittit habenas Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras Flexibiles rictus, et nunc cervice rotata Incipit effusus in gyrum carpere cursus.' *Idem*.

Homo est animal bipes rationale] Ms. Rittersh. plenius: *Homo est animal rationale, bipes, mortale*. Ita supra libro I. 'Hoccine interrogas, an esse me sciam rationale animal atque mortale?' Ponit hanc Philosophicam hominis definitionem etiam S. Chrysostomus. Homil. 14. in priorem ad Timoth. sed opponit ei ac præfert aliam veriorum ex sacris depromp-

tam tabulis. Verba Aurei oris illius hæc sunt, quæ ex Sacris Lectionibus suis haud gravate mihi gratificatus est C. Rittershusius: *Τί γὰρ ἔστιν ἄνθρωπος, ἴδωμεν. οἱ ἕξωθέν φασι, ζῶον λογικόν, θνητὸν, νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεικτικόν. ἡμεῖς δὲ μὴ ἀπ' ἐκείνων τὸν ὄρον θώμεθα· ἀλλὰ πόθεν; ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς. ποῦ τοίνυν τὸν ὄρον ἐξέθετο ἄνθρώπου; ἄκουε λεγούσης αὐτῆς· ἦν ἄνθρωπος δίκαιος, ἀληθινὸς, θεοσεβὴς, ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς πονηροῦ πράγματος. τοῦτο ἄνθρωπος. καὶ πάλιν ἕτερός φησι· μέγα ἄνθρωπος, καὶ τίμιον ἀνὴρ ἐλεήμων. τοὺς δὲ μὴ τοιοῦτους, καὶ νοῦ μετέχωσι, καὶ μυριάκις ἐπιστήμης ὡσι δεκτικοί, οὐκ οἶδεν ἢ γραφὴ λέγειν ἀνθρώπου, ἀλλὰ κύνας, καὶ ἵππους, καὶ ἔχεις, καὶ ὄφεις, καὶ ἀλώπεκας, καὶ λύκους, καὶ εἴτι τούτων ἀτιμότερον τῶν θηρίων, &c.* *Idem*.

METR. 4. *Porticus*] In qua Athenis Zeno Citticus, Stoicorum princeps, primus docuit. Unde a στοὰ, hoc est, 'porticu' Stoici appellati. *Vallin*.

Senes] Zenonem et ejus sectatores Stoicos. Is enim, recedens a veteris Academiæ decretis, 'fidem' [ait Cicero l. I. Academ.] 'sensibus tribuebat, quod comprehensio facta sensibus et vera esse et fidelis videatur: non quod omnia quæ essent in re comprehenderet; sed quia nihil quod cadere in eam posset, relinqueret; quodque natura quasi normam scientiæ et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur, e quibus non principia solum, sed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ reperiuntur.' Veteris vero Academiæ principes, Socrates, Plato, Speusippus, Theophrastus, Aristoteles, aliter senserant: 'Tertia,' inquit idem, 'philosophiæ pars, quæ erat in ratione et in disserendo, sic tractabatur ab utrisque: Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse judicium veritatis in sensibus. Mentem volebant esse rerum judicem; solam censebant idoneam cui crederetur, quia sola

cerneret id quod semper esset, simplex et unius modi, et tale quale esset.' Et paulo post, 'Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur: nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus videntur.' Et infra, 'Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant; Scientiam autem nusquam esse censebant nisi in animi motionibus atque rationibus.' Mens quidem sensuum ministerio singularia cognoscit, deinde ex singularium ἐπαγωγῇ 'inductione,' Universalia vi sua constituit. Cum quis Socratem videt, inquit Themistius Posterior. libro II. Τότε ὁρᾷ ἐν αὐτῷ καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ὁμοιον καὶ κοινόν, ὥστε τρόπον τινὰ καὶ αἰσθησις τοῦ καθόλου· ἀλλ' οὐχ' οὕτως, ὥστε αὐτὸ χωρῖσαι καὶ ἀφελεῖν, καὶ καθ' ἑαυτὸ γνῶναι· ἀλλὰ συγκεχυμένον τε τῷ καθ' ἕκαστον, καὶ μᾶλλον εἰς ἐκεῖνο ἀποτετραμμένον· ἀλλ' ἑτέρα δύναμις ἐστίν, ἣ τῆς αἰσθήσεως περὶ τὸ κατὰ μέρος ἐνεργούσης, τὸ ἐν ἐκ πολλῶν, καὶ τὸ ἀδιάφορον ἐκ διαφόρων, καὶ τ' αὐτὸν ἐξ ἐτέρων συνάγει. οἶον, τὸν ἄνθρωπον, ἐκ Καλλίου καὶ Ἀρίστωνος. καὶ τὸ ζῶον ἐξ ἀνθρώπου καὶ λέοντος. καὶ τὴν οὐσίαν ἐκ φυτοῦ καὶ ζώου. ἀνεισι γὰρ, μέχρις ἂν εἰς ἐν παντελῶς τὰ πολλὰ ἀναγάγη τε καὶ συνδήσηται· 'simul et in' Socrate 'videt id, quod in aliis quoque' hominibus 'simile communeque inest: quare quaedam ratione sensus versatur circa universale, non ita tamen ut illud abstrahat et separet, seorsimque' a singulari 'cognoscat, sed confusum cum ipso singulari et magis in ipsum conversum: alia quippe est facultas, quæ, dum sensus operatur circa individua, unum ex multis, indifferens ex differentibus, idem ex diversis colligit; verbi gratia, hominem ex Aristone et Callia, animal ex homine et leone, substantiam ex planta et animali.' Ea 'enim ascendit quousque multa in unum omnino reduxerit et copulaverit.' Et paulo post, Sensus, inquit, ἀρχαὶ καὶ αἰτίαι τῶν κατὰ

μέρος ὑπολήψεων, τὴν δὲ καθόλου ἐπιφορὰν, ὁ νοῦς ποιήσεται, 'Cognitionis singularium principia et causæ, sensus sunt. assumptio vero Universalium' ex singularibus, 'intellectus seu mentis opus est.' Ita ut quicquid per sensus discitur mentis ἐνεργείᾳ tribuendum sit, non ipsis sensuum imaginibus, quas ipsa creat, non ipsæ ullo modo in animam agunt. Unde recte de ea dicitur, Νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει· τὰ δ' ἄλλα, κωφὰ καὶ τυφλὰ, 'Mens videt, mens audit; cætera vero surda ac cæca sunt.' *Idem.*

Et imagines] 'Notiones' Cicero vocat, ἐννοίας καὶ προλήψεις Stoici. *Idem.*

Extimis] Exterioribus, hoc est, quæ videntur, audiuntur, palpantur. *Idem.*

Cassasque in speculi vicem] Lucret. lib. IV. 'Rem contra speculum ponas, apparet imago.' Et paulo post: 'Quandoquidem speculum, quodcumque obvertimus oris, Res tibi respondent simili forma atque tenore.' De speculis multa congescit I. Meursius. Vide etiam Jac. Pontanum ad Eclog. 3. Virg. Nic. Rigaltium ad Phædri Fab. 6. et 47. De iisdem quid senserit Socrates tradit Laërt. lib. II. et Apuleius Apologia. *Sitzm.*

Quæ cognita dividit] Themistius ibid. Τούτου γὰρ ἔργον ἤδη, τὰ πολλὰ ἐνοῦν. καὶ περαίνειν τὰ ἄπειρα, ὅπερ φησὶ Πλάτων, πέρατι συνδήσασθαι· καὶ γὰρ διαιρετικὸς καὶ συνθετικὸς καὶ μεταβατικὸς· καὶ ἄλλως πολυτρόπως εὐκίνητότατος, 'Hujus officium est multa unire et infinita terminare; quod Plato appellat, 'termino concludere.' Dividit illa componitque, pluribus modis convariat atque commutat, omnino agilis et permobilis natura ejus deprehenditur.' *Vallin.*

Nunc summis caput inserit] D. Augustinus, seu quisquis auctor est, lib. de Spiritu et Anima cap. 11. 'Et sicut luna crescit et deficit et varia vicissitudine commutatur, in id tamen quod fuit quadam perfecta no-

vitae se restituit: sic Mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis, nunc sese inserens sibi veris falsa redarguit: modo ad corporalia regenda deflectitur, modo æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit.' Quo in loco cum ipsissima Boëtii verba referantur, minime dubium est hunc Tractatum D. Augustini non esse. Nec obstat quod hic aliter quædam mendose legantur, omnino enim scribendum est *desidit in infima et sese referens sibi*. Desidit in infima Mens, cum res ἕλη, 'materiæ' inhærentes considerat, quod ubi sensus ministerio fecit, 'sese,' habentem eas notiones, 'refert sibi,' ratiocinanti et intellectu discernenti quid verum, quid falsum sit. Neque furtum huiusmodi hic tantum deprehendas, sed et cap. 37. lib. Meditationum, qui ejusdem magni viri nomen falso præfert, his verbis, 'In hoc enim magno hujus vitæ diluvio, ubi circumstantibus agitamur procellis.' Ubi expressit quisquis auctor est, hunc Boëtii locum ex lib. I. Consol. 'Itaque nihil est quod admirare, si in hoc vitæ salo circumstantibus agitemur procellis.' Unde idem qui superius error admissus, dum pro *salo*, *diluvio* scriptum est: neque enim 'vitæ diluvium,' aut 'procellas' habere dicitur: neque recte procellæ 'circumstantes' hic vocentur: quod tamen ex mendosis Boëtii codicibus excerpserat; ut nunc quoque in iisdem legere est. *Idem*.

PROSA 5. *Quales sunt conchæ*] Solinus cap. 56. 'Piscantium insidias timent conchæ: inde est, ut aut inter scopulos, aut inter marinos canes plurimum delitescant.' *Sitzm*.

Illic enim ratio videbit] Manilius lib. IV. 'Materiæ ne quære modum, sed perspice vires, Quas ratio, non pondus habet: ratio omnia vincit. Ne dubites homini divinos credere visus.' *Idem*.

METR. 5. *Quam variis*] Alcimus Avitus lib. De Orig. Mundi: 'Protinus in varias animalia multa figuras Surgunt, et vacuum discurrunt bruta per orbem.' *Idem*.

Continuumque trahunt] Serpentes et viperas intelligit. Sen. in Herc. Fur. de Cadmo in serpentem mutato vs. 393. 'Longas reliquit corporis tracti notas.' *Idem*.

Sunt quibus] Min. Felix: 'Quid animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, et fundatas unguis, et spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberatas, aut elatione pennarum.' Vide et Arist. De Hist. animal. et Oppianum. *Idem*.

Alarum levitas vaga] Lact. de Opif. Dei, cap. 3. 'Plus manus præstant, quam levitas ususque pennarum.' Vid. eund. cap. 5. l. eod. *Idem*.

Verberetque ventos] Apuleius De Deo Socratis: 'Imo enim si sedulo advertas, ipsæ quoque aves terrestræ animal, non aëreum, rectius perhibeantur. Est enim semper illis omnis victus in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile, tantum quod aëra proximum terræ volitando transverberent. Ceterum cum illis fessa sunt remigia, terra ceu portus est.' *Idem*.

Prona tamen facies] Verba sunt Aristotelis de part. animal. libro IV. Δὶ πλείονος γινόμενου τοῦ βάρους καὶ τοῦ σωματώδους, ἀνάγκη ῥέπειν τὰ σώματα πρὸς τὴν γῆν, 'Quamobrem concretione, et pondere graviore opprimente, corpora vergere in terram necesse est.' *Vallin*.

Hebetes valet ingravare sensus] De Brutis animalibus Macrobius in Somn. Scip. lib. I. cap. 14. 'Si quid in illis similitudinem rationis imitatur, non ratio, sed memoria est; et memoria non illa ratione mixta, sed quæ hebetudinem sensuum quinque comitatur.' *Idem*.

Unica gens hominum] Min. Felix: 'Ipsa præcipue formæ nostræ pul-

critudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula constituti, et omnes ceteri sensus velut in arce compositi.' Præclare Lactantius I. II. Div. Instit. c. 1. 'Parens enim noster ille Deus unus et solus cum fingeret hominem, id est, animal intelligens et rationis capax, eum vero ex humo sublevatum ad contemplationem sui artificis erexit: quod optime ingeniosus Poëta signavit: 'Pronaque cum spectent animalia cetera terram Os homini sublime dedit, cælumque videre Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.' Hinc utique *ἄνθρωπον* Græci appellarunt, quod sursum spectet. Ipsi ergo sibi renuntiant, seque hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum.' Vide eund. de Ira Dei, c. 7. 8. et 14. Manil. l. iv. 'Stetit unus in arcem Erectus capitis, victorque ad sidera mittit Sidereos oculos, propiusque aspectat Olympum, Inquirisque Jovem, nec sola fronte Deorum Contentus manet, et cælum scrutatur in alto, Cognatumque sequens corpus se quærit in astris.' *Idem.*

Celsum levat altius cacumen] Eam plantam intelligere credas, quam sic describit Philo lib. 'Quod deterius potiori insidiari soleat.' *Μόνον δὴ τῶν ἐπὶ γῆς φυτῶν οὐράνιον ὁ Θεὸς ἄνθρωπον εἰργάσατο, τῶν μὲν ἄλλων τὰς κεφαλὰς πηξάμενος ἐν χέρσῳ· κατακάρα γὰρ πάντα, ἄνθρωπῳ δὲ εἰς τὸ ἄνω προαγαγὼν, ἵνα τὰς τροφὰς ὀλυμπίους καὶ ἀφθάρτους, ἀλλὰ μὴ γεώδεις καὶ φθαρτὰς ἔχη· παρ' δὲ καὶ τοῦ σώματος ἡμῶν, τὸ μὲν ὄσον ἀναισθητότατον, πλεῖστον ἀποστήσας λογισμοῦ, τὰς βάσεις γῆ προσεῖρίζου. τὰς δὲ νοῦ δορυφόρους αἰσθήσεις, καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον πορρωτάτω μὲν τῶν περὶ γῆν ἐξέφυκισε, τοῖς δὲ ἄερος καὶ οὐρανοῦ περιόδοις ἀφθάρτοις οὖσαις ἐνεδήσατο.* 'Solam in terris cœlestem plantam fecit Hominem, cæterarum in terra defixit capita: omnes enim humi caput habent;

soli homini sublime dedit, ut alimentum cœlitus incorruptibilia quærat, non terrena ista corruptioni obnoxia: qua propter corporis nostri partem insensatissimam, longe a ratione secretam, pedes seu radices ad terram applicuit: sensus autem mentis satellites, et hanc ipsam, longissime a terra jussit habitare, et ad ætheris cœlique nunquam interituros alligavit ambitus.' Quod jam monuerat ante Aristoteles lib. iv. de part. an. cap. x. Nec aliunde *ἄνθρωπου* etymon, quam *ἀπὸ τοῦ ἄνω ἀθρεῖν*, 'a suspiciendo in altum,' deductum est. *Vallin.*

Recto stat corpore] Cujus status rationem hanc pulcherrimam reddit Aristoteles [de part. animal. lib. iv. cap. x.] *Ὅρθον μὲν γὰρ ἔστι μόνον τῶν ζώων διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν οὐσίαν εἶναι θείαν. ἔργον δὲ τοῦ θειοτάτου, τὸ νοεῖν καὶ φρονεῖν. τοῦτο δ' οὐ ῥάδιον πολλοῦ τοῦ ἄνωθεν ἐπικειμένου σώματος, τὸ γὰρ βᾶρος, δυσκίνητον ποιεῖ τὴν διάνοιαν καὶ τὴν κοινὴν αἴσθησιν.* 'Solus enim animalium' homo 'erectus est, quoniam ejus natura atque substantia divina est. Officium autem divini est, intelligere atque sapere. quod non facile esset, si vasta corporis moles assideret: pondus enim tardiolem reddit et mentem, et sensum communem.' *Idem.*

Inferior sidat mens] Prudent. Cæthem. Hymn. 10. 'Si terrea forte voluntas Luteum sapit, et grave captat, Animus quoque pondere pressus Sequitur sua membra deorsum. At si generis memor ignis Contagia nigra recuset, Velit hospita corpora secum Pariterque reportat ad astra.' *Sitzm.*

De mundo censuit Aristoteles] Lib. 1. de Cœlo. *Vallin.*

Unde non recte quidam, qui cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum] Recte cum audiunt, a Crantore videlicet, Plotino, Porphyrio, Jamblico, Tauro Platónico,

Proclo, aliisque Platonice, qui cum sempiternum esse mundum impie defenderent, impietatis patrociniū a Platone petiere: cum tamen non obscure sed indubitato Plato senserit, Mundum ortum esse et aliquando cœpisse. In Timæo siquidem ubi de mundi procreatione agit, exerte pronuntiat: ‘De quo primum consideremus, quod in quæstione de universo ante omnia investigari debet: utrumne semper fuerit sine ullo generationis principio; an genitum sit, ab aliquo principio sumentis exordium. Id profecto cernitur, tangiturque, et corpus habet: omnia vero hujusmodi sensus movent: quæ sensus movent, opinione per sensum percipiuntur: hæc vero talia esse constat ut gignantur et genita sint; quidquid autem gignitur, necessario ab aliqua causa gigni asseruimus.’ Et iterum: ‘Dicamus itaque quam ob causam generationem rerum confecit, et hoc omne quod cernimus opifex ipse constituit.’ Et tertio eodem libro: ‘Hanc igitur habuit,’ inquit, ‘rationem effector Mundi molitorque Deus, ut unum opus tantum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolueret.’ Tauri vero, Procli, Apuleii, et aliorum calumnias, qui ut Platonem pro ipsis stare probarent, varias notiones harum vocum ‘oriri’ seu ‘gigni’ comminiscuntur, quasi radiis quibusdam Plato dispellit, dum de molitione Mundi quæstionem proponens, Mundum ex eorum genere esse quæ orinatur definivit: quid autem per ortum intelligeret, ipse explicat: ‘Utrum semper,’ inquit, ‘fuerit, ita ut ortus sui initium nullum habuerit, an vero ortum sit ita ut ab aliquo temporis principio esse cœperit.’ Et rursus ibidem: ‘Tempus,’ ait, ‘una cum cælo factum est, ut simul et generata simul etiam dissolvantur, si quando ulla eorum futura erat dissolutio.’ Quæ postrema verba illud magis ex vero Platoni adscribi confir-

mant, ut et alia loca, sensisse Platonem Mundum quem ortum fatetur, et a Deo conditum, non habiturum, ut Noster ait, defectum. Ego sane non fidenter eum purgem hujus culpæ. Illud affirmo, licet voluntate et potentia Dei putarit Mundum perpetuo conservandum, per se tamen caducum esse, et a Deo dissolvi posse, aperte tradidisse. In Politico sane: ‘Mundus,’ inquit, ‘in contrarias partes ultro circumducitur, ut qui vitam et intelligentiam nactus sit ab eo qui ipsum construxit: porro ipsi retrorsum ire, ob id necessario insitum fuit, quod quidem semper in iisdem esse et eodem modo se habere, atque idem permanere, omnium maxime divinis naturis solis convenit: Corporis autem natura non hujus est ordinis. Quod igitur cælum seu mundum nuncupavimus, permulta ac præclara munera a creatore suscepit. Corporis tamen factus est Mundus particeps, unde fieri non potest ut ipse in omne tempus sit mutationis expertus.’ Et in Timæo: ‘Itaque et ob eam causam,’ inquit, ‘et ab iis rebus numero quatuor, Mundi est corpus effectum, ea constructum proportionem, qua dixi, ex quo ipse se concordi quadam amicitia et charitate complectitur, atque ita apte cohæret, ut dissolvi nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus.’ Hæc Plato. Nos ut ‘In principio creasse Deum cælum et terram’ non ignoramus, ita divina voce edocti illud tenemus: ‘Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.’ *Bernart.*

Unde non recte quidam] Vide Comm. L. Vivis ad l. x. Aug. de Civ. Dei, c. 31. nec non ipsum Aug. l. xi. c. 4. et 5. *Sitzm.*

Plato mundo tribuit] Quo modo omnia præterita, præsentia et futura, Deo præsentia sint, et Mundus Platoni æternus, docet Joan. Grammaticus Philopon. in Proclum de Mundi æternitate, in solutione præsertim

quinti ejus argumenti. Nulla autem Platonis sententia est, quam fœdins corruperint, et obstinatius defenderrint veteres Platonis interpretes: sen quia eorum alii ita sentirent, seu ut Christianam fidem impugnarent. Eorum signifer Ammonius fuit, fidus alioquin ac illustris doctrinæ Platoniciæ assertor; quem Zacharias dialogo cui 'Ammonius' titulus est, confutavit. Mox ejus discipuli, Plotinus passim libr. suis: et quod mirum est, ne a magistro dissentiret, fax illa fidei Origenes; cujus errorem S. Methodius lib. περὶ τῶν γενητῶν, ut est apud Photium, redarguit. Deinde Julianus quoque lib. de Sole. Hierocles in excerptis de Providentia apud Photium. Proclus in Theologia Platonica et apud Joan. Grammaticum Philop. de Mundi ætern. contra quem idem Joan. Gram. scripsit. *Vallin.*

Illud esse necessarium judicatis] Lactant. lib. II. Div. Instit. cap. 5. 'Non est astrorum motus voluntarius, sed necessarius: quia præstitutis legibus officiisque deserviunt.' *Sitzm.*

Nec iniquæ leges...nec frustra...preces] Sequitur ex libertate arbitrii, justas leges esse: ex providentia vero, rectas preces. Ut copiosissime et accuratissime docuit sapiens noster. Sed et audiendus Apuleius lib. de Deo Socratis, loco illo illustri: 'Nullus, inquis, Deus humanis rebus intervenit: Cui igitur preces allegabo, cui votum nuncupabo, cui victimam cædam; quem miseris auxiliatorem, quem bonis fautorem, quem adversatorem malis in omni vita ciebo? quem denique, quod frequentissimum est, jurejurando arbitrum adhibebo?' Hierocles in excerptis de Providentia, Οὐ μάτην οὖν νόμοι κείσονται τοῖς ἀνθρώποις, οὐδὲ λογισμὸς εἰκῆ δέδοται, οὐδὲ τὸ βουλεύεσθαι παρέλκει, οὐδὲ τὸ εὐχεσθαι περιττὸν, εἰ πρόνοια τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἡγοῖτο, 'Non ergo frustra leges constitutæ erunt hominibus, neque

ratiocinandi vis temere iisdem concessa est, neque consultatio et deliberatio est supervacanea, neque vota et preces redundant, si providentia humanis negotiis præsit.' Et Salvianus Christiane lib. I. 'Removet igitur a se, inquis, curam mortalium Deus. Et quæ ergo nobis divinæ religionis est ratio, quæ vel causa Christum colendi vel spes propiciandi? Si enim negligit Deus in hoc sæculo genus hominum, cur ad cœlum quotidie manus tendimus, cur orationibus crebris misericordiam Dei quærimus, cur ad ecclesiasticas domos currimus, cur ante altaria supplicamus? Nulla est enim nobis ratio precandi, si spes tollitur impetrandi. Vides ergo quam stulta atque inanis sit hujus persuasionis assertio; quæ utique si recipitur, nihil penitus de religione servatur.' Sexcenta similia habent auctores. Quippe, ait Lactantius, 'Summus colendi ritus est, ex ore justii hominis ad Deum directa laudatio.' *Vallin.*

Manet enim spectator desuper] Similia habes apud Prudent. Cathem. Hymn. 2. *Sitzm.*

Semper-æternitas] Sic fortasse S. Cypriano Charitas *semper-æterna* dicitur lib. de bono Patientiæ; 'Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quæ et Spe et Fide major est, quæ et opera et martyria præcedit, quæ nobiscum *semper-æterna* apud Deum in regnis cœlestibus permanebit.' *Vallin.*

Ante oculos agitis judicis cuncta cernentis] Diogenes Laërt. in Thalete I. ἠρώτησε τις αὐτὸν, εἰ λήθει θεοὺς ἀνθρώπος ἀδικῶν, 'Ἄλλ' οὐδὲ διανοούμενος, ἔφη. Cui concinit Epigramma vetus: 'Ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας. Οὐ λήσεις δὲ θεοὺς οὐδὲ λογιζόμενος. Idem Diog. de Platone lib. III. οἶεται δὲ καὶ θεοὺς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα. Pindarus Olymp. Od. I. Εἰ δὲ θεὸν ἀνὴρ τις ἔλπεται τι λαθέμεν ἔρδων, ἀμαρ-

τὰναι. S. Ambrosius ad Relat. Symmachi: 'Nemo Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt.' Lactant. libro sexto, cap. 24. 'Purgemus igitur conscientiam, quæ oculis Dei pervia est; et ut ait Cicero, Semper ita vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur; puteamusque, nos momentis omnibus, non in aliquo, (ut ille dixit) orbis terræ theatro ab hominibus, sed desuper spectari ab eo, qui et iudex et testis olim futurus est, cui rationem vitæ poscenti, actus suos inficiari non licebit.' Sic divinitus certe Plautus in Captivis: 'Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque et videt.' Virtus ad Scipionem apud Silium Italicum lib. xv. 'Idem Justitiæ cultor, quæcunque capesses, Testes factorum stare arbitrabere divos.'

Ovidius I. Trist. Eleg. 2. 'Acta Deos nunquam mortalia fallunt.' Sic Poëta sacer: 'Nil absente Deo loquimur; nil abdita clausum Pectoris antra tegunt. Cernit Deus omnia præsens.' Claudat Notas nostras Chysostomus hoc insigni suo dicto, quod ex hom. 62. in Genesin adscribo. 'Etiam si fecerimus' inquit 'ut res clam sit omnibus, ab oculo tamen illo, qui dormire nequit, latere non poterimus. Illum solum timere oportet, et tremere ac pavere, ut ne in conspectu ejus male quippiam faciamus.' Et infra: 'Sic oportet omnia diligenter fieri, ne forte a domino condemnemur. Neque enim fieri potest, ut occultetur aliquid ab oculo illo qui dormire nequit; Verum necesse omnino est, ut is qui peccat suppliciiis obnoxius fiat.' *Sitzm.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.

NOTITIA LITERARIA

DE

SEVERINO BOETHIO.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA.

IN veteribus lapidibus et monumentis jam BOETHIUS jam BOETIUS scriptum invenitur, ut notavit Sirmondus ad Ennodium p. 31. Boëthius vir clarissimus et illustris, scriptor Christianus, ex-Consul ordinarius et Patricius, cum Theodorici Gothorum regis, ministrorum Conigasti, Triguillæ aliorumque tyrannidem impedire conatus esset, Ticinum in exilium missus est, cujus rei meminit Modoinus Episcopus Epistola solatoria ad Theodulfum Aurelianensem exulem, libro IV. Theodulfi carm. IX. Tom. 14. Bibl. Patrum Lugd. pag. 48. Jussu Theodorici interfectus est Boëthius A. 524.

Boëthii Consulis diptychon asservatur Brixiaë a Julio Barbisono, Congregat. Orator. Vide ejus iconem descriptam ære et erudite illustratam in Diario Veneto, Giornale de' letterati d'Italia Tom. 28. pag. 39. seq.

Alius Boëthius Primas Byzacenæ in Africa Provinciæ, de quo Sirmondus ad Facundum T. II. Opp. pag. 838.

E recentioribus memorandus et Anselmus Boëthius, qui de lapidibus pretiosis scripsit.

Uxor Elpis Boëthium in exilium comitata est, ut constat ex ejus epitaphio, quod extat Romæ in porticu S. Petri, affertque Gyraldus Dial. 5. de Poëtis. Epitaphium illud etiam hoc loco integrum apponere juvat ex Præfatione Renati Vallini, quoniam illud in editione A. 1671. est omissum.

Helpes dicta fui Siculæ regionis alumna,

Quam procula patria conjugis egit amor.

Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,

Nec solum caro sed spiritus unus erat.

Lux mea non clausa est tali remanente marito

Majorique animæ parte superstes ero.

Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco
 Judicis æterni testificata thronum.
 Ne qua manus bustum violet, nisi forte jugalis
 Hæc iterum cupiat jungere membra suis.
 Ut thalami tumulique comes nec morte revellar
 Et socios vita nectat uterque cinis.

In penultimo versu male *revellat* legitur in inscriptionibus Gruteri p. MCLXVI. 6. et Philippi Labbei thesauro Epitaphior. parte 2. n. 51. De Boëthii Epitaphio, quod adhuc Papiæ sive Ticini cernitur, vide Joannis Peringskiold notas ad vitam Theodorici à Jo. Cochleo scriptam p. 537. Stockholmia A. 1699. 4.

Altera Boëthii uxor fuit Rusticiana, de qua Procopius III. 20. de bello Gothico: Symmachii qui A. C. 485. Consul fuit, filia, materque plurimorum liberorum, e quibus duo filii, Q. Aur. Anicius Symmachus et Anicius Manlius Severinus Boëthius consules fuere A. C. 522.

Theodoricum suæ in Boëthium iniquitatis sero deinde pœnituit. Vide Procopium L. I. Historiæ Gothicæ.

Boëthium una cum socero suo Symmachio fuste capite truncatum scribit auctor vitæ S. Solangiæ Tom. II. Act. Sanctorum Maii p. 594. atque inde pingi caput suum manu portantem. Gerbertus sive Sylvester II. Pontifex:

———— gladio bacchante Gothorum
 Libertas Romana perit, tu Consul et exul
 Insignes titulos præclara morte relinquis.

Vide etiam quæ notat Papebrochius Tom. 6. Maii pag. 704. seq. et Jo. Peringskiold ad vitam Theodorici p. 566.

De rebus Boëthii præ cæteris diligenter egit auctor Historiæ ejus in tres divisæ libros et Gallice nuper editæ, 'Histoire de Boëte, Sénateur Romain, avec l'analyse de tous ses ouvrages, des notes et des dissertations Historiques et Theologiques.' Paris. 1715. 12. quinque voluminibus. Vide Ephemerides literarias Paris. 1716. pag. 330. seq. Male pag. 331. Boëthius dicitur natus A. C. 407. opinor typographi errore pro 467.

Boëthii de Consolatione Hincmarus quoque Librum memorat non libros Tom. I. pag. 211. de prædestinat. contra Godeschalcum et T. II. pag. 62. 'quidam catholicus et sapientiæ ac scientiæ multæ Philosophus in quodam suo Libro,' &c. Joannes Sarisberiensis VII. 15. Policratici: 'Si mihi non credis, liber de Conso-

